

## Transcriber's Notes

This is a work in progress by u/LennyKing

- p. I + II: Absätze

- p. V, VI Absatz

- u, v [vsus, vniuersus]

- i, j

- æ

- annon

- autor

- bellua --> belua, belluinus

- coelum, moestus

- commessatio / comissatio

- extinguere / exstinguere ?

- seipsum

- tentare / temptare?

- tanquam, nunquam, -cunque, untrinque, duntaxat

- , (Relativsätze, AcIs, Abl. Abs., Aufzählungen, Vergleiche ...)

- arctus

- (foemina)

- (adverbs with accent)

- quicquid

- imo/immo

- ex(s)- (extare)

- caussa

- litera

- abl. sg. of 3rd decl. adjectives () and comparatives

- e.g.
- Kürzel
- poeta mit trema
- eis/iis
- X / 3 / tres / tertius
- proiicere
- intelligere, negligere
- pulcer
- lacryma
- etiamsi, etiamnum, **quamprimum**, iamiamque, cumprimis (in-)
- toties
- denunciare
- -ii (Gen.)
- iisse
  
- respublica
- quum
- nae
- sumtus
- S. (Sanctus)
- 
- illico
- v. (vero), a. (autem)
- brachium
- solatium
  
- quotidianus
- seculum
- sexcenta
- millia, millones
- arcessere
- eiurare
- humerus / umerus ?

- mistus
- verisimile
- epistola
- Virgilius
- querela
- siquidem ??
- solemnis
- legis....
- septentriones
- exul
- sceda
- inprimere
- teter
- foetor
- Quintilianus?
- annulus
- iurisprudentia, -consultus
- nequid
- reipsa
- subsicivus
- solicitus
- posthumus
- larua / larva?
- astare
- fenerator
- oboedire
- quousque
- eiusmodi
- nihilominus
- quatuor --> quattuor
- coniux / coniunx?
- quidpiam / quippiam

1. [1736]

[p. I\*]

Iohannis Robeck

Calmaria – Suedi

exercitatio philosophica

de

εὐλόγῳ ἔξαγωγῇ

sive

morte voluntaria

philosophorum et bonorum virorum

etiam

Iudeorum et Christianorum.

---

recensuit

perpetuis animadversionibus notavit

praefatus est

et

indicem rerum locupletissimum

addidit

Ioh. Nicolaus Funccius

Marburgensis.

---

Rintelii

Literis Ioh. Godofr. Enax. MDCCXXXVI [1736].

[p. III\*]

viro

perillustri et excellentissimo

domino

Friderico Bodoni

s. r. i. libero baroni

de Adelebsen

potentissimo Suedorum

Gothorum et Vandalorum

regi

Hassiae landgravio **reliqua**

a consiliis sanctioribus

domino suo gratiosissimo

suam

de voluntaria morte

disputationem

**d.**

Ioh. Nicol. Funccius

eloq. historiar. et polit. prof. et Rintelensi

academiae a bibliotheca.

[p. IV\*] Evidem fore plerosque credo, qui me tantillum laboris, philosophicam de voluntaria morte disputationem, Tantae Auctoritatis Viro, non recte consecrare iudicent: cui alia, et cumulata, sint ad Patriae salutem demandata negotia: ut, si vel maxime velit, in ea laborum continua serie, summorum Status ministrorum personis magis digna respicere nequeat. TUTE vero, VIR EXCELLENTISSIME, demiraberis tanto minus, ea me exequi alacriori animo, et stare promissis, quae facere me coram satis gratiose iussisti: ut deferantur quamprimum ad TE haud lectu sane iniucunda, quae iam tum homines religiosi adeo aversari cooperant. Vix mei notitia ad TE pervenerat, VIR EXCELENTESSIME, cum novus optimis literis exortus Maecenas Academiam salutares Ernestinam hanc, atque cum ceteris omnium artium doctoribus ad convivium me vocares, TUAQUE gratia exciperes perliberaliter. Adeo priscum illum Maecenatem non adaequas modo, sed multis etiam parasangis, sive rerum multarum solidiori cognitione, sive iucundiori erga literatos favore, antecellis. Mihi sane satis luculento signo dignatus es TUAM erga me benevolentiam ostendere: ut nullus dubitaverim literis iam TIBI agere gratias publice, meamque in TE summam observantiam testari. Genus scripturae, fateor, esse inpolitum ac leve: sed quicquid lepidus hic novus libellus habet vitii, TUA facile emendabit humanitas, de qua sic mihi persuadeo, veniam TE, ubicunque fuerit opus, perquam liberaliter daturum. De TE non dicam ad TE, cuius incomparabilem beneficentiam, aequitatem, dexteritatem, virtutes reliquas celelabunt alii, vel ipse etiam, sed alio loco: nequid, si coram TE istud aggrediar, inpingarem, ac memet in turpe adulacionis nisi crimen, suspicionem certe coniicerem. TIBI libellum hunc voluisti ut mitterem: en ergo tibi devinctissimae ac devoutae mentis monumentum, quod statuo, publicum. Accipe hoc qualecunque munusculum, atque, ut semper TE Maecenatem, id est, MAGNIFICATOTUM PRINCIPIS intimum status Consiliarium, ac rei literariae Statorem, ut meritis, ita laudibus includum praestare consuevisti, pristinam erga TUOS benevolentiam retine: ut, si merear, ego quoque nulli vel pietate, vel obsequio, vel studiis, secundus certum mihi praesidium TUUM gratulari queam. T.O.M. Deum supplex veneror, TE diu incoludem, felicem, laetum, secundo semper rerum consiliorumque successu florentem, Regi, Patriae, Generosissimae Genti, bonis omnibus conservare velit. Rintelii, ipsis Februari Kalendis MDCCXXXVI [die 1. Februarii, 1736].

[p. I]

Praeliminaris  
de  
morte voluntaria  
Ioh. Nicol. Funcii  
dissertatio. [p. I—LII]

Cum penes me fasces academicci essent: nihil vero magis curae cordique mihi, quam ut haec Sp. S. officina, omnium disciplinarum et bonarum artium hoc felix emporium, MAGNI CATTORUM PRINCIPIS hoc delitium, Musarum haec grata sedes, solidiori quacunque doctrina, reipublicae utilissimarum, imo valde necessiarum quarumque rerum affluentia, civibus quoque multis et literarum amantissimis, et bene moratis, in dies effloresceret magis et magis: hospes advenit huius libelli auctor, et civitatem a me pettit academicam literis: quas, quod satis fideliter, utut clanculum mihi, exposuerunt viri fata: post eius obitum, ut magis certa rerum esset memoria, tecum B. L. totidem, ut scriptae sunt, verbis communicare nullus dubito.

*Antequam sumam mihi honorem adeundi, et coram alloquendi, visum est praemittere literas has, indicantes quis sim, praesertim an is, qui possit recipi in numerum huius Universitatis civium. Natione quidem Suecus sum, et decennium integrum, per vices tamen abiens et rediens, absolvi in academia Upsaliensi: sed annis abhinc amplius triginta, irritatus iniuria suppressae, auctoritate Archiepiscopi Upsaliensis, eiusdemque Procancellarii, disputationis philosophicae de fine hominis, relicta patria discessi in Germaniam; cumque venisset Hildesiam innotui Jesuitis, eorumque suasu audivi philosophiam, quam videor mihi vocare posse scholasticam. Eo autem ipso, iuxta rigorem legum, aut consuetudinem patriae, privatus fui facultate redeundi: quam tamen ambientibus et allaborantibus fratribus, cognatis et amicis, obtinui tandem, gratia Regis Caroli XII. glor. mem. Ceterum non multo post accidit ingens illa Suecorum ad Pultavam clades, quae mihi penitus excussit consilium redeundi tempestate illa turbulentissima. Quin longius | recedens coepi peregrinari per Germaniam, Itiam, aliasque terras. Denique cum inutilem mihi viderem priorem gratiam, tanto quippe tempore neglectam, impetum cepi novam a novo Rege Nostro Clementissimo rogandi gratiam, atque exemplum quoddam libelli supplicis ad Praepositum quendam, olim mihi familiarissimum, misi. Sed deprehendi ipsum aliosque patronos frigidiores et tardiores. Itaque denuo abiepto redeundi consilio coepi peregrinari: post annum vero Hamburgum reversus, ibique per septennium fere moratus, consultissimum iudicavi tandem huc secedere, et vel putare patriam quamcunque Regis Nostri ditionem, vel per ambages quasi quaerere et consequi gratiam illam modo significatam, licet iam sexagenario minus fortassis, ob modicum utique quod superest vitae, necessariam. Eo autem fine cogitavi in publicum hic, si liceat, emittere meditationes meas philosophicas in loca quaedam M. Antonini Imp. ubi agit de vita, quae secundum imaginationem, opiniones et affectus degitur; atque de altera iuxta rationem, quantum potest, perfectam degenda: easque Celsissimo Princi nostro Guilielmo dicare. Haec sunt, quae Magnificentiae Vestrae secreto indicanda existimavi, priusquam in conspectum eius venirem: ut integre matureque de causa mea, et quid facto opus sit, iudicet. Hospitor apud viduam Cordes, in platea, nisi fallor, quae vocatur Pistorum: unde, dum libet et vacat, accersiri rogo, ne intempestivus veniam, et graviora negotia interpellem. Magnificentiae Vestrae humillimus servus et cultor, Ioan. Robeck. Rintelii, die 3. Maii, 1734.*

Fide dignissima sunt, quae addidit, Illustrum et gravissimorum Virorum testimonia, de natalibus, religione, et ordine. Discimus inde, eum Idibus Septembris MDCLXXII [die 13. Septembris, 1672]. natum esse Calmariae, urbe ad mare Balticum sita, commerciorum frequentia et fortalitio per celebri; patre civitatis illius primario Consule, MATTHIA ROBECK. Eumque non solum illustri ea familia ortum; sed ortum quoque ex honesto et legitimo thalamo, et Christianorum sacris in patria statim initiatum esse, docemur, auctoritate simul publica vel ideo scriptum, ne quis forsan illi obscuritatem originis, tanquam aliquod fortunae impedimentum obiicere possit. Ab ineunte aetate liberalioribus disciplinis institutus, et eruditus, in patria viris doctissimis valde familiariter usus est, eaque ingenii cultioris specimina edidit, ut, si fortuna semper responderet meritis, ad summa quaeque natus esse videretur. Sed | aduersa efflorescenti gloriae fuit non res angusta domi, quae multorum conatibus obstat; sed morae impatientia,

[p. III]

et iuvenilis calor, qui ut plurimum non per gradus, sed per saltus sublimia petit. Quoquo se res habeat modo: noster offensus fortuna et ingrata patria tandem excessit **moestus** animo fere perturbato atque incerto p<sup>r</sup>aegritudine. Relicta Suedia, vicinae gentis Germanorum expertus est fidem: quoad Hildesiam perveniret, ubi sapientiae, ut ipsi tum videbatur, ductus studio, Ignatii Loiolae sacro se associavit ordini, discipulus primo, deinde sacerdos. Etenim pontificiorum denuo initiatu*s* sacris, *Reverendissimo Rhodiopolitano Episcopo et Vicario Apostolino, Domino MAXIMILIANO HENRICO IOSEPHO, eiusque sacellano, CONRADU*m* HEISTERMANNO, auctoribus, Nonis Martii MDCCV.* [die 7. Martii, 1705] praevio examine, idoneus ex praescrito et forma concilii Tridentini repertus, primam clericalem tonsuram in collegiata ecclesia B. M. Magdalene, prope aulam episcopalem solemni ritu accepit, atque in Domino ordinatus est. Hinc Viennam progressus, ut sodalitii piis quovis modo satisfaceret desideriis, ad expedienda maximi momenti negotia, Romam aliquoties ire iussus, nobiliores Italiae peragravit civitates, et visitans S. Mariae almam domum Lauretanam, FELICE FRIGIENI, S. I. in eadem alma domo **poenitentiario**, teste, IV. Kalend. Novembris MDCCX. [die 29. Octobris, 1710] sacramentum **poenitentiae** suscepit. Societatis suae rebus per Italiam prospere gestis, multisque difficultatibus superatis, Viennae redux honoribus aliis super aliis ornatus est. Anno enim reparatae salutis MDCCXII. [1712] *Eminentissimus atque Reverendissimus Dominus IULIUS S. R. E. Presbyter Cardinalis PIAZZA, CLEMENTIS Beatissimi PAPAE XI, ac Sedi Apostolicae, apud SACR. CAES. MAIESTATEM, per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, Croatiam, et universum Romani imperii districtum, cum facultate Legali de Latere, Nuntius, ex speciali commissione S. Congregationis de propaganda fide, eiusdem nostro congregationis alumno clerico, XVI. Kal. Iunii* [die 17. Maii], qui fuit tertius pentecostes, **quatuor** minores ordines contulit: eundemque VII. Kal. Octobris [die 25. Septembris], quae fuit Dominica post pentecosten undevicesima, ad Subdiaconatus; VIII. Idus Novembris [die 6. Novembris], post pentecosten dominica vicesima quinta, ad Diaconatus; III. denique Idus Decembris [die 11. Decembris], Adventus Dominica tertia, ad Presbyteriatus sacros ordines, in termisarum solemnia, promovit. Quanta fuerit ab eo tempore inter suos auctoritate, vel inde patet, quod *Reverendissimus Livoniae Episcopus, Dominus CHRISTOPHORUS ANTONIUS DE STUPOW SZEMBECK*, illi Presbytero dioecesis Livoniae constituto, Viennae Idibus Aprilis MDCCXIV. [die 13. Aprilis, 1714] potestatem fecerit, utriusque sexus Christi fidelium quovis tempore confessiones audiendi, eosque a peccatis et delictis, quae fuerint ore confessi, etiam in casibus sedi ordinariae, tam de iure communi, quam consuetudine generali, reservatis, in forma ecclesiae consueta absolvendi, et absolutionis beneficium in foro conscientiae, iniuncta illis pro lubitu et modo culpae **poenitentia**, impertiendi. Mense Septembri MDCCXVI. [1716] missionarium Apostolicum sacerdotem, ad missiones sibi destinatas Vienna proficiscentem, ipse *Reverendissimus Dom. GEORGIUS SPINULA, Archiepiscopus Caesareae, Sanctissimi Pontificis, CLEMENTIS XII. Praelatus domesticus et Assistens; S. Sedi Apostolicae apud S. C. MAIESTATEM, per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, Croatiam, et universum Romani Imperii Districtum, cum facultate Legati de Latere, Nuntius*, de meliori nota commendare non dignatus est, eumque virtutibus et meritis insignem singulari favore complecti, ratus fore, ut illum benigne excipiant omnes, sacrificium missae, ubi opus fuerit, ac ipse velit, celebrare sinant, ut missionarium denique Apostolicum congruo honore, ac omnibus humanitatis officiis prosequantur. Duobus lustris bene functus passim locorum sacerdotis officio, Westphaliae tandem nostrae salutavit provincias, et Osnabrigi III. Kalend. Novembris MDCCXXVII. [die 30. Octobris, 1727] id impetravit ab *Reverendissimo Domino IOHANNE ADOLPHO, Episcopo Flaviopolitano, per Septentrionem Vicario Apostolico, Serenissimi ac Reverendissimi Archiepiscopi et Electoris Coloniensis per civitatem et dioecesin Osnabrugensem suffraganeo et vicario in spiritualibus generali, cathedralis ecclesiae Hildesiensis Canonico capitulari, trans aquas Decano etc.* ut in domo Welgesbuttelana, prope Hamburgum sita et catholica, missae sacrificium celebrare, verbum Dei praedicare, et utriusque sexus Christi fidelium confessiones excipere, eosdem **poenitentes**, iniuncta prius salutari **poenitentia**, ecclesiae forma consueta, et in foro duntaxat conscientiae, absolvere, aliaque munia pastoralia exercere libere ac licite potuerit. Ast ille tandem vitae satur, | ad se rediit, suaque opera, ut a negotiis procul, philosophus, ut plurimum Zenonis castra secutus, in concinnandis libris abuti posset, ineunte Maio, MDCCXXXIV. [1734] Rintelium Hamburgo discessit. Caussas ipse literis significavit mihi, suamque coram profecto non vulgarem Latinis Graecisque artibus doctrinam, civilem prudentiam, mores, eruditionem, statuum notitiam, multarum rerum ex usu et

[p. IV]

[p. V]

consuetudine cum maximis quibusque viris experientiam ita probavit: ut, nisi munerae continui prohibuissent labores, insignem ex sermonibus eius voluptatem atque temporis bonam usuram capere potuerim. Semel iterumque de rebus literariis me convenit rogatus domi. Semel iterumque bibliothecam acadiae perlustravit publicam, non oculo conniventi: meliores enim Romae vidit atque Viennae: sed auctorum aliquot, quos, ut magna fuit viri modestia, noluit accipere mutuos, assidue notavit, quibus illi fuerat opus, loca. Aliquoties me publice orantem audivit. Neque sacris interfuit saepius. Suo semet sepelivit quasi museo; literarum studiis detentus adeo, ut annuo et longiori temporis spatio, secum habitans, in publicum processerit nūquam. Fuerunt tamen, ut sunt vulgo homines ad contrahendum aes alienum proni, qui eius cum attenterint nummulos, nec solvere debitum vellent rogati: XVIII. Kal. Maii MDCCXXXV. [die 14. Aprilis 1735] supplices dedit ad Virum Magnificum, Dominum IOH. ENGELH. STEUBERUM, in academico magistratu Successorem, Civem, Cognatum, et Collegam mihi coniunctissimum, literas sequentes:

*Reverendissime et Magnifice Domine Rector. Impetum, quem aliquoties cepi adeundi, et coram, ea qua decet veneratione, officiique ac obsequii professione, alloquendi Magnificentiam Vestram, semper aliquis animi corporis languor repressit. Et quoniam, ut accepi, et nomine saltem, et patria sum notus quamvis vivens hic latenter; atque cum aliis Ipsa fortassis Magnificentia Vestra fortassis miratur, et quandoque quaerit; quid hic agam, et unde honeste vivam: ad prius respondebo: exspecto et meditor mortem, fragilitatem vitae humanae, studiorumque humanorum vanitatem. Ad posterius: attuli tecum quantum posset per triennium fere sufficere seni, parce viventi: nisi, quod non spero, vel inconsulta mea alios iuvandi propensio, vel aliorum ad contrahendum aes alienum propensorum blanda importunitas, meas rationes conturbaverit. Nunc paucis id etiam dicam, etc.*

[p. VI]

Cum literis | caussam, ipse enim tum fuit febri correptus ardent, ad me detulit ACADEMIAE RECTOR. Sed philosophus Suedus, ita eum vocare consuevui, paucis post diebus, quod obstupesces, ad me scripsit ita:

*Ante annum et mensem veni, Te Ipso Rectore, brevi discedam, Prorectore, ultimamque, opinor, peregrinationem instituam, atque ut omni fere priore vita, ita eius iam ad LXIV. paene annum protractae fine implebo pressiore sensu communem humanae conditionis sortem. Utique enim omnes sumus hic in terris peregrini, nec habemus civitatem manentem. Sentio indies deficientibus viribus invalescere corporis animique aegritudinem, et morbum mihi aequalem, naturalem, et fere quotidianum, ex redundantia, ut puto, atrae bilis. Itaque, ut alias, et ut aegri, praesertim huiusmodi solent, mutationibus locorum, tanquam remediis, utor; quamvis sciam me morbum quounque tecum transferre. Sed iuvat quandoque seipsum spe etiam tenui et incerta decipere, lenireque malum, quod alte insidet et tolli nequit. Praeterea nihil, ait ille, accidere valde grave potest iis, qui spe iam propinqua mortis quietisque futurae recreantur et aluntur. Ceterum discedens, ut depositis quasi sarcinis sim expeditior, et relictis, quae mihi supersunt, ubi poterunt fortassis prodesse, quietior et animosior, relinquam bibliothecae academicae plerosque quos attuli libros, paucos quidem, et extenuatos, sive inutili illa, imo iter facient ob impensas aliaque damnosa crassiorum involucrorum mole privatos, sed non malos, ut puto, et spernendos. Relinquam etiam quaedam manuscripta cum XC. florenis, vel pluribus, si possim mutuam quam — aliisque dedi pecuniam brevi, ut promiserunt, recipere. Haec ideo, ut si forte publica luce non indigna visa fuerint, et Magnificentia Vestra dignetur primum vel libellum, vel tractatum praefatione quadam (ut saepe fit factumque, auctoribus novis, ignotis, obscuris) honestare, fideique et auctoritate nominis sui sublevare; re tamen non succedente typographus praestetur indemnus. Quod si forte caussa quaedam gravior vetet Magnificentiam Vestram nomen suum hic publice profiteri; dignetur saltem (nam mihi nec mens, nec animus suppetit) agere cum typographo Lemgonensi, vel alio, eique una cum pecunia, quam sum daturus, omnia simul manuscripta tradere, ut sensim in uno alterove, donec non sit metus damni, periculum faciat. Addo indiculum et finio. Magnificentiae Vestrae servus humillimus, Ioan. Robeck.*

*Indiculus librorum.*

*In Folio.*

[p. VII]

1. *Le grand | Dictionnaire Historique de Morery tom. 4. vol. 2.*
2. *Laertius Diog. Gr et. Lat. cum notis. Henr. Stephani, utriusque Casauboni, Aldobrandini et Menagii.*
3. *Stobaei Sententiae Gr. et Lat.*
4. *Magiri Florilegium. Liber hic cessit Bibliothecario, quod nitidum eius in publica Bibliotheca iam esset exemplum.*
5. *Scapulae Lexicon.*
6. *Theodoreti curatio Graecarum affectionum Gr. et Lat.*
7. *Lohmeyeri Tabb. Genealog.*
8. *Gordoni opus Chronolog. interiecta fragmenta quaedam meliora ex Chronologia Alstedii. Item Reimmanni Conspectus Historiae.*
9. *Plutarchi Parallelia Graece. Vetus editio Froben. Basil. 1560.*
10. *Eadem Latin. interprete Xylandro.*

*In Quarto.*

1. *Bibliorum vetus et nova versio cum annot. Fr. Vatabli.*
2. *Ariae Montani Antiq. Iud. libri 9. Pleraeque figurae suni separatae, et linteo agglutinato bene munitae, una cum tabula nona Palaestinae. Item Leonh. Christ. Sturmii accurata descriptio et delineatio templi Salomonis et Ezechielis.*
3. *Phil. Cluverii Geographia cum additamentis Bunonis, Reischii, et seorsum Hekelii. Tabulae separatae et charta firmatae inveniuntur, cum Lambecii Tabb. Synopticis in Cluver. Item Vlasblom Universum Totale etc.*
4. *Du Hamel operum Philos. Tomus 1. et 2.*
5. *Veslingii Syntagma Anatomicum.*
6. *Gassendi Syntagma Philosophiae Epicuri.*
7. *Ciceronis opera, cum notis Gothofredi.*
8. *Vossii de Theol. Gentili et Phys. Chrift. liber 3. et 4. Librum 1. et 2. quia summa eorum quavis historia poetica contineri videbatur, nolui apportare.*
9. *Aristotelis Ethica ad Nicom. Gr. et Lat. cura Rachelii.*
10. *Xenophontis de dictis et factis Socratis libri 4. Gr.*
11. *Aeneas Gazaeus et Zach. Mitylenaeus Gr. et Lat. cum notis Barthii.*
12. *Claubergii Metaphysica.*
13. *Hartschmidius et Langius de immort. animae etc.*
- 14.
15. *Vossius de Sectis Philos. cum continuatione Rysselii.*
16. *Gentzkenii Hist. Philos. Pneumatologia, Physica, etc.*
17. *Hauemannii Geometria.*

*In Octavo.*

1. *Plutarchi Moralia Tomi 4.*
2. *Maximi Tyrii Dissertationes 41. cum interpretatione et notis Heinsii. Item Alcinous de Doctr. Platonis etc.*
3. *Plautus Phil. Parei.*
4. *Gassendi institutio Astron. Gal Galilei Nuncius Sidereus, et Kepleri Dioptrice.*
5. *Sthalii Regulae Phisos.*
6. *Fr. Vallesius de S. Philos.*
7. *Greidanii Institut. Phys.*
8. *Gauterii Theol. Didactica.*
9. *Koenig Theol. posit. acroamatica.*
10. *Abelly Medulla Theolog.*
11. *Dan. Parei Lexicon Lucretianum.*
12. *Johnsoni Lex. Chym.*

[p. VIII]

13. *Castelli Lex. Medicum.*
14. *Franci de Frankenau Lex. Herbarum.*
15. *Histoire dela Conquete du Mexique.*
16. *Boethius de Consol. / Philos. cum notis Sitzmani.*
17. *Gronovius de Sestertiis. it. Hosti enumeratio veterum nummorum.*
18. *Rutilii Itinerarium.*
19. *Georg. Fabricii Antiquitatum libri 3.*
20. *Ocellus Lucanus.*
21. *Greg. Nazianzeni poemata selectiora.*
22. *Il Pastore della Notte buona di Palafox.*
23. *Schickardi Insti. linguae Hebr.*
24. *Leusdeni compend. Bibl. V. Test.*

*In Duodecimo.*

1. *Opiti Biblia parva Hebraeo-Latina.*
2. *Liber Psalmorum Hebraeo-Lat. Leusden.*
3. *Buxtorsii Manuale Hebr. et Chald.*
4. *Epitome Adagiorum Erasmi Rot.*
5. *Pomey Candidatus Rhetor.*
6. *Sturmii Phys. Conciliatrix.*
7. *Glissonius de ventriculo et intestinis.*
8. *Charletoni Oeconomia animalis.*
9. *Grotius Enucleatus.*
10. *Luciani dialogi selecti.*
11. *Lipsii Politica: monita et exempla: Philos. et Phys. Stoica.*
- 12.
- 13.
14. *Galtruchii institutio totius Mathem.*
15. *Eiusd. Historia Poetica.*
16. *Schoteni Trigonometria cum Canone Sinuum etc.*
17. *Dav. Christ. Geogr. generalis.*
18. *Suetonius cum notis Boxhorn, etc.*
19. *Herodianus, Aelianus, Heraclides.*
20. *Senecae Tragoediae, Iuvenalis et Persii sat. cum notis Farnabii.*
- 21.
22. *Ovidii Metamorph.*

*Praeter hos sunt alii nonnulli libri er libelli.*

*Indiculus Manuscriptorum.*

1. *De Ratione, Lege Nat. et Virtute.*
2. *De solo hominis bono, honesto, et ex eo vita beata.*
3. *Meditationum Philos. in verba M. Anton. Imp. Βίον ὑπόληψις,*
  - I. *De imaginatione humana.*
  - II. *De opinionibus s. erroribus; et fallaciis imaginationis.*
  - III. *De aliis fallaciis, et de rationibus infirmis ac vitiosis.*
4. *Meditationes tres:*
  - I. *De Hegemonico Stoicorum.*
  - II. *De affectibus Stoicis, s. moribus Hegemonici, vel animi contra aut praeter rationem.*
  - III. *De Sapiente affectibus vel moribus illis vacuo.*
5. *De providentia, fato, et libertate, iuxta decreta Platoniconum et Stoicorum.*

6. *De εὐλόγῳ ἔξαγωγῇ, s. morte voluntaria, praesertim philosophorum et bonorum virorum: item Iudeorum et priscorum Christianorum.*
7. *De vita fidei rationalis, s. Rationis lumine fidei opeque adiutae.*

Accedunt libri eius Msti

8. Compendium et memoriale biblicum.
9. Historiae universalis compendium.
10. Miscellanea philosophica.

Conditionem accepi: miratus philosophum non modo suos relinquere libellos, verum et omnes sua manus scriptos codices, studiorum et eruditionis monumenta, laboris exantlati thesauros, homini tradere sibi prorsus ignoto. Inita mox longae peregrinationis ratione ac difficultate, docti viri fata opinatus sum potius accusanda fore: quae ne divitiarum aliquando nos patiantur nostrarum esse compotes: ut optimo consilio et maximorum quorumque hominum exemplo κεψήλια sua publico destinaverit custodienda universae eruditionis aerario. Utensilia, vestes, alia ali ex civibus academicis commisit, pauperibus distribuenda, simul atque suos in publicam academie bibliothecam transferendos libellos. Ipse opera sua mihi tradidit MSta, pro lubitu vel edenda, vel emendanda, vel reponenda. Quandoquidem vero aliquod constituerim iuris facere publici, quod sibi non liceret, in his terris vel exuli, vel hospiti, laetus exultansque viginti solvit ducatos, additis nominibus, ut praeter eos acciperem triginta et sesqui florenos. Propediem addidit sibi faciendum iter Bremam, inde Emdam: ubi exspectandum sibi num liceret in patriam reverti, an vitam fortassis in Belgio finire. Nihil praeter exiguum ad custodiendas vestes secum ferre cistam: quam, nisi commoda fuerit transportandi occasio, ad me remissurum Brema. Principum et Cardinalium ecclesiae suae Virorum exhibuit commendationes atque testimonia. A me vero academie nomine propter viam atque per aliquot menses in civitatibus promovendum iter accepit literas, et brevi post festum pentecostes profectus est. XII. Kal. Quintilis [die 26. Iunii] remisit, ut dixerat, cista involuta cum aliquot libellis et vestibus compendium, et memoriale biblicum MStum, eo artificio et adiumento memoriae compositum, ut voces ligatae literis distinctae, et iuxta ordinem alphabeti positae ordinem ac numerum capitum cuiusque libri indicent.

*Quod ad ceteras res varias, scribit, et nonnullas exigui pretii (quae saltem implementi, aut complimenti loco includendae fuerant, ne in grandiori vacuo omnia imitarentur atomos Epicureas, et in itinere praesertim iactata ac circumvoluta acrius cum laesione aliqua in sese impingerent) si nulli alii sint usui, dentur honestis pauperibus, quibus alia quaedam reliqui apud Dn. Boedeker. Id malo, quam quidquid fuerit regularum mearum, etiam vilissimarum, concedere Harpyis, circumscriptoribus et circumscriptricibus, qualis, ni fallor — Possem indicia quaedam malae fidei — proferre: sed facio ipsi gratiam silentii. Habeat sibi et possideat sicut acquisivit. De MStis meis faciat Magnif. Vestra, quemadmodum publico, sibi, et mihi expedire iudicaverit. Nihil aliud nunc occurrit scribendum. Spero ea, quae mitto, salva et integra ad Magnif. Vestram perventura. Volui impensas omnes solvere Rintelium usque: sed per magistrum et institutum postae, ut vocant, id fieri nequit. Finio Magnif. Vestrae humillimus cultor et servus, I. R. Bremae d. XVII. Iunii MDCCXXXV. [die 17. Iunii, 1735.]*

Philosophum esse praedivitem credebam, qui Bremae, ad res sibi denuo comparandas, ab suis pecuniae acceperit, quantum satis, Sed a viris fide dignis, atque ex ipsis Bremensium literis, intellexi, mox illum nitide vestitum naviculam solvisse, eaque solum, ad spectantium usque horrorem, abiisse, tandem tribus infra Bremam milliaribus mortuum in Visurgi flumine repertum, atque in vicino, cuius mihi excidit nomen, pago sepultum fuisse. Docti viri tum demum coepi deplorare fata: et operae duxi pretium, ex operibus, quae vivens valensque meo permiserat arbitrio, ut starem promissis, philosophiae illam, fortassis auctori funestam, de morte voluntaria partem, non sine meis tamen animadversionibus, cum orbe literato communicare. Institutum nostrum, quod mature non dubitavi scedula significare doctis, non unius modi magnorum sequebantur iudicia virum. Opusculum non esse invidendum posteritati, etiamsi aliena nihil adderetur manu. Sapientibus et puris insipiens nihil atque impurum. Ab indoctis, aut malis nullum fore periculum: quod hi sua sponte, nec praevia libri cuiusquam lectione, ad scelera proni: illi ne libros legere quidem, aut intelligere queant. Animadversiones alii desiderabant, sed viri solide docti,

[p. IX]

[p. X]

et vere philosophi. Imparia tanto negotio Funcii fore studia. Vix illum suis sufficere opusculis. Ohe! clamitant alii, impium facinus, hodie scriptis αὐτοχειρίαν fovere, cum tristia intra breve tempus tria doctorum doceant exempla, quam commune istud illis malum fieri coeperit. Exempla distrahenda esse nulla. Ne nomen ephemeridibus quidem audiendum. Interea temporis ego sua cuique facile patiebar esse pulchra, et operam aequitati navere studebam: ne quis, re bene perspecta, conqueri de me merito possit. Fidem liberavi post fata viri, quam illi, dum viveret, adstrinxisse non poteram negare; aut meis votis efficere, ut opusculum hoc qualecunque Doctiori aut Graviori auctoritate Viro exasciandum perpoliendumve committeretur; et auctoris voluntati fieret satis. Quod per me quidem facile cuique licere potuisset: nec me meam operam, ut fieri videmus aliquando, non satis honesto more, cui quam obtrudisse recordor. Statum est libello pretium, quod, nisi quis solvere ultro cupiat, desiderabit nemo. Vitia saepe dum vituperantur, ante incognita se mentibus incautis opinato citius insinuant: ut tacuisse, quam istorum turpitudinem descriptsse praestaret. Robecius vero post multos alias demum de morte voluntaria sententiam profert: quam in continenti, quoties videbatur esse opus, nostris animadversionibus notare non dubitavimus. Fateor, inquam, periculosae plenum esse opus aleae, sugerere quicquam aegris mentibus, quod enutrire, probare certe, possit aegritudinem: aut patrocinari aliquo modo sceleri: ut iuris, quod iniuria et malitia fieri videtur, prae se ferat speciem. Facinora qui anhelant iniqua, secum adeo nunquam redeunt in gratiam, ut saniora admittant consilia, ferantque diu suadentibus alia: illud vero ambabus arripiunt ulnis, quod sibi favere, suisque vitiis alimenta praebere sentiunt. Haud ergo ab re dubitat GUNDLINGIUS iur. natur. c. 6. 11. an prudenter disputetur contra autocheires. Et MORHOFIUS polyhist. lit. I 6 c. 4. §. 18. miratur, virum doctissimum et pluribus scriptis inclutum, IOHANNEM DONNE, ecclesiae S. Pauli apud Londinenses Decanum, scripsisse librum, cui titulus: βιαθάνατος: that Self-murder is not so naturally a sin, that it may never be otherwise: ut αὐτοχειρίαν certis in casibus licitam quoque esse demonstraret. Editus quidem est liber demum post mortem auctoris, qui serio deprecatus est, atque prohibuit, publici illum fieri iuris, dum viveret. Prodiit vero Londini 1648. 4. Ac multis adeo se statim probavit: ut exemplis deficientibus secundo Londini 1664. inprimeretur. Sed tristi effectu; quod brevi post eius libri editionem haud pauci lectione istius assidua ad mortem voluntariam adacti fuerint. Unde scriptor anonymus opinionem hanc perniciosissimam ex animis hominum evellere conatus est alio libro, qui Londini 1653. 8. prodiit et inscriptus est: Pellicanicidium; or the Christian adviser against Self-murder: together with a guide, et the pilgrims pass to the land of the living. Pestiferum Iohannis Donne libellum IOH. ADAMI quoque alio de autocheiria scripto impugnavit. Hoccine vero male, aut inepte factum dixeris? Confer. HOCHSTETTER in collegio Pusendorfiano exerc. 3. §. 3. pag. 220. Neque, si recte memini, peccarunt, qui data opera de voluntaria morte scripserunt: ut insanos aliorum conatus reprimerent. Laudantur passim dissertationes, quae prostant,

POSNERI περὶ τῆς αὐτοχειρίας, Ienae 1657.

RACHEL de morte voluntaria, Helmst. 1659.

IOH. FRID. WITZLEBEN de autocheiria, Lipsiae 1702.

ROEHRENSEE de autocheiria subtili, Wittebergae 1702.

REINHOLDI STURMER de caede propria, Regiom. 1702.

CI. HEUMANNUS de autocheiria philosophorum, Ienae 1703.

DAEGENER de autocheiria, Lipsiae 1715.

HENR. CORN. HECKER de αὐτοχειρίᾳ martyrum, Lipsiae 1720.

Nec praetermittunt hanc materiam, qui de iure naturae, moribus, et conscientiae casibus, immo et dogmatica aut elenctica tradiderunt theologi nostri. vid.

AUGUSTINUS de civit. Dei lib. 1. passim alibi.

LACTANTIUS divin. instit. 1. 3. c. 18.

CHRYSOSTOMUS comment. in cap. 1, ad Galat.

LIPSIUS manuduct. ad philosoph. Stoicam lib. 3. dissert. 22. et 23.

GROTIUS de iure belli et pacis l. 2. c. 19.

OSIANDER in observ. ad Grot. p. 1103.

KULPIS in collegio Grotiano p. 108.

[p. XI]

[p. XII]

VELTHEM introd. ad Grot. p. 1245.

WILLENBERG in sicilim. iur. gent. prud. l. 2. c. 19. §. 13. seqq.

PUFENDORF de officio hominis et civis l. 1. c. 5. §. 4. iure natur. et gent. l. 2. c. 4. §. 17. seqq.

HOCHSTETTER collegio Pufendorfiano exercit. 5. §. 3.

GRIEBNER iurisprud. natur. l. 1. c. 3. §. 2.

WERNHER element. iur. nat. c. 9. §. 6.

DANNHAUER colleg. decalog. disp. 12. §. 12.

VOETIVS disp. select. volum. 4. pag. 244. seqq.

STRYCK disp. de iure hominis in se ipsum.

ZIMMERMANN analect. miscell. menstr. ag. 196. seqq.

KOCH observat. miscell. tom. 2. p. 832.

BUDDEI instit. theolog. moral. part. 2. c. 3. sect. 3. §. 16.

Item de erroribus Stoicorum in philosophia morali dissert. 4. analect. hist. philos. THOMASIUS iurispr. divina l. 2. c. 2.

CHRISTIANUS EBELINGIUS iurisprud. decalogica pag. 353. seqq.

MART. CHEMNITII loc. theol. part. 2. pag. 191. seqq.

WALCHI lex. philos. tit. *Selbst-Mord*.

Alii, quos enumerare longum est. Liceat ergo mihi disputare de illis rebus, quas tot tantique viri suis libris non dubitarunt pertractare. At pestiferum, inquiunt, libro, publice quasi, voluntariam mortem aegris mentibus commendare. Illud ergone pestiferum eveniat, pestiferum esse, iuvat multis rationibus docere. Non nova philosophi nostri sententia, non insolens atque inaudita. Stoicorum decretum assertumque hoc est, sapientem sumere aliquando mortem posse, immo debere: scilicet mala [p. XIII] si tanta fuerint, ut ea sapiens vel non possit, vel non debeat sustinere, cogi eam mortem sibimet inferre, atque ex hac vita emigrare. Vita enim illis atque mors ipsa res inter indifferentes esse solet: quae sumi, aut non sumi possit, prout istud oportunitas postulat. Sicut, aiunt, a convivio satur surgere et abire potest; sicut ludum, cum libet, relinquere licet: ita, si quando commodum, sapiens e vita discedere didicit. Neque interest multum, inquit SENECA epist. 69. Mors ad nos veniat, an ad illam nos. Illud imperitissimi cuiusque verbum falsum esse tibi persuade: bella res est, mori sua morte.

Epist. 117. Nihil mihi videtur turpius, quam optare mortem. Nam si vis vivere, quid optas mori? Si non vis: quid Deos rogas, quod tibi nascenti dederunt? Nam ut quandoque moriaris, etiam inulto positum est: ut cum voles, in tua manu est. Alterum tibi necesse est, alterum licet. Turpissimum his diebus principium diserti mehercules viri legi: ita, inquit, quam primum moriar. Homo demens, optas rem tuam. Ita quam primum moriar. Quam primum istud, quod esse vis? Quem illi diem ponis? Citius fieri, quam optas, potest. Imbecillae mentis ista sunt verba, et quae sequuntur.

Confer. epist. 12. 24. 58. 70. et 77. Rationem causamque moriendi iustissimam habent, si quid externum evenerit, ut aut honeste, aut utiliter vivere nequeant. Sic honeste negant potuisse vivere Catonem, utiliter Atticum et ceteros, qui in extremo senio aut morbo constituti.

Eam in rem LUCRETIUS lib. 3. v. 958.

‘quid tibi tanto operest, mortalis, quod nimis aegris  
luctibus indulges? quid mortem congregis ac fles?  
nam si grata fuit tibi vita anteacta priorque  
et non omnia pertusum congesta quasi in vas  
commoda perfluxere atque ingrata interiere,  
cur non ut plenus vitae conviva recedis  
aequo animoque capis securam, stulte, quietem?  
[...]’<sup>a</sup>

<sup>a</sup> LUCR. 3, 933–939 ed. Bailey.

Illis vita est quasi tunicula, quam, si stringit, ut ipsis videtur, et molesta est, abiciunt; aut exuunt, si minus decora. Ajax apud Sophoclem:

αἰσχρὸν γάρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρήζειν βίου,  
κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἔξαλλάσσεται.<sup>b</sup>

Nam turpe vitam diutinam viro peti,  
Malis cum quae liberatura haud fiet.

Post pauca:

ἀλλ’ ἡ καλῶς ζῆν ἡ καλῶς τεθνηκέναι  
τὸν εὐγενῆ χρή. [...]<sup>c</sup>

Sed aut honeste vivere, aut statim mori  
Generosum oportet.

Procul dubio veterum **ICtorum** maxima pars castra Stoicorum sequebantur: unde adeo mirandum non est, etiam in corpore iuris elegantissimo quaedam superesse fragmenta, quae licentius de sui ipsius caede loquuntur: de quibus in primis consulendus est Perillustris Vir, atque politioris stator iuris prudentiae, Dn. CORNEL. VAN BYNKERSHOEK observ. iur. Rom. I. 4. c. 5. Contrarium nuper docere frustra conatus est in Wittembergensi academia Iuris consultissimus Dom. CHRISTOPH. LUD. CRELLIUS observ. ad I. 3. D. de bonis eorum, qui ante sententiam sibi mortem consciverunt. Neque solum Stoici, sed ipse plato de legibus lib. 9. ille, qui validus Stoicorum adversarius esse creditur:

Τὸν δὲ δὴ πάντων οἰκειότατον καὶ λεγόμενον φίλτατον ὃς ἂν ἀποκτείνῃ, τί χρὴ πάσχειν; λέγω δὲ ὃς ἂν ἔσυτὸν κτείνῃ, τὴν τῆς εἱμαρμένης βίᾳ ἀποστερῶν μοῖραν, μήτε πόλεως ταξάστης δίκη, μήτε περιωδύνωφ ἀφύκτῳ προσπεσούσῃ τύχῃ ἀναγκασθείς, μηδὲ αἰσχύνης τινὸς ἀπόρου καὶ ἀβίου μεταλαχών, ἀργίᾳ δὲ καὶ ἀνανδρίας δειλίᾳ ἔσυτῷ δίκην ἀδικον ἐπιθῇ.<sup>d</sup>

Quid si autem aliquis maxime propinquum et familiarem interficerit, i. e. se ipsum? Hunc tales damnamus, et probris afficimus, quae sequuntur: si tamen fecerit, neque civitatis decreto iussus, neque intolerabili aliquo et inevitabili fortunae casu adactus, neque ignominia paupertatis, et non sustentandae vitae, adductus.

Excipit damnationem publicam, qualis in Socrate et Seneca fuit. Excipit quoque graves casus, et extremam sive paupertatem, sive ignominiam. Ad quae capita haud difficulter reliqua referri possunt. Culpat dumtaxat eum, ὃς ἀργίᾳ δὲ καὶ ἀνανδρίας δειλίᾳ ἔσυτῷ δίκην ἀδικον ἐπιθῇ: qui ignavia, et timidi animi imbecillitate, iniustum sententiam in se tulerit, aut exsecutus sit. Quid, quod maior PLINIUS hist. nat. I. 2 c. 63. terram matrem, nostri misertam, etiam venena instituisse affirmat: ut facillimo haustu, illibato corpore, et cum toto sanguine extingueremur.

Et LIVIO teste lib. 30. c. 15. regio more, sub custodia fidelissimi alicuius servi, ad incerta fortunae venenum esse consuevit.

Et Demosthenes, teste in eius vita PLUTARCHO, semper eo fine secum habuit venenum, Gymnosophistae item semet occidere, laudi ducebant. [p. XV] LUCANUS lib. 3. vers. 241. Eosque imitatus est philosophus ille, Peregrinus nomine, cuius mortem LUCIANUS graphice describit. Scoici id mortis genus, quod secundum opinionem ipsorum iuste honesteque fiebat, εὑλογον ἔξαγωγὴν vocabant: quod opportune, et commoda ratione sic educerentatque liberarent animam suam: cum scilicet, ut CICERO Tusc. quaest. I. 1. de Socrate et Catone loquitur, causam exeundi aliquis nactus est, aut potius, cum Deus iustum causam dederit. Hinc VARRO librum inscripsit περὶ ἔξαγωγῆς; et DIOG.

<sup>b</sup> Sophocles, Ajax 473–474 ed. Lloyd-Jones/Wilson.

<sup>c</sup> Sophocles, Ajax 479–480 ed. **Lloyd-Jones/Wilson**.

<sup>d</sup> Plato, Leges 873 c ed. Burnet.

LAERTIUS in Zenone: εὐλόγως τέ φασιν ἔξαξειν ἐαυτὸν τοῦ βίου τὸν σοφὸν etc.<sup>e</sup> Chrysippus, apud STOBAEUM in eclogis, καθηκόντως ἔξαγωγὴν hanc fieri asserit.<sup>f</sup> Epictetus vero apud Arrianum dissert. 1. cap. 9. et 24. ianuam dixit apertam, ή θύρα ἥνοικται. Cordationibus nefandum hoc scelus αὐτοχειρία, vel αὐτοφονία; et homicidae αὐτόχειρες, αὐτοφόνοι, αὐτοφονεῖς, αὐτοθάνατοι, vocantur. Latine VERGILIUS Aeneid. 6. eleganti periphrasi dixit,

[...] qui sibi letum  
insontes peperere manu lucemque perosi  
proiecere animas. [...]<sup>g</sup>

Nullam constat fuisse tam absurdam opinionem, quae suos defensores non habuerit. Neque adeo mihi videtur mirum, et αὐτοχειρίαν suos invenisse patronos. Praeter illos supra memoratos, LAYMANNUS et LESSIUS fuerunt, qui eam legibus naturae adversari negarunt. Meminit eorum ZIMMERMANNUS analect. Miscell. menstr. p. 197. Sic et voluntariam mortem commendat JEAN DU VERGIER DE HAURANNE: Abbas de S. Cyran, edito libro, quem inscripsit: *Question royale, ou est montré, en quelle extrémité, principalement en tems de paix, le sujet pourroit être obligé de conserver la vie du prince aux dépens de la sienne. a Paris 1609.* 12. STOSCHIUS, concordia rationis et fidei, sive harmonia philosophiae moralis et religionis Christianae, qui liber, nisi mentiatur titulus, Amstelodami prodiit 1692. 8. cap. 8. de officiis hominis erga se ipsum, si §. ult. pag. 69. ad quaestionem, an homini certo casu vietam abrumpere liceat, respondet, regulariter hominem a morte abhorrere, sed si vita morte acerbior et intolerabilior sit, non posse non malum maximum effugere, nec eo ipso contra rationem agere, et ex duobus malis, sive mortis generibus recte eligere minus acerbum, placideque ut obdormiscat, efficere. Et additamencis suo quibusque loco inserendis pag. 19. hoc [p. XVI] annectit: sic ad effugiendum lanienam crudelis hostis licet in fluvium se procere; et opio dolores corporis mitigare, etsi eo ipso probabiliter vita brevior reddatur. Quoniam enim Deus movet homines per ideas boni et mali, sive per voluptatem et dolorem, probabile est, Deum per intolerabiles cruciatus animi vel corporis quosdam a statione vitae avocare.

EBELINGIUS noster iuris prud. decalogica pag. 354. monet, reperiri quoque inter moralistas viros, alias sua laude satis dignos, qui licitum esse defenderunt, ad evitanda mala temporalia, v. gr. aegritudinem, internam afflictionem, paupertatem etc. mortem exoptare: inter quos numerat *Sotum, Sanchez, Diana, Iacob Granada*, qui sententiam suam in sacris bibliis quoque fundatam opinentur: provocantes ad exempla Eliae, 2. Reg. 14. 4. et Ionae, eius cap. 4. Nulla quaestio de illis est, qui alicuius morbi incognita vi atque furore ad voluntariam mortem adiguntur. De ea occulta vi morbi aut furoris, ad interitum praecipitio cogentis, exempla plurima vide apud LUL. BISCIOL. horar. subsecivar. lib. 3. c. 3. Quamvis ego nullus dubitem, nisi extrema accedat calamitas, plerisque melancholici furoris aliquid adhaerere, qui semet ipsos trucidare non verentur. Eum enim insanire oportet, ac sui, suorum, cuique creatoris ac servatoris oblivisci: qui miseriarum aeternaturis cruciatibus atque adeo funesto sibi exitio finem facere student. Sunt qui nulla fere calamitate adacti, aut levissimis causis manus sibi inferunt. Nec illos Stoici ullo modo probare possunt. Recte SENECA epist.4. mors ex frivolis causis contemnitur. Alius ante amicae fores laqueo pependit; aliis se praecipitavit a tecto, ne dominum stomachantem diutius audiret; aliis ne reduceretur e fuga, ferrum adegit in viscera. Amasiorum mortem, nec veram, partis adamatae exitium saepe exceptit. Ex OVIDII metamorphosi triste Pyrami et Thisbae, Babyloniorum iuvenum forma et virtute illustrium, vulgo innotuit fatum. Simile prorsus infortunii

<sup>e</sup> Diogenes Laertius, Vitae philosophorum, 7, 130 ed. Long.

<sup>f</sup> Joannes Stobaeus, Anthologium 2, 7, 11m, 69–75 ed. Wachsmuth/Hense; Chrysippus, Fragmenta morali 758 ed. von Arnim: Stobaeus ecl. II 110, 9 W. Φασὶ δέ ποτε καὶ τὴν ἔξαγωγὴν τὴν ἐκ τοῦ βίου τοῖς σπουδαίοις καθηκόντως <γίγνεσθαι> κατὰ πολλοὺς τρόπους, τοῖς <δὲ> φαύλοις μονὴν <τὴν> ἐν τῷ ζῆν καὶ εἰ μή μέλλοιεν ἔσεσθαι σοφοί· οὕτε γάρ τὴν ἀρετὴν κατέχειν ἐν τῷ ζῆν οὕτε τὴν κακίαν ἐκβάλλειν· τοῖς δὲ καθήκουσι καὶ τοῖς παρὰ τὸ καθῆκον <παρα>μετρεῖσθαι τὴν τε ζωὴν καὶ τὸν θάνατον.

<sup>g</sup> VERG. Aen. 6, 434–436 ed. Mynors.

exemplum de Italis, itidem iuventutis flore insignibus, narrat SCHUTZIUS reflexionibus politicis pag.  
43. seqq. Scilicet, quoties, ut IUVENALIS satyr. 6. v. 648. loquitur,

-- Rabie iecur incendente feruntur  
Praecipites, ut saxa iugis abrupta, quibus mons  
Subtrahitur, clivogue lacus pendente recedit,

[p. XVII] Inprimis zelotypia sexus utriusque tyrannis: quam ira comitatur et furor, quoad erroris incauti proprium ad exitium ruant. Exempla ubivis locorum sunt obvia. Ecquis res poterit omnes enarrare frivolas, quibus miseri homunciones succubuerunt. Pachus, Catonis senioris servus, cum tres puellas e captivis, quae sub hasta veniebant, **emisset**, eas domum ducere ab ero prohibitus, mortem sibi concivit. vid. PLUTARCHUS in Catone. Achitophel, qui Absalomo a consiliis, cum videret suae sententiam Chusai Architae praeferri, se ipsum domi suae laqueo necavit. 2. Reg. 16. et 17.

M. Cato Uticensis, aegre ferens Pompeium, cuius parcibus favebat, a Caesare superatum, lecto prius Platonis Phaedone de animae immortalitate, gladio incubuit suo; atque secundum Ciceronis sententiam, sic abiit de vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet plurimum. Et Caesar, eius audita morte, sibi a lacrumis vix temperavit, et se Catonis, dixit, gloriae invidere, et suae Catonem invidisse. Ab Utica, Africae urbe, in qua se occidit, Uticensis cognominatus est, et ubique veterum Romanorum monumentis celebratur.

Martius, illius filius, qui Numam Pompilium ad regnum Romanorum vocavit, ordine senatorio ornatus, cum post obitum Numae cum Hostilio in regni disceptationem venisset, ac repulsam accepisset, vita se privavit. vid. PLUTARCHUS in Numa.

Ajax, Telamonis filius, aegre ferens, mortui Achillis arma, quae supra modum appetebat, **Ulixi** data fuisse, in rabiem conversus, gladio incubuit. Inde apud OVIDIUM fabula, metamorph. lib. 11.

T. Labienus, qui et Rabienus a maledicendi rabie dictus, libris suis, cum decreto publico comburerentur, noluit supervivere, et spontaneam oppetiit mortem. vid. dissert. nostra de virili aetate Lat. ling. part. 2. cap. 1. §. 13.

Atque ut homuncionum omnibus summa pareret insania, Aristides, pauper rusticus, amissa ove et vacca, se ipsum de tugurio suspendit. vid. ANTIPATER epigrammatum Graecorum primo.

At, inquiunt clamitantque mortis voluntariae patroni, facinora haec mortalium nemo laudare potest. -- Distinguendum inter ea, quae sine ratione fiunt, et quae rationis **simulatq;** virtutis summae opus. Εὕλογον volumus ἔξαγωγὴν, et extremam ad interitum, vel ex hac vita educendum sese, necessitatem. Obsecro, quae illa necessitas et ratio moriendi? Evidem [p. XVIII] nullam esse video, nisi vocante Deo, rerum summo arbitro, penes quem solum ius vitae ac necis, adeoque solvente natura, quod, ad vitam, artissimo vinculo coniunxerat. Volente Deo, necessario vivimus: volente rursum Deo, necessario morimur: nec arbitrii nostri nostra esse fata, cotidie magis magisque experimur. Suum vero liberi arbitrii idolum venerantur id genus homines, incauti erroris: ac ne quid in summi Numinis pracepta impingere viderentur, cum voluntate divina cordis sui pravitatem et insanam libidinem, cum ipso Deo, non dicam rationem, sed vana mentis obfuscatae ratiocinia confundere saepius ac impio ore tremendi iudicis consilia calumniare non verentur. Sic faciunt **ne** intellegendo, ut nihil intelleganti: Mortis certam requirunt causam, qua sapiens commotus exire, non ausu temerario trahi videretur.

Ita Massiliae, ut et in insula Ceo, et aliis Graeciae locis, teste VALERIO MAXIMO lib. 2. cap. 6. n. 7. venenum cicuta temperatum publice custodiebatur, quod daretur ei, qui causas senatui exhibuerit, propter quas mors sit illi expetenda: cognitione virili, ut persuadebant sibi, benvolentia temperata, quae nec egredi vita cemere patiatur, et sapienter excedere cupienti celerem fati viam praebeat, ut vel adversa, vel prospera nimis usis fortuna, comprobato exitu terminetur.

Mortis voluntariae causas aliquot in vita Zenonis DIOG. LAERTIUS lib. 7. indicat, ubi: εὐλόγως τέ φασιν ἔξαξειν ἐαυτὸν τοῦ βίου τὸν σοφὸν καὶ ὑπὲρ πατρίδος καὶ ὑπὲρ φίλων, καὶ ἐν σκληροτέρᾳ γένηται ἀλγηδόνι ἢ πηρώσεσιν ἢ νόσοις ἀνιάτοις.

Iuste et cum rarione sapientem educturum se e vita dicunt, vel pro patria, et amicis, vel si in acerbis doloribus versetur, itemque in membrorum mutilatione, vel morbis aegre curandis.

Quae redeunt ad haec tria, patriae et amicorum salutem, animi atque corporis dolorem. De quibus inferius paulo notabimus plura. Iam vero satis patet, quamcumque illis probari mortis voluntariae causam. Ecquis enim sine doloribus et gravissima aegritudine animi saevas sibimet ipsi porerit inferre manus? Ut non eaedem mortalium omnium affectiones, non eadem vivendi ratio: ita nec omnibus eadem per vitam placere, vel displicere possunt.

optat ephippia bos piger, optat arare caballus.<sup>h</sup>

Similis ergo fuerit necessitas moriendi, ex spreto amore, ex ignominia et leviori iactura [p. XIX], illi, quam exinsanabili morbo, senectute, periculis imminentibus, et quae sunt alia, derivant. Solent in contrariam partem adduci exempla sanctorum: ut Samsonis, Iudic. 16. Rhasis, Maccab. l. 2. c. 14. Et feminarum, quae tempore persecutionis, ut insectatores pudicitiae devitarent, in rapturum atque necaturum se flumen proiecerunt: eodemque defunctae sunt modo: quarum martyria tamen in ecclesia Christiana celeberrima veneratione laudentur: ut docent EUSEBIUS hist. eccles. l. 8 c. 12 et 17. AUGUSTINUS de civitate Dei l. 1. c. 29.

De quibus consulenda est elegans HECKERI de autocheiria martyrum dissertatio. Philosophos, si recte sapiunt, contra rationem nulla prorsus hominum, qui simul omnes erroribus obnoxii, exempla movere debent. Provocant ad gentium moratiorum consuetudinem: quam negamus fuisse, nisi malorum, qui in omnibus populis et omnibus aetatibus fuerunt plurimi, homuncionum: quorum actiones utique et fata non imitari, sed deplorare debemus. Nec contra rationem multorum consensus valet. Aliam vero gentium moratiorum per orbem fuisse mentem, ex omni omnium temporum historia facile patet. Hebreai, teste IOSEPHO de bello Iudaico l. 3. c. 14 . miseros homunciones, qui sibimet ipsis mortem conciverant, abiecerunt inseptulos, ad solis usque occasum: cum etiam hostes sepeliri fas esse duxerint. Graecas inter gentes plurimae, atque in primis Athenienses consueverunt istis, qui sibimet ipsis vim intulerunt, qua credebatur scelus esse patratum, abscindere manum, eodem tumulo non sepeliendam. Confer. animadversiones ad Robecii tr. de morte voluntaria (sk) (tk) (uk) (xk) Et hoc ideo factum esse, IOSEPHUS de bello Iudaico l. 3. c. 14. iudicat, quoniam, ut corpus ab anima, ita manum esse a corpore alienam, existimarent. AESCHINIS tempore, ut ipse in Ctesiphontem testatur, Athenis eorum, qui se interfecissent, manus seorsim a corpore sepeliebantur. Confer. HEGESIPPUS l. 3. c. 17. Et passim receptum, ait ARISTOTELES moral. Nicom. l. c. 15. ut aliqua afficiantur ignominia, qui sibimet ipsis conciverunt mortem. Romani quanta severitate mortem voluntariam prohibuerint, vel inde patet, quod PLINIO teste hist. natur. l. 36 c. 15. Et Cassio Hemina apud SERVIUM Aen. l. 12. Tarquinius, non ille quidem Priscus, sed ultimus Romanorum Rex Superbus, passim conscientia [p. XX] nece Quiritibus laboris taedium fugientibus; omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora, spectanda civibus, simul et feris volucribusque laceranda. Ita pudor periclitantibus subvenit. Cetero ex lege inseptulos abiecerunt, qui semet occiderint ipsis. vid. SENECA epitomae l. 8. controv. 4. Hinc SERVIUS Aen. l. 12. sane sciendum, quod cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, inseptulus abiceretur. Unde merito ait informis leti, quasi mortis infamissimae. Ergo cum nihil sit hac morte deformius, poetam etiam pro reginae dignitate dixisse accipiamus.

Cum Tiberius cognosceret, Cocceium Nervam, ICtum et consularem Virum, quem in Capreensi recessu secum habebat, corpore illaeso et integro stacu, moriendi consilium cepisse, disertis illi grave demonstravit illud fore conscientiae, grave famae sua: si proximus amicorum, i. e. non iussus a tyranno, nullis moriendi rationibus vitam fugeret. Vid. TACITUS annal. l. 6. c. 26. Et Marcianus ICtus, qui sequitur ipse Stoicorum castra, l. 3. D. de bonis eorum, qui ante sententiam mortem sibi

<sup>h</sup> HOR. epist. 1, 14, 44 ed. Shackleton Bailey.

consciverunt, id genus hominis negat heredem habere. Nec impune quisquam ex constitutionibus magistratum, certe non sine dedecore, aut ignominiae nota, nunc tanti sceleris atrocitatem ferent: nec olim tulisse, vulgo constat. Quod de sepultura vulgo quaeritur eorum, qui sua manu scientes atque prudentes interierunt: consultum videtur, ad terrorem aliorum, et nefarium scelus aliquo modo cohibendum, si minus illis concedatur honesta: ut qui sibi vivis parcere noluerunt; mortui aspergantur infamiae macula. Nec abnuit GROTIUS de iure belli et pacis lib. 2. cap. 19. §. 5. Passim conscientia nece Quiritibus taedium fugientibus, Tarquinius, Romanorum Rex, ut vidimus, novum et inexcogitatum antea posteaque remedium invenit, ut omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora spectanda civibus, simul et feris volucribusque laceranda. Teste PLINIO hist. natur. lib. 36. cap. 15. Ptolomaeus quoque, ut PLUTARCHUS habet de Cleomene, id genus homicidae corpus, capite tenus in culeum insutum, cruci iussit affigi. Sub imperatoribus, amputata sertibus capita in crucem sublata fuerunt. vid. XIPHILINUS in Severo. BISCIOLUS hor. subsecivar. tom. 2. 1. 16. c. 1. BESOLDUS thes. pract. arc. *Sich selbst entleiben*. FARINACIUS tamen de inquisit. quaest. 11. sub num. 18. [p. XXI] tradit, de iure veram, magisque communem opinionem esse, cadaver eorum, qui se ipsos occidunt taedio vitae, non suspendi, vel in eos saeviri debere, sed tantum ecclesiastica sepultura privari. Veras fateor esse veterum sententias, apud STOBAEUM serm. 124. temerarium, affligere umbram hominis mortui; decere vivos castigare, non mortuos, qui contentionum habeant finem, neque gaudio afficiantur, aut dolore; iniuriam illis inferre, factu quidem esse facile, sed Nemesin mortalibus superiorem ipsamque iustitiam vindicare mortuos. Sufficit, quae nec capitum in vita poenam timentibus mortuis accident post fata, a vivis metui, ut a pari scelere, dum vivunt, retrahantur. Res notata dignissima est, quam PLUTARCHUS de virtutibus mulierum, oper. mor. p. m. 219. atque ex co A. GELLIUS noct. Attic. 1. 15. c. 10. memoriae prodiderunt. Unde patet, gravem et turpitudinis post fata poenam esse illis, qui per vitam ne mortem quidem ipsam, quin sua sibi consiscerent manu, perhorrescere voluerunt. Apud Milesios virgines quondam animi corripuit motus, nescio qui, dirus certe ac horrendus, ut ipse PLUTARCHUS loquitur, qui et aerem opinatur fuisse infectum, ut, capta mente, virgines, miror quod virgines tantum, ad insaniam redegerit. Subitum illas certe mortis desiderium, et impetus ad suspendium vesanus incessit. Clanculum multae vitam finierunt laqueo. Nihil eas moverunt parentum monita, nihil lacrumae, nihil preces suorum. Nec ulla cura potuerunt observari tam sollicite: quin aliquo sibi mortem consiscerent modo. Videbatur multis malum ad deos referendum auctores: quod nulla poena, aut persuasione, mortales prohibere valeant. Viri tandem alicuius prudentis consilio magistratus decrevit, ut si quae semet ipsas enecassent, non sine gravi turpitudinis nota, medio foro nudae efferrentur. Decretum istud promulgatum virgines non deterruit modo, verum et illis omnem voluntariae mortis impetum ademit. Tantumque abest, ut sapientum in omnibus terrae locis consensum prae se ferre queant: qui ne in una quidem Stoicorum secta convenire possunt, quin sibimet ipsis mox contradicere videantur. Profecto sibimet ipsis hic mirum quantum contradicunt Stoici, quibus mors est ita indifferens, ut tamen inter apoproegmena, sive reiectanea, sit. Ne sit mala, tamen habet mali [p. XXII] speciem: et sui cuique amor est, et conservandi se permanendique insita voluntas, atque aspernatio dissolutionis. vid. SENECA epist. 82. Si haec a natura: certe contra naturam agunt, qui vim sibimet ipsis inferunt, et ipsum naturae instinctum extinguere conantur. Si hoc adeo indifferens, vivas an moriaris: insaniunt, qui, ut rem indifferentem rapiant sibi, omnes aspernantur dolores, atque consilium adeo triste ineunt. Hinc AUGUSTINUS de civit. 1. 19. c. 4. Quae mala Stoici miror, qua fronte mala non esse contendant: quibus fatentur, si tanta fuerint, ut sapiens ea vel non possit, vel non debeat sustinere, cogi eum mortem sibi inferre, atque ex hac vita emigrare. Facillantem aut contradicentem sibi SENECA audi epist. 30. Vides quosdam optantes mortem, et quidem magis, quam rogari solet vita. Nescio viros existimem maiorem nobis animum dare: qui depositum mortem, an qui hilares eam quietique opperuntur: quoniam illud ex rabie interdum ac repentina indignatione sit; haec ex indicio certo tranquillitas est. Idem epist. 70. invenies etiam, inquit, professos sapientiam, qui vim afferendam vitae suae negent, et nefas iudicent, ipsum interemptorem sui fieri. Exspectandum esse exitum, quem natura decrevit.

Neque satis certo sibi EPICTETUS constat I. dissert. cap. 9. ubi fervidorum Stoicorum vota commemorat ac taedia: nos corpusculi huius vinculis adstringi diutius non possumus: cibum potumque

dando, dormiendo, lassi sumus. Nonne mors mala non est? nonne cognati Deorum sumus, atque inde venimus? Sine tandem liberari compedibus istis, atque illuc redire. Hic latrones, fures, iudicia sunt, et quos tyrannos vocant: qui potestatem sibi in nos sumunt ob hoc corpusculum, et quae adhaerent. Sine ostendamus eis, quam nihil in nos habeant iuris. Libet, libet abire.<sup>i</sup>

Sed quam sapienter respondet: Mihi vero dicendum est, homines, sustinete, Deum exspectate, donec ille signum dederit, et solverit vos hoc ministerio: tunc ad eum redite. Nunc autem in praesenti tolerate aequo animo, et incolite regionem istam, in qua vos collocavit. **Enimvero exiguum tempus huius incolatus, et facile, nec grave iis, qui sic sunt affecti.**<sup>j</sup>

Sic et Marcus Antoninus Imperator τῶν εἰς ἔαυτόν lib. 5. §. 29. Ως ἐξελθὼν ζῆν διανοῇ, οὕτως ἐνταῦθα ζῆν ἔξεστιν· ἐὰν δὲ μὴ ἐπιτρέπωσι, τότε καὶ τοῦ ζῆν ἔξιθι, οὕτως μέντοι ὡς μηδὲν κακὸν πάσχων. καπνὸς [p. XXIII] καὶ ἀπέρχομαι· τί αὐτὸ πρᾶγμα δοκεῖς; μέχρι δέ με τοιοῦτον οὐδὲν ἔξάγει, μένω ἐλεύθερος καὶ οὐδείς με κωλύσει ποιεῖν ἢ θέλω· θέλω δὲ ἢ κατὰ φύσιν τοῦ λογικοῦ καὶ κοινωνικοῦ ζώου.<sup>k</sup>

Ut secessurus vivere cogitas, ita hic quoque vivere tibi licet. Quod si tibi non conceditur, tunc vita excede: ita iamēn, ut qui nihil mali patiatur. Sed, fumus hic est, abeo. Quid hoc rei esse putas? dum vero nihil me tale abducit, liber permaneo, neque me quisquam prohibet agere, ut volo: volo autem, ut naturae animantnis ratione praediti, et ad coetum nati convenit.

Idem ille vero sapiens imperator, quasi durissimum hoo Stoicorum decretum prohiberet, passim alibi mortales mortem exspectare iubet. Lib. 4. §. 30. philosophantes proponit sine tunica, sine libro, seminudos; panes, qui dicant, utut sibi deessent, rationi se tamen insistere; **cum nec sibi ex disciplinae exercitio suppetat commeatus, qui praeberi soleat, persistere tamen. Cleanthen fortassis respicit, qui cum extrema rerum inopia non haberet, unde libros sibi aut tabulas emeret, a Zenone praelegente excerpta in lateribus et conchis, auc bovinis ossibus, derscriptsse dicitur. Quoquo se res habeat modo, hanc imperator suam addit sententiam:**

Τὸ τεχνίον δὲ ἔμαθες φίλει, τούτῳ προσαναπαύου· τὸ δὲ ὑπόλοιπον τοῦ βίου διέξελθε ὡς θεοῖς μὲν ἐπιτετροφῷς τὰ σεαυτοῦ πάντα ἔξ ὅλης τῆς ψυχῆς, ἀνθρώπων δὲ μηδενὸς μήτε τύραννον μήτε δοῦλον σεαυτὸν καθιστάς.<sup>l</sup>

Quam didicisti artem, eam diligito, eidemqu acquiescito. Quod autem vitae reliquum est, ita exigo, ut qui Diis tua omnia ex toto animo commiseris; nullique homini vel servum, vel tyrannanum te exhibeas.

Sic Decianus quidam Stoicus, Zenonis quidem amplectebatur placita et decreta, mortem esse ad manum, patere cuique viam ad portum et libertate a miseriis; viri etiam Thraseae, Paeti constantiam et virtutem laudabat, quod a Nerone iussus mori, venas alacrite incidi iusserit, ac Iovi liberatori libaverit sanguinem: et Catonis magnanimitatem commendabat, qui ne victorem videret Caesarem, Uticae non

<sup>i</sup> Epictetus, Dissertationes ab Arriano digestae 1, 9 (Πῶς ἀπὸ τοῦ συγγενεῖς ἡμᾶς εἶναι τῷ θεῷ ἐπέλθοι ἄν τις ἐπὶ τὰ ἔξης), 12–15 ed. Schenkl: ‘Ἐπίκτητε, οὐκέτι ἀνεχόμεθα μετὰ τοῦ σωματίου τούτου δεδεμένοι καὶ τοῦτο τρέφοντες καὶ ποτίζοντες καὶ ἀναπαύοντες καὶ καθαίροντες, εἴτα δι’ αὐτὸ συμπεριφερόμενοι τοῖσδε καὶ τοῖσδε. οὐκ ἀδιάφορα ταῦτα καὶ οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς καὶ ὁ θάνατος οὐ κακόν; καὶ συγγενεῖς τινες τοῦ θεοῦ ἔσμεν κάκεθεν ἐληλύθαμεν; ἄφες ἡμᾶς ἀπελθεῖν ὅθεν ἐληλύθαμεν, ἄφες λυθῆναι ποτε τῶν δεσμῶν τούτων τῶν ἔξηρτημένων καὶ βαρούντων. ἐνταῦθα λησταὶ καὶ κλέπται καὶ δικαστήρια καὶ οἱ καλούμενοι τύραννοι δοκοῦντες ἔχειν τινὰ ἐφ’ ἡμῖν ἔξουσίαν διὰ τὸ σωμάτιον καὶ τὰ τούτου κτήματα. ἄφες δεῖξωμεν αὐτοῖς, ὅτι οὐδενὸς ἔχουσιν ἔξουσίαν’

<sup>j</sup> EPICTETUS, Dissertationes ab Arriano digestae 1, 9 (Πῶς ἀπὸ τοῦ συγγενεῖς ἡμᾶς εἶναι τῷ θεῷ ἐπέλθοι ἄν τις ἐπὶ τὰ ἔξης), 16–17 ed. Schenkl: ἐμὲ δ’ ἐν τῷδε λέγειν ὅτι ‘ἄνθρωποι, ἐκδέξασθε τὸν θεόν. ὅταν ἐκεῖνος σημήνῃ καὶ ἀπολύσῃ ὑμᾶς ταύτης τῆς ὑπηρεσίας, τότ’ ἀπολύεσθε πρὸς αὐτόν· ἐπὶ δὲ τοῦ παρόντος ἀνάσχεσθε ἐνοικοῦντες ταύτην τὴν χώραν, εἰς ἣν ἐκεῖνος ὑμᾶς ἔταξεν. ὀλίγος ἄρα χρόνος οὗτος ὁ τῆς οἰκήσεως καὶ ράδιος τοῖς οὕτω διακειμένοις.

<sup>k</sup> MARCUS AURELIUS ANTONINUS Imperator, Τὰ εἰς ἔαυτόν 5, 29 ed. Farquharson.

<sup>l</sup> MARCUS AURELIUS ANTONINUS Imperator, Τὰ εἰς ἔαυτόν 4, 31 ed. Farquharson.

veritus est se interficere ipsum: noluit tamen conscisce mortem sibi, ut vivens florensque virtutes exequi posset. Elegans inde MARTIALIS l. 1. epigr. 9.

[p. XXIV] Quod magni Thraceae consummatique Catonis  
dogmata sic sequeris salvus ut esse velis,  
pectore nec nudo strictos incurris in ensis,  
quod fecisse velim te, Deciane, facis.  
nolo virum facili redimit qui sanguine famam,  
hunc volo, laudari qui sine morte potest.<sup>m</sup>

Non vult virum, qui molliter et desperanter ad mortem quasi remedium confugit, prae illo, qui forti animo quamcumque calamitatem perferat. Duplicem recte CICERO offic. 1. n. 66. doceat esse animi fortitudinem: unam in rerum externarum despicientia; cum persuasum nobis sit, hominem nihil, nisi quod honestum atque decorum sit, vel admirari, vel expetere oportere, ac nulli prorsus aut perturbationi animi, aut fortunae, succumbere: alteram fortitudinem animi; ut res geramus magnas illas quidem, et maxime utiles, sed vehementer arduas, plenasque laborum ac periculorum. Miseros ergo homunciones istos, qui, ne quid laude dignum ea animi fortitudine exsequantur et ferant, vel etiam labores ac pericula fugiant, semet ipsos enecare non verentur. Haec virtus est, ad extreum usque vitae periculum, suo fungi officio, nec, nisi vocante Domino, recedere, ad exemplum Cynegeti, militis Atheniensis, apud Iustinum l. 2. c. 9. qui cum in campis Marathoniis, duce Mitiade, magnam Persarum caudem fecisset, hostesque fugientes in naves egisset; dextra manu tenuit onustam navem, nec prius dimisit, quam manum amitteret. Amputata dextra, navem sinistra comprehendit. Quam et ipsam cum amisisset, postremo navem detinuit morsu. Eam in virtute constantiam, minime flexibiles ad casus fortuitos sensus, insignem animi magnitudinem et fortitudinem a viris Stoici quovis exerceri volunt modo. Enimvero viri fortis non est vinci ab levissima quacumque miseria huius vitae: ut exeat, quotiescumque illi calamitas quaedam sustinenda esse videtur. Hoc certe magis timidi est atque ignavi: ut sibimet ipsis contradicant valde, qui fortitudinem simul atque voluntariam mortem in gravioribus causis commendant. Ita rede Hercules apud EURIPIDEM:

ἐσκεψάμην δὲ καίπερ ἐν κακοῖσιν ὥν  
μὴ δειλίαν ὄφλω τιν' ἐκλιπὼν φάος:  
[p. XXV] ταῖς συμφοραῖς γὰρ ὅστις οὐχ ὑφίσταται  
οὐδὲ ἀνδρὸς ἀν δύναιθ' ὑποστῆναι βέλος.<sup>n</sup>

Consideravi ego, malis etsi brutus,  
Ne quis timorem, vita abire, censeat:  
Nam qui malis subsistere haudquam est potis,  
Nec ille contra tela subsistat viri.

ARISTOTELES ad Nicomach. de moribus lib. 3. cap. II. τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν ἢ ἔρωτα ἢ τι λυπηρὸν οὐκ ἀνδρείον, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ· μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα, καὶ οὐχ ὅτι καλὸν ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν.<sup>o</sup>

Mori autem, ut vel paupertatem, vel amorem, vel molesti quidam fugiamus, fortis viri minime est, sed potius timidi: quippe cum laboriosa fugere mollities sit. Neque hanc mortem sustinet quispiam, quia honestum sit, sed ut malum emitet ac fugiat.

Eudemiorum ethic. lib. 3. cap. I.

οὗτ' εἰ φεύγοντες τὸ πονεῖν, ὅπερ πολλοὶ ποιοῦσιν, οὐδὲ τῶν τοιούτων οὐδεὶς ἀνδρεῖος, καθάπερ καὶ Αγάθων φησί

<sup>m</sup> Mart. 1, 8.

<sup>n</sup> Euripides, Hercules 1347–1350 ed. Diggle.

<sup>o</sup> Aristoteles, Ethica Nicomachea 1116 a 12–15 ed. Bywater.

“φαῦλοι βροτῶν γὰρ τοῦ πονεῖν ἡσσώμενοι,  
θανεῖν ἐρῶσιν.”<sup>p</sup>

Neque si quis dolorem fugiens, quod solent multi, mortem accersat, fortis fuerit. Quemadmodum et Agathon inquit:

Pravi namque homines, doloribus victi, mortem optant.

Nabarzanes apud Q. CURTIUM lib. 5. cap. 9. Quid ruimus beluarum ritu in perniciem non necessariam? Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Saepe taedio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi: at virtus nihil inexpertum omittit.

PROCOPIUS Gothicorum 4. **Βίου** (v. l. βίαιος) μὲν καταστροφὴ ἄχρηστος ἄνοια προπετῆς, τὸ δὲ εἰς θάνατον ἀνόητον θράσος τοῦ δραστηρίου πρόσχημα οὐκ εὐπρεπές τοῖς γε σώφροσιν εἶναι δοκεῖ. καίτοι καὶ τοῦτο ἐκλογίζεσθαι χρὴ, μή τι δόξῃτε καὶ εἰς τὸ θεῖον ἀγνωμονεῖν etc.<sup>q</sup>

Violentus vitae exitus res inutilis, et plena insipientis impetus, et illa in mortem ferens audacia, consilio cum careat, prudentibus iudicatur immerito sibi fortitudinis nomen usurpare. Tum vero et illud cogitandum, ne in Deum sitis ingrati.

In molestiis, doloribus, et animi aegritudine exitum pro medicina eligere Stoici suadent. Quo respicit QUINTILIANI orator. instit. I. 7. praefat. **Nemo, nisi sua culpa, diu dolet.** Cato, cum Caesaris victoriam [p. XXVI] non ferret, se interemit. Appius Claudius Decemvir, propter vim atque iniuriam, quibus remp. opprimere conatus fuerat, in carcerem coniectus, sibimet ipsi intulit manus, quod simul omnes historiae Romanae scriptores testantur. Adeone illi tanti viri maximum ignorarunt imperium esse, imperare sibi: ut servire cupiditatibus, ac illis ad interitum usque suum indulgere, gravissima servitus est. Suadet mortem voluntariam SENECA: fateor. Atqui is tamen ad Helv. cap. 5. **Sapientem**, inquit, nec secunda evehunt, nec adversa dimittunt. Secundum eius doctrinam ergo, rebus angustis, non nosmet ipsos interimere, sed animosi atque fortes apparere deberemus. Ubinam illa tranquillitas animi adeo commendata: ut in ipsa perturbationum sedatione Stoicis praesertim vita beata esse videatur? Nec ab re SENECA de beat. c. 3. 4. Beatum dicamus hominem eum, cui unum bonum honestas, unum malum turpitudo videntur: cui vera voluptas erit voluptatum contemplatio. Quem honesti cultorem, et virtute contentum, nec extollant fortuita, nec frangant. Qui fortunae muneribus utatur, non serviat. Hunc necesse est sequantur gaudium inconcussum et aequabile, perpetua tranquillitas et libertas, pax animi et magnitudo. Etiam vitae finem in morbis gravioribus corporis accelerant: rati, ad sustinendos ex morbo dolores, stultum esse, alere corpus.

Ita Diogenes aspere olim ad Speusippum, **salve, Diogenes; tu vero, dixit, non salve, qui talis cum sis, vivere sustines.** Et movit hominem, ut contra sectae suae decretum paulo post ipse mortem sumpserit sponte.<sup>r</sup>

SENECA epist. 58. **Morbum, inquit, morte non fugiam, dummodo sanabilem, nec officientem animo,** Non afferam mihi manus, propter dolorem. Sic mori, vinci est. Hunc tamen si sciero perpetuo mihi patiendum: exibo, non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est ad omne, propter quod vivitur. Imbecillus et ignavus est, qui propter dolorem moritur: stultus, qui doloris causa vivit.

Elegans apud NEPOTEM ad suos Attici est oratio, curam diligentiamque in valetudine tuenda maximam adhibuisse, nec fore quid reliquum, quam ut sibi consuleret ipse, desineret alere morbum, aut vitam produceret ita, ut simul dolores sine spe salutis augeret.

<sup>p</sup> Aristoteles, Ethica Eudemia 1229 b 39–1230 a 2 ed. Susemihl; Agathon, Fragmenta 7 ed. Snell.

<sup>q</sup> Procopius, De bellis 8, 11–12 ed. Wirth (Haury)

<sup>r</sup> Diogenes Laertius, Vitae philosophorum 4, 3 ed. Long: φασὶ δὲ αὐτὸν ἐπ’ ἀμαξίου φερόμενον εἰς τὴν Ακαδήμειαν συναντῆσαι Διογένει καὶ Χαῖρε εἰπεῖν· τὸν δὲ φάναι, “ἄλλὰ μὴ σύ γε, ὅστις ὑπομένεις ζῆν τοιοῦτος ὥν.” καὶ τέλος ὑπὸ ἀθυμίας ἐκὼν τὸν βίον μετήλλαξε γηραιὸς ὥν.

Et M. Portius Latro, Latinus declamator, taedio duplicis quartanae semet interfecit [p. XXVII].  
HIERONYMUS chron. Euseb. olymp. CXCIV.

Silius Italicus, in praedio suo Neapolitano, inedia vitam finivit. Mortis vero causa non alia, quam valetudo. Erat illi natus insanabilis clavus, sive callosa extuberatio: eius taedio ad mortem irrevocabili constantia properavit. PLINIUS l. 3. epist. 7. Hinc ANG. POLITIANUS in Nutricia:

Ipse obiit plenusque aevi, natoque superstes,  
Aspera congenito fixus vestigia clavo.

Corellius Rufus, tertio er tricesimo anno, pedum dolore correptus erat, qui cum aetate cresceret, inedia perit. PLINIUS l. 1. epist. 12, Sesostris, Aegypti Rex magnus, exactis in regno annis triginta tribus, tandem oculis captus, sponte vita demigravit, eoque facto omnium admirationem promeruit, vid. DIODORUS Siculus biblioth. hist. l. 1. cap. 58.

DIO memoriae prodidit, Euphratem philosophum sponte vita excelsisse: quod veniam esset impartitus Adrianus, ut id citra ignominiam liceret, ac infamiam: quia esset annis fessus, et morbo divexaretur: quibus malis cicutae haustu occursum est.

Ipse MARTIANUS ICtus Digestorum lib. 48.tit. 21.11. 3. de bonis eorum, qui ante sententiam mortem sibi conciverunt etc. eo casu delinquentibus impunitatem impertit.

Interesse, scribit, *qua ex causa* quis sibi mortem conscivit: sicuti cum quaeritur, an is, qui sibi manus intulit, et non perpetravit, debeat puniri, quasi de se sententiam detulit. Nam omni modo puniendus est, nisi taedio vitae, vel *impatientia* alicuius doloris coactus est hoc facere. Et merito, si sine *causa* sibi manus intulit, puniendus est. Qui enim sibi non pepercit, multo minus alii parcat.

Suadent gravi morbo laborantibus voluntariam mortem cum ceteri philosophi Stoici, tum *in primis* Seneca. Atqui is tamen de beat. c. 15. docet, virum sapientem mortem, morbos, et alia, quae in vitam humanam incurront, ferre non solum patienter, sed etiam libenter, ut pareat legi naturae: quemadmodum bonus miles ferat vulnera, et transverberatus telis, moriens amet eum, pro quo cadit, imperatorem. Habere in animo illud vetus praeceptum: *Deum sequere*. Inter omnes hoc constat, virorum fortium esse, pati toleranter dolorem. Itaque ex morbis dolorem aut extimescere venientem, aut non ferre praesentem, nonne turpe est? Cogitandum omnino, quid fortitudine, quid animi magnitudine dignum sit: et maxime providendum [p. XXVII], ne quid *abieete*, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebriterve faciamus. Ingemiscere viro concessum est, idque raro: eiulari, ne mulieri quidem. At quid dicam saevas in se convertere manus? Secus profecto sentiunt Stoici, qui malum dici posse negant, quod turpe non esset. TULLIO referente Tusc. quaest. l. 2. c. 61. Ex Syria decedens, confecto Mithridatico bello, cum Rhodum venisset Pompeius: nobilissimum Stoicae disciplinae philosophum Posidonium audire cupiit. Sed cum diceretur graviter tunc aeger esse, quod doloribus podagrae cruciabatur maximis; voluit saltem visere, quem audire de rebus philosophicis disserentem non licebat. Quem ut vidit ac salutavit, moleste se ferre dixit, quod eum non posset audire. Ac ille: *tu vero*, inquit, potes; *nec committam*, ut dolor corporis efficiat, ut frustra tantus vir ad me *venerit*. Itaque cubans, graviter et copiose disputavit de hoc Stoicorum dogmate: *nihil esse bonum, nisi quod honestum esset*. Cumque quasi faces dolores ei ad moverentur: saepe dixit: *nihil agis, dolor, quamvis sis molestus, numquam te esse confitebor malum*. Si non malum: cur ideo mortem accelerant miseri? Estne patientia, quod uno ore fatentur Stoici omnes, virtutum regina, et vitae nobilissima ancora? At Zeno apud CLEMENTEM ALEXANDR. Strom. lib. 2. mavult unum videre Indum, qui sponte flammis absumatur, quam omnes de patientia audire et discere probationes. Deinde senectutem inter causas mortis voluntariae habent.

SENECA epist. 58.

De isto feremus sententiam, an oporteat fastidire senectutis extrema, et finem non operiri, sed manu facere. Prope est a timente, qui fatum segnis exspectat: sicut ille ultra modum deditus vino, quia mphoram exsiccat, et faecem quoque exsorbet. – Non relinquam senectutem, si me totum mihi

reservabit: totum autem, ab illa parte meliore. At si cooperit concutere mentem, si partes eius convellere, si mihi non vitam reliquerit, sed animam: prosilium ex aedificio putrido ac ruenti.

Similis illa Bionis sententia apud STOBAEUM serm. 1. p. m. 19.

Non aliter quam e domo exigimur, si locator, non accepto pretio habitationis, fores revellat, regulam adimat, puteum obstruat: ita etiam hoc corpusculo relegor, quando, quae locavit natura, oculos ademerit, aures, manus, pedes, non moror amplius: sed sicut e convivio discedo, nihil indignans: itidem e vita, cum tempus aderit, scapham, ut [p. XXIX] trai<sup>cias</sup>, ingredere. – Et ut pallium, ubi detritum fuerit, depono, non procrastino, nec vitae tuendae desiderio flagro: sed et cum liceret adhuc beate er feliciter degere, morior. Quemadmodum et Socrates, cui licebat, modo voluisse; e carcere exire, et iudicibus hortantibus, multam pecuniariam pendere: non acquievit, sed multatus est Prytanei demenso: ac triduo ei concesso, primo bibit, et non voluit tertii diei postremam horam exspectare, donec sol iuga montium transcenderet, sed animose primo die ebbit.

Unde LUCRETIUS lib. 3. v. 609.

[...] quod si immortalis nostra foret mens,  
non tam se moriens dissolvi conquereretur,  
sed magis ire foras vestemque relinquere, ut anguis.<sup>s</sup>  
[gauderet, praelonga senex aut cornua cervus.]

Zeno, Stoicorum antesignanus, iam nonaginta octo annos natus, cetera valens atque integer, cum e schola veniens pedem offendisset, lapsusque esset: manu terram pulsans, Euripideum illud occinuit, ex Niobe: ἔρχομαι, τί μ' αὔεις. Venio, quid me vocas? Et domum reversus, continuo se strangulans vitam sponte posuit. vid. DIO. LAERTIUS lib. 7. Zenonis vita p. m. 454.

Pari modo Cleanthes, Stoicorum princeps, qui Zenonis aequavit annos, eumque undeviginti annis audivit, ulcere in ore nato, cum suasu medicorum abstinuisse se cibo biduum, meliusque iam factum esset: iisdem ad cibum revocantibus, abnuit: nec, maiore viae parte confecta, se redditum, dixit, ac inedia obiit. LAERTIUS lib. 7. p. 547. qui et hoc epigramma de eo scripsit:

Αἰνῶ Κλεάνθην, ἀλλὰ μᾶλλον Αἴδην·  
ιδὼν γὰρ αὐτὸν πρέσβυν οὐκ ἡνέσχετο  
<τὸ> μὴ οὐ τὸ λοιπὸν ἄνεστιν ἐν φθιτοῖς ἔχειν  
τοσοῦτον ἀντλήσαντα τοῦ βίου χρόνον.<sup>t</sup>

Miror Cleantem, laudo sed Ditem magis:  
Nam ut vidit illum tam senem, ultra non tulit,  
Tandem quietem quin vel mortuo daret.  
Qui tantum aquarum exhauserat, dum viveret.

Teste VALERIO MAXIMO lib. 2. cap. 6. n. 8. in insula Ceo summae dignitatis; sed ultimae iam senectutis femina, civibus redditia ratione, [p. XXX] cur vita excedere deberet, veneno consumere se destinavit, mortemque suam credidit Sexti Pompeii praesentia clariorem fieri. Venit ergo Pompeius ad eam rogatus, nec sermone a consilio eam revocare potuit: quae nonagesimum annum transgressa cum summa et animi, et corporis sinceritate, lectulo, cotidiana consuetudine cultius strato, recubans, et innixa cubito mortis spectatori agit gratias, filiabus ac nepotum gregi concordiam suadet, patrimonium distribuit: poculum denique, in quo venenum temperatum erat, constanti dextra arripuit, fusisque precibus, ut placidum sit ad meliorem vitae conditionem iter, cupido haustu mortiferam potionem sumit: etiam posthac sermone significans, quasnam subinde partes corporis occuparet rigor: cum iam

<sup>s</sup> Lucr. 3, 612–614 ed. Bailey. add. Marullus

<sup>t</sup> Diogenes Laertius, Vitae philosophorum 7, 176 ed. Long = Anthologiae Graecae appendix (App. Anth.), Epigrammata irrisoria, 36 ed. Cougny.

visceribus eum, et cordi imminere, esset locuta; filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium advocavit.

In Campania vir nulli secundus C. Velleius, historici avus, et praefectus fabrum, gravis iam aetate et corpore, cum Neronis amici sui comes esse non posset in itinere, gladio se ipse transfixit. Vid. VELLEIUS PATERCULUS lib. 2. cap. 76. Sed bone Deus! quanta insania haec est: si quis non veretur vim inferre sibi, mortem qui brevi placidam exspectare potuerit. Haec sine senectutis commendatio, ut mortem illi voluntariam preeferant? Satis certe, si componatur cum sapientia et necessaria ad futuram felicitatem obtinendam preeparatione, brevis haec vita est: atque ut SENECA loquitur, consol. ad Marciam c. 11. extr.

quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum.

Epist. 104. senectutis maximos agnoscit fructus; et summae humanitatis existimat, illam attentius conservare.

Epist. 12.

Complectamur, scribit, illam senectutem, et amemus: plena est voluptatis, si illa scias uti. Gratissima sunt poma, cum fugiunt: pueritiae maximus in exitu decor est. – Quod in se iucundissimum omnis voluptas habet, in finem sui differt. – Aut hoc ipsum succedit in locum voluptatum, nullis egere. Quam dulce est, cupiditates fugasse ac reliquisse? Molestem est, inquis, mortem ante oculos habere. Primum ista tam iuveni ante oculos debet esse, quam seni: non enim citamur ex censu: deinde nemo tam senex est, ut improbe unum diem speret. etc.

Senes ergo insanire oportet, vel ex mente Stoici, qui mortem sibi violenta manu consciscunt. Aut istos oportet sibi graviter contradicere. Et [p. XXXI] mortem pree paupertate ac rerum inopia suadent. EPICTETUS 1. dissert. cap. 9.

cum hodie repleti fueritis, sedetis plorantes et solliciti, quid cras comedunt sitis. Mancipium! si habueris, habebis: si non habueris, abibis. Aperta est ianua.<sup>u</sup>

Et haec Epicuri sententia probatur SENECAE epist. 12.

Malum est in necessitate vivere; sed in necessitate vivere, necessitas nulla est.

Musonius apud STOBAEUM serm. 1. p. m. 19.

Siquidem conducat, cum paupertate manent in vivis: sin minus, facile migrant, tamquam e sollempni ac celebri conventu, ita etiam e vita.<sup>v</sup>

Ecquid vero divitiae? Quid inopia? Ille quidem satis dives est, qui sua sorte contentus, illis didicit perfrui rebus, quas a Numinis aeterni liberalitate accipit. Sed pauper omnis avarus, et qui plura semper concupiscit. Elegans Apicii divitis ipse nobis SENECA consolat. ad Helviam cap. 10. Porrigit exemplum, qui cum sua bona dilapidasset, ita, ut superessent illi reliqua centum viginti quinque florenorum milia, velut in ultima fame victurus, veneno vitam finivit.

Quanta, hinc addit, luxuria erat, cui sestertium centies egestas fuit? I nunc, et puta pecuniae modum ad rem pertinere, non animi.

Hic rursum vide, quam assidue sibi contradictant Stoici. Ne pauperes fiant homines, voluntariam suadent illis mortem: neque tamen sapientis volunt esse amare divitias: quas si quis contemnere noveriet, magni tandem aiunt esse indicium animi. Nihil honestius aut magnificentius, quam flocci facere pecuniam, si non habeas; sin habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre. Is minimo

<sup>u</sup> Epictetus, Dissertationes ab Arriano digestae 1, 9 (Πῶς ἀπὸ τοῦ συγγενεῖς ἡμᾶς εἶναι τῷ θεῷ ἐπέλθοι ἂν τις ἐπὶ τὰ ἔξης), 19–20 ed. Schenkl: [...] ὅταν χορτασθῆτε σήμερον, (20) κάθησθε κλάοντες περὶ τῆς αὔριον, πόθεν φάγητε. ἀνδράποδον, ἂν σχῆς, ἔξεις· ἂν μὴ σχῆς, ἔξελευση· ἥνοικται ἡ θύρα. [...]

<sup>v</sup> Stob. 3, 1, 98, 121–124 ed. Hense/Wachsmuth = Teles, περὶ αὐταρκείας p. 15 ed. Hense: καὶ ἐάν μὲν ἐκποιῇ πενητεύουσι <δεῖ> μένειν ἐν τῷ βίῳ, εἰ δὲ μή, ῥᾳδίως ἀπαλλάττεσθαι ὕσπερ ἐκ πανηγύρεως [οὕτω καὶ ἐκ τοῦ βίου].

eget mortalis, qui minimum cupit: nec amplius optat ; cui quod satis est contigit: contigit vero, quod ad vitae sustentationem sufficit, omnibus.

Hinc bene HORATIUS l. 4. od. 9.

non possidentem multa vocaveris  
recte beatum; rectius occupat  
nomen beati, qui deorum  
muneribus sapienter uti

duramque callet pauperiem pati  
peiusque leto flagitium timet,  
non ille pro caris amicis,  
aut patria timidus perire.<sup>w</sup>

vivitur, ille alibi inquit, parvo bene cui paternum  
splendet in mensa tenui [p. XXXII] salinum  
nec levis somnos timor aut cupidio  
sordidus aufert.<sup>x</sup>

Is demum fortis et bonus est, qui nec in secundis rebus effertur, nec contrahitur in adversis: cum se ornamentis suis ita instructum sciat, ut ab iis nulla vi segregetur. Hunc hominem, ut APULEIUS habet libro de philosophia, non solum non inferre, sed ne referre quidem oportet iniuriam.

Non enim eam contumeliam putat, quam improbus faciat: sed eam non putat, quam patientia firmiter toleret. Qua quidem naturae lege in animo eius sculptum sit, quod nihil horum possit nocere sapienti, quae opinantur ceteri mala esse. Evidem sapientem illum, conscientia sua fretum, securum et confidentem in omni vita futurum, quod omnia accidentia reputet, ad meliores rationes trahens: et quod nihil morose vel difficulter excipiat, sibique persuadeat, pertinere res suas ad immortales Deos. Idem ille diem mortis suae propitius nec invitus exspectat: quod de animae immortalitate confidat.

Sed, obsecro te, si pauperibus licet enecare sese: maxima pars hominum trucidanda foret: nec a caede liberi divites, quibus sua numquam sufficient: ut miseros inter miserrimi esse videantur. Parvo contentus sapiens, paupertatem non timet. Etenim quae res pecuniae cupiditatem afferunt, gula, ambitio, libido, cum procul ab iis omnibus rebus absit; cur pecuniam magnopere desideret? Socrates, ut DIOGENES in eius vita testatur, eum Diis proximum dicebat, cui quam paucissima satis essent. Cum aliquando in pompa magnam vim auri et argenti ferri videret: quam multa, inquit, non desidero!<sup>y</sup>

Ecqua fronte Stoici, qui virtutum in primis videri volunt esse studiosi, ad sumnum dedecus, paupertati mortem voluntariam preeferunt? SENECA de constantia lege, ac intelliges facile, nec ceteros Zenonis asseclas, nec ipsum tantae auctoritatis philosophum constare sibi. Commendat ille passim alibi in primis sapientibus, ne cuiusquam rei indigerent, voluntariam mortem: ast cap. 5. Stilponis philosophi laudat paupertatem: a quo Demetrius, cum expugnarit Megara urbem, num quid perdidisset, interrogavit: ipse vero, nihil, respondit, omnia namque mea mecum sunt.<sup>z</sup>

<sup>w</sup> HOR. carm. 4, 9, 45–52 ed. Shackleton Bailey.

<sup>x</sup> HOR. carm. 2, 16, 13–16 ed. Shackleton Bailey.

<sup>y</sup> CIC. Tusc. 5, 32: Socrates, in pompa cum magna vis auri argentique ferretur, 'quam multa non desidero!' inquit. cf. Diogenes Laertius, Vitae philosophorum, 2, 25: πολλάκις δ' ἀφορῶν εἰς τὰ πλήθη τῶν πιπρασκομένων ἔλεγε πρὸς αὐτόν, "πόσων ἐγώ χρείαν οὐκ ἔχω."

<sup>z</sup> SEN. epist. 9, 18: Nihilominus cum sit amicorum amantissimus, cum illos sibi comparet, saepe preeferat: omne intra se bonum terminabit et dicet, quod stilbon ille dixit, stilbon quem epicuri epistula insequitur: hic enim capta patria, amisis liberis, amissa uxore cum ex incendio publico solus et tamen beatus exiret, interroganti demetrio, cui cognomen ab exitio urbium poliorcetes fuit, numquid perdidisset omnia' inquit' bona mea me cum sunt'. Sen. dial. 2 (de constantia sapienis) 5, 6: Megaram demetrius ceperat, cui cognomen poliorcetes fuit. Ab hoc stilbon philosophus interrogatus, num aliquid perdidisset: 'nihil inquit' omnia mea me cum sunt'.

Atqui patrimonium eius in praedam cesserat, et filias hostis rapuerat, suamque expugnaverat patriam. Ille tamen nihil se damni passum esse testatus est. Habebat enim secum vera bona, doctrinam scilicet ac virtutem, in quae hostis manum incere non poterat: et [p. XXXIII] ea, quae a militibus diripiebantur, non iudicaverat sua. Omnium scilicet bonorum, quae extrinsecus adveniunt, incerta possessio est. Peccant ergo graviter suamque ostendunt stultitiam, qui rerum quacumque iactura, et paupertate saevas in semet ipsos manus convertere non verentur. Ad servitutem evitandam quoque manus sibimet ipsis intulerunt, et mori, quam libertatem vendere, maluerunt: ut non serviam dixit puer ille Lacon, et praecipitem se dedit.<sup>aa</sup>

Unde SENECA epist. 26.

Qui mori didicit, servire dedidicit: supra omnem potentiam est, certe extra omnem. Quid ad illum carcer, et custodia, et claustra? liberum ostium habet.

Et lib. 3. de ira c. 15.

Quocumque respexeris, ibi malorum finis est. Vides illum praecipitem locum? illac ad libertatem descenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum puteum? Libertas illic in imo sedet. Vides illam arborem brevem, retorridam, infelicem? Pendet inde libertas. Vides iugulum tuum guttur tuum, cor tuum? Effugia servitutis sunt. Nimis mihi, inquies, operosos exitus monstras, et multum animi ac roboris exigentes. Quaeris igitur, quod sit ad libertatem iter: quaelibet in corpore tuo vena.

STATIUS PAPINIUS Thebaid. lib. 3. v. 99. Hemonidem laudat, qui in ore Eteoclis se interfecrat, et inter alia

tu tamen, inquit, egregius fati mentisque nec umquam -  
sic dignum est - passure situm, qui communis ausus  
vadere contemptum reges, qua que ampla veniret  
libertas, sancire viam: [...]<sup>bb</sup>

Adeone status reip. omnis invertendus: ut servis extinctis, illorum officia Domini subire debeant? Hoccine est sua forte vivere contentum, et omnia aequo ferre animo? Ad quid SENECA epist. 104. praeclarum in universa vita aequabilitatis exemplum proposuit Socratem, per omnia aspera iactatum, invictum tamen et paupertate, et laboribus, tum quos militiae pertulit, tum quibus domi est exercitus? Nam uxorem habuit moribus feram, lingua petulantem; et liberos indociles, matri, quam patri, similiores. Extremo illi obiecta est, et religionum violatio, et iuuentutis corruptela. Inde carcer et venenum. Haec omnia Socratis animum adeo non moverunt: ut ne vultum quidem mutare videretur. Eamque admirandam et singularem laudem, ad extremum usque vitae halitum, servavit. Nec [p. XXXIV] immerito idem epist. 79.

multos illustrat fortuna, dum vexat. Rutilii innocentia ac virtus lateret, nisi accepisset iniuriam. Cum violata est, effulsit.

Gentes insigni feritate aliquando mori, quam vinci, ac hostibus se dedere maluerunt. Sic Numantini exitu deplorato, in ultimam rabiem furoremque conversi, duces suos, semet ipsos, patriamque ferro, et veneno, undique simul subiecto igne, peremerunt: ne quisquam eorum in catenis duci potuerit. FLORUS lib. 2. cap. 18. Confer. pl. CAR. SIGONII comment. in fast. et triumph. Rom. p. m. 208. Capta Servili et Luculli castra, antequam se dedissent, suppliciorum metu voluntariam mortem elegerunt: ac ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit. FLORUS l. 3. c. 19. Cantabri, cum se victos sentirent, certatim igne, ferro inter epulas, venenoque, quod ibi vulgo ex arboribus taxeis

<sup>aa</sup> Plutarchus, Apophthegmata Laconica 234 b 12 – c 5: Παῖς Σπαρτιάτης αἰχμαλωτισθεὶς ὑπ’ Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως καὶ πραθεὶς τὰ μὲν ἄλλα πάντα ὑπῆκοος ἦν τῷ πριαμένῳ, ὅσα φέτο προσήκειν ἐλευθέρῳ ποιεῖν· ὡς δὲ προσέταξεν ἀμίδα κομίζειν, οὐκ ἡνέσχετο εἰπόν “οὐ δουλεύσω.” ἐνισταμένου δ’ ἐκείνου, ὀναβάς ἐπὶ τὸν κέραμον καὶ εἰπόν “τείσῃ τῇς ὠνής” ἔβαλεν ἑαυτὸν κάτω καὶ ἐτελεύτα.

cf. Sen. epist. 77, 14: Lacon ille memoriae traditur in pubis adhuc, qui captus clamabat' non serviam' sua illa dorica lingua, et verbis fidem inposuit: ut primum iussus est servili fungi et contumelioso ministerio, adferre enim vas obscenum iubebatur, inliseum parieti caput rupit.

<sup>bb</sup> Stat. Theb. 3, 99–103.

exprimitur, praevenerunt mortem; seque pars maior a captivitate, ut videbatur, vindicavere. STRABO geogr. l. 3. et FLORUS l. 4. c. 12. n. 50. Pari modo Illyrii, quorum bellum idem describit lib. 4. cap. 12. rebus desperatis, se simularunt de pace acturos, praesidium vero in arce acceptum nocte trucidarunt, et aedibus incensis, alii se, alii uxores etiam et liberos occiderunt; etiam captivi haud ita multo post sibi manus intulerunt, Sexto Pompeo et L. Cornificio coss, anno v. c. DCCXVIII. Plura nefarii sceleris, et desperatae rabiei, et inhumanae in tota gente caedis exempla de Cappadocibus legimus apud IUSTINUM l. 13. c. 6. de Isauriis apud DIODORUM SIC. l. 18. c. 22. de Saguntinis apud LIVIUM l. 21. c. 14. de Taochoris apud XENOPHONTEM l. 4. expedit. Cyri. de Abydenis apud POLYBIUM l. 16. c. 16. de Xanthiis in Lycia apud PLUTARCHUM in Bruto. de Metulliis apud APPIANUM in Illyric. de Astapensibus apud LIVIUM l. 28. c. 22. de Carthaginiensibus apud FLORUM l. 2. c. 11.

Iudeos quoque templum Hierosolymitanum et flagrantem urbem laetis vultibus aspexisse, quod ita nihil essent hostibus relicturi, IOSEPHUS scribit bell. Iud. l. 6. c. 38. Recte vero SENECA monet de benef. l. 2. c. 18. ratione duce per totam vitam eundum esse: minima maximaque ex huius consilio gerenda. Sine ea quid homine deformius? Sed ubi praesto est haec omnium commotionum animi moderatrix: homines a libidine ac tyrannide avocat: inani laetitia gestire neminem sinit, neque rebus desperatis nocere sibi. Haec [p. XXXV] quam maxime nobis imperat et consultit. Haec pacem animis offert, in rebus expetendis, aut fugiendis, salutem ut sequamur, monet. In ea modestia, verecundia, temperantia, perturbationum animi omnis sedatio, et rerum modus contineri videntur. Forsan in classem eorum veniunt, qui bellis nauticis pulvrem pyrium incidunt, ut pericula, necem, aliaque incommoda fugiant: simul atque vindictam de hostibus sumant: et facinore fiunt pii et scelerati eodem. Exempla THUANUS habet hist. lib. 59. Controversiam prolixe et erudite examinat GISBERTUS VOETIUS select. disp. theolog. part. 4. pag. 256.–261. Quibus adeo solidis argumentis aliquid addere, non ducimus operae pretium esse. Sed et alias videamus, ex instituto veterum, mortis voluntariae causas. Accusati, ne quid calamitatis sentirent, haud raro voluntaria morte obierunt, ut Caecilius Cornutus apud TACITUM, qui sua manu ceciderat, et occasionem Romanis dedit agendi de praemiis accusatorum abolendis, si quis maiestatis postulatus ante perfectum iudicium se ipse vita privavisset, annal. l. 4. c. 30. Apud eundem annal. lib. 6. cap. 48. Arruntius accusatus venas resolvit, er moras suadentibus amicis, non eadem omnibus decora, respondit, sibi satis aetatis. Neque aliud paenitendum, quam quod inter ludibria et pericula anxiam senectam toleravisset, diu Seiano, nunc Macroni, semper alicui potentium in visus; non culpa, sed ut flagitiorum impatiens. – Prospectare iam se acrius servitium, eoque fugere simul acta et instantia.

Albucilla, irrito ictu a semet vulnerata, iussu senatus in carcerem fertur. Papinius quoque consulari familia repentinum et informem exitum delegit, iacto in praefectus corpore. Annal. lib. 6. c. 23. Asinius Gallus egestate cibi peremptus est. Et cap. 25. Agrippina morte voluntaria obiit.

Et cap. 29. Sextitia coniunx cum Mamerco Aemilio Scauro, maiestatis reo, morte voluntaria damnationem anteverit. Annal. lib. 4. cap. 35. Cremutius Cordus propter annales, quos edidit, accusatus, dicta causa, egreditur senatu vitamque abstinentia sinit. Annal. l. 16. c. 17. Annaeus Mela coniurationis accusatus apud Neronem, qui eius opibus inhiabat, sibimet ipse exsolvit venas: quae tum promptissima mortis via. Fannius Cepio, in coniuratione adversus Augustum deprehensus, atque proscriptus, ut percussores fugeret, mortem sibi concivit. Unde Martialis lib. 2. epigr. 80.

[p. XXXVI] Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit.  
hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Et Cornelius Gallus poeta, ut DIO CASSIUS in Aug. testatur, ab imperatore in Aegyptum missus, statuas suas in omnibus fere Aegypti partibus collocavit, et res a se gestas in pyramidibus inscribi curavit. Unde a Largo accusatus, et magno dedecore affectus, morte voluntaria obiit. Cum Sulla rerum potiretur, Cn. Norbanus, vir consularis proscriptus, cum in urbe Rhodo comprehenderetur, semet ipsum interemit. Et Mutilus, unus ex proscriptis, clam capite adoperto, ad aedes Bastiae uxoris cum accessisset, neque admitteretur, quod illum coniux proscriptum esse diceret, se transfodit, suoque sanguine fores uxoris respersit. vid. epit. Liu. 89. C. Rufus Geminus, impietatis in Tiberium accusatus, tabulas testamenti in senatum attulit, quibus filios suos et Tiberium heredes ex aequis

partibus faciebat. Accusatus tamen per invidiam a Tiberio, qui male volebat ei, nullam ob aliam causam, quam quod mollis et effeminatus esset. Domum ergo, antequam decerneretur aliquid, revertit, ac, ubi intellexit, se condemnatum esse, semet ipsum percussit. Vulnera quaestori, qui nuntiatum venerat, ostendit: ac, refer, inquit, ad senatum, fortis viros hoc modo mortem oppetere. Virum imitata coniux eius, Publia Prisca, quae in senatum venit rea, et pugione, quem sub veste condiderat, ibi semet ipsam interemit. Utrumque DIO testatur in Tiberio. Et Cn. Piso Calpurnius condemnatus, egressa cubiculo uxore, fores operiri iussit: et copta luce, perfozzo iugulo, iacente humi gladio, repertus est. vid. TACITUS annal. l. 3. c. 15. extr. Hoccine vero est timore mortis mori: cum, ex Stoicorum sententia, nihil magis meditatum ab adolescentia esse debeat, quam ut mortem neglegamus? Moriendum est certe: hoc vero incertum, an eo ipso die. Qui autem id, quod vitari non potest, metuit, is vivere animo quieto numquam potest: eoque ipso perdit, quod in primis Stoici commandant. Non terret mors sapientem ullo modo, quae propter incertos casus cotidie imminet, ac propter hanc vitae brevitatem longe numquam abesse solet. Hinc bene VERGILIUS Aeneid. l. 10. v. 467.

[p. XXXVII] ‘stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus  
omnibus est vitae; sed famam extendere factis,  
hoc virtutis opus. [...]’<sup>cc</sup>

Idem de illis dicendum, quibus pericula, ut imminent, causa mortis. Sic Brutus et Cassius morte voluntaria hostem effugerunt. Ita apud TACITUM annal. l. 14. c. 59. doctores sapientiae Coeranus Graeci, et Musonius Thusci generis, constantiam opperiendae mortis, pro incerta et trepida vita, suaserunt. Apud eundem annal. l. 4. c. 28. Caecilius Cornutus praetorius taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. Apud eundem annal. l. 15. c. 73. et HIERONYMUM chron. Euseb. olym. 211.

Christi anno 66. L. Iunius Gallio, Senecae frater, propria se manu interfecit, quod sibi videret imminere pericula, et Neronem eius necem in praesentiam suam differre.

P. Crassus se ipsum, ne in manus incideret inimicorum, occidit, ut est in orationibus CICERONIS pro Scauro, et pro Sextio. Apud TACITUM annal l. 6. c. 26. Cocceius Nerva, Vir consularis, et divini humanique iuris peritus, Tiberii in secessu Capreensi comes continuus, integro statu et corpore illaeso, moriendo consilium cepit. Nec habita Caesaris id valde dissuadentis ratione, ulti fame periit: quod reip. mala propius esse maxima videret. Mithridates, a Pompeio superatus, filiam Diraptim Menophilo eunucho seruandam commisit in castello quodam, Sinthorio nomine. Quod cum Manlius Priscus obsedisset, ac Menophilus defensores deditioinem parare sentiret, in viscera sua gladium adegit, veritus ne captiva puella violaretur. vid. AMMIANUS MARCELLINUS lib. 16. Diaeus Megalopolitanus, Achaeorum praetor, cum animi efferata rabie Romanis obsisteret, a L. Mummio victus, Megalopolim fugit, sua manu, in hostium ne veniret potestatem, occidit uxorem, et ipse hausto veneno occubuit. PAUSANIA teste in Achaicis. Cornelius Merula, L. Cornelii consulis nepos, et flamen dialis, quod partium Sullanarum esset, ingresso urbem Mario, in Iovis aede, semet venenis succisis occidit: ut mortis contumeliosae damnationem effugeret. FLORUS l. 3. c. 21. APPIANUS l. 1. VAL. MAX. l. 9. c. 12. exempl. 5. AUGUSTINUS civ. Dei l. 3. c. 17.

C. Marius Iunior quoque in optimates, patre mortuo, crudelis, atque diu a L. Sulla obsessus Praeneste, quod [p. XXXVIII] urbe potiretur, sibi necem consivit. PLUTARCHUS in Mario.

Dolabella, partium Caesareanarum, in Syria victus a Crasso, manus intulit sibi. vid. APPIANUS bellor. civil. l. 4. Nolunt in poenas, aut in risum vivere, tantamque, indignam sapiente ferre ignominiam. Sic Lucretia, cum ignominiam illati sibi stupri impatienter ferret, violentas intulit sibi manus. Sabina, Aelii Adriani imperatoris coniux, servilibus prope iniuriis ab eo affecta, morte voluntaria obiit: quod

<sup>cc</sup> VERG. Aen. 10, 467–469 ed. Mynors.

ingenium tam immane pertulisset, ac elaborasset diu, ne filius nasceretur ex eo, qui generis humani pernicies evaderet. vid. AUREL. VICTOR. hist. Aug. epitome cap. 14.

Phaebe, Iuliae liberta ac libidinis socia, mortem sibi voluntariam, pudicitia multis prostituta, conscivit: ideoque laudata est ab Augusto, qui Iuliam filiam, propter nocturnas cum scortatoribus comissiones, relegavit. vid. DIO Aug.

Aut illis non licuit sua sponte mori: aut sibi non constat SENECA de const. c. 19. ubi et honores et contumelias vulgi in promiscuo habendas esse docet: nec his dolendum, nec illis gaudendum. Alioquin multa timore aut taedio contumeliarum necessaria omittemus: et publicis privatisqe officiis deerimus, dum muliebris nos cura anget aliquid contra animum audiendi. Neque solum extrema coacti necessitate, ut ipsis videtur, verum etiam rebus integris, modo ipsis suspecta fortuna, vitam cum morte commutare non verentur: ut salva tectaque animi tranquillitas nulla re prorsus alia periclitare aut interturbari videretur.

SENECA epist. 70.

[...] sapiens vivet, quantum debet, non quantum potest. Videbit ubi victurus sit, cum quibus, quomodo, quid acturus. [...] Si multa occurrunt molesta, et tranquillitatem turbantia, emitit se; nec hoc tantum in necessitate ultima facit, sed cum primum illi coepit suspecta esse fortuna [...]. Nihil existimat sua referre, faciat finem an accipiat [...].<sup>dd</sup>

Pari modo apud CICERONEM de finibus lib. 3.

Cato: cum ab his, quae secundum naturam sunt, omnia proficiscantur officia: non sine causa dicitur, ad ea referri omnes nostras cogitationes, in his et excessum e vita, et in vita mansionem. In quo enim plura sunt, quae, secundum naturam sunt, huius officium est, in vita manere: in quo autem sunt plura contraria, aut fore videntur, huius officium est, e vita excedere. Ex quo apparet, et sapientis aliquando esse officium, excedere e vita, cum beatus sit; et stulti, manere in visa, cum sit miser.

Et SENECA rursum epist. 54.

[...] Illum [...] [p. XXXIX] lauda et imitare quem non piget mori, cum iuvet vivere: [...]!<sup>ee</sup>

VALERIO MAXIMO teste l. 2. c. 6. n. 7. mortem oppetunt qui adversa, aut prospera nimis utuntur fortuna,

utraque enim, ait, finiendi spirirus, illa ne perseveret, haec ne destituat, rationem praebet.

Et mulier, sua sponte in insula Ceo, cum decrepita iam esset, moritura, ibidem n. 8.

ipsa, inquit, hilarem fortunae vultum semper experta, ne aviditate lucis tristem intueri cogar; reliquias spiritus mei prospero fine, duas filias, et septem nepotum gregem superstitem relictura, permuto.

Porcius Cato ante Canidium familiarem suum ad Ptolemaeum Cypri regem misit, quam occuparet insulam: ut pacis lautas illi condiciones offerret: daturum videlicet ipsi, sponte victricibus Romanorum armis cedenti, Veneris Paphiae sacerdotium, quod ut opulentissimum, ita praecipuae dignitatis apud Cyprios habebatur. Sed rex, quae insanis, sumpto veneno, interire, quam fata vivendique rationem sequi, maluit. vid. FLORUS l. 3. c. 9. PLUTARCHUS Caton. Uticensi. VALERIUS MAX. l. 9. c. 4. DIO CASSIUS l. 39. Immo voluptuosi et gulae dediti morte saepius voluntaria maluerunt obire, quam ad frugalitatem ac vitae melioris rationem traduci. Dionis filius, apud NEPOTEM Dion. cap. 4. Dionysii tyranni consilio, turpissimis imbutus cupiditatibus, adeo vitae statum, postquam in patriam rediit pater, commutatum ferre non potuit, ut se e superiore parte aedium deiecerit, atque ita interierit. Apicius, nepotum omnium altissimus gurges, de quo in eo libro notavimus plura, qui de imminentे Latinae linguae senectute prodiit, cum divitiarum maximam partem dilapidasset, ac duos milliones et semis concessisset in culinam, neque plus centies HS. i.e. 250000. coronat. de patrimonio sibi superesse intellegeret, veneno vitam finiit, metuens ne sibi deinceps esuriendum esset. Confer. DIO CASSIUS lib. 57. SENECA consol. ad Helv. c. 10. et MARTIALIS l. 3. epigr. 22. Dic, sodes, haec quomodo cum

<sup>dd</sup> Sen. epist. 70 (viii. 1), 4–5 ed. Reynolds.

<sup>ee</sup> Sen. epist. 54 (vi. 3), 7 ed. Reynolds.

Stoicorum placitis convenient. Nam si sola virtus hominem beatum efficit, numquam sapienti causa dabitur abrumpendae vitae. Quae, obsecro, vita beata, quam, ut finiatur, oportet quaerere auxilium mortis? Si beata est, maneatur in ea: si vero propter ista mala fugitur ab ea, quomodo est beata? Aut quomodo ista non sunt mala? Confer. AUGUSTINUS de civitate Dei l. 19. c. 4. Vel etiam sola phantasia et malae [p. XL] mentis agitatione vitam non dubitarunt adimere sibi: ut Cleombrotus, apud CICERO. Tusc. quaest. l. 1. c. 34. lecto Platonis libro, quo satis accurate de animae immortalitate disputat, se praecipitem de muro dedit, ut ex hac vita migraret ad eam, quam meliorem esse creditit.

Otho Imperator, cum iisdem temporibus, quibus Galbam occiderat, etiam Vitellius, a Germanis exercitibus esset factus imperator, bello contra eum suscepto, apud Bebriacum in Italia levi proelio vincitur. At facili negotio, supererant enim illi ingentes copiae, vel renovare bellum, vel honestis conditionibus cedere potuisset hosti: sponte tamen semet ipsum occidit: ac potentibus militibus, ne tam cito de belli desperaret eventu, cum tanti se non esse dixisset, ut propter eum civile bellum commoveretur, voluntaria morte obiit. EUTROPIUS lib. 7. c. 7. Confer. SUETONIUS Othon. cap. 11.

Qui et extremo adiungit, militum multos, ad exemplum imperatoris, non procul ab eius rogo, vim suaे vitae attulisse; multosque absentium, accepto nuntio, prae dolore, armis ad intermissionem inter se concurrisse. Cum Athenienses et Lacedaemonii de Tyreatium agro inter se contendenter, ita pepigerunt tandem, ut trecentis militibus rei committerent summam. Omnibus interfectis, unus Othryades Lacedaemonius primum spoliavit hostium corpora, et arma transtulit in castra sua: ob socios tamen interfectos, Spartam reverti noluit, suoque sanguine in scuto *vici* inscripto, mortem sibi concivit. vid. HERODOTUS lib. 1. cap. 15. VAL. MAX. l. 3. c. 2. extern. 4.

Et M. Aemilii Scauri filius, cum ideo quod in saltu Tridentino hostibus cesserat loco, in patris conspectum venire prohiberetur, verecundiae ignominia oppressus, mortem sibimet ipsi concivit. vid. FRONT. strategematum lib. 4. cap. 1.

Morbus id genus hominum agitat melancholicus: surgens ille ex occulta vi, quem suo sinu aliquantis per fovent, tyrannus. Fuit ille Petri de Vineis, Francisci Spirae, Arnoldi Bommelii, Thomae Creechii, Henrici Sickenii, plurimorum nostra aetate exitii tristis causa: quam ex atra bile, inedia, solitudine et aliis vitae obscurioris affectibus attrahunt sibi. Berckio, Belgii Foederati ad Venetos legato, cum anno superioris saeculi XXV. coenobium Carthusianorum lustraret, illic relatum est, monachos non paucos illius ordinis diaeta, silentio, et solitudine in melancholiam actos, quotannis sibi [p. XLI] manus inferre: adeo, ut Generalis eorum more solito de statu ordinis sui referens, ad Papam dixerit: *Deo gratias, tantum quinquaginta hoc anno se ipsos suspenderunt.* vid. GISB. VOETII select. disp. Theolog. part. 4. pag. 246.

Patriae devotos passim ROBECCIOUSS notat, quibus, ex STATII Thebaidos libro 10. v. 614. seqq. Menoeceum addere possumus. Argivis enim Thebas obsidentibus, Tiresias vates praedixit, Thebanos expugnatum iri, nisi quis morti se devoveret eorum, generis qui novissimi extinti viperei. Menoeceus ergo, ut patriae consuleret, in ipsis Thebarum moenibus gladio se confudit, atque confossum corpus ad hostes deturbavit. Quo viso, protinus abierunt Argivi. Plures CICERO Tuscul. quaest. lib. 1. c. 48. extr. comprehendit.

Clarae, inquit, mortes pro patria appetitae, non solum gloriosae rhetoribus, sed etiam beatae videri solent. Repetunt ab Erichtheo, cuius etiam filiae cupide mortem experiverunt pro vita civinm: Codrum, qui se in medios immisit hostes, famulari veste, ne posset agnosciri, si esset ornatus regio: quod oraculum erat datum, si rex interfactus esset, victrices Athenas fore. Menoeceus vero non praetermittitur, qui, oraculo edito, largitus est patriae suum sanguinem. Iphigenia Aulide, duci se immolandam iubet, ut hostium sanguis eliciatur suo.

Nec dissimilis, si fabula vera est, Alcestis fides, quae cum Admetus, Rex Thessaliae, maritus aegrotaret, et oraculum brevi eum respondisset moritum, nisi amicorum aliquis morti se pro illo devovisset. Uterque parens et omnes amici recusarunt: Alcestis promptissimam se obtulit, ac semet

interfecit ipsam, ut umbra sua contenti manes, Admeto, aegroto marito, parcerent. Huius nomine inscripta est tragoedia apud EURIPIDEM. Eius et SENECA meminit Medeae Act. 3. v. 662. ubi:

Coniugis fatum redimens Pheraci  
Uxor impedit animam marito.

i. e. Alcestis, Peliae filia, impium patris imperium luens, sua morte Admetum, Thessaliae, in qua princeps Pherae oppidum, regem, maritum redemit. IUVENALIS vero satur. 6. v. 651.

Illam ego, inquit, non tulerim, quae computat, et scelus ingens  
Sana facit. --

Et non ferendam docet esse illam, quae animo liberante, mentisque compos, non ex furore, affectuum infirmitate ac vindicta, voluntariae [p. XLII] mortis nefandum scelus perpetrare non veretur: quam et ipsum LUCANUM 1. 2. v. 162. scelus vocare constat. Confer. nostra ad Robecium animadv. (im) et (id) Sed pergit IUVENALIS, mulierculas sui temporis notans Romanas:

-- Spectant subeuntem fata mariti  
Alcestim, et similis si permutatio detur,  
Morte viri cupiant animam servare catellae.

i. e. Quoties Alcestim theatalibus ludis spectant repraesentatam, contra si valerent vota, viri morte redimerent vitam catellae. Alioqui ex nimio dolore et animi aegritudine, superstites ne viris essent, mulierculae sua interiere manu. Sic Porcia, Catonis filia, et M. Bruti coniunx, cum de interficiendo Caesare mariti consilium cognosceret, egresso cubiculum Bruto, cultellum tonsorium, quasi unguis resecandorum causa, poposcit, eoque velut forte elapso se vulneravit. Clamore ancillarum in cubiculum revocatus Brutus, obiurgare eam coepit, quod tonsoris praeripuisset officium. Cui secreto Porcia, non est, inquit, hoc temerarium factum meum; sed in tali statu nostro amoris erga te mei certissimum indicium: experiri enim volui, si tibi propositum ex sententia parum cessisset, quam aequo animo me ferro essem interemptura. VALER. MAXIMUS lib. 3. cap. 2. ex. 15.

Haec tandem cum apud Philippos victimum et interemptum cognosceret M. Brutum, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitavit, et os claudens finire vitam. Idem lib. 4. cap. 6. ex. 5. PLUTARCHUS Bruti vita extr. p. m. 314. A. Hinc MARTIALIS lib. 1. epigr. 43.

Coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti,  
Et subtracta sibi quaereret arma dolor:  
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?  
Credideram satis vos docuisse patrem,  
Dixit, et ardentes avido bibit ore favillas:  
I nunc, et ferrum, turba molesta, nega.

Sic et Servilia Lepidi, Bruti ex Iunia sorore nepotis, coniux, extincto marito, ut ipsa extingueretur, insigni vesania, vivum devoravit ignem. VELLEIUS lib. 2. c. 88.

Et Arria, Caecinae Paeti coniux; marito maiestatis reo, quod in partibus esset Scriboniani adversus Claudium [p. XLIII] Caesarem, et in capitibus extremo versanti periculo, mortis solacium et exemplum fuit. Ante et ipsa Scriboniani coniugi exprobravit, quod in gremio eius occisus esset maritus, illa tamen viveret: et multis voluntariae mortis indicium fecit. Cum Thrasea, gener eius deprecaretur, ne mori pergeret, ac inter alia dixisset, tu vis ergo filiam tuam, si mihi pereundum fuerit, mori tecum? respondit, si tamdiu tantaque concordia vixerit tecum, quam ego cum Paeto, volo. Auxerat hoc responso curam suorum: ut attentius custodiretur. Quod cum sentiret: nihil agitis, inquit: potestis enim efficere, ut male moriar: ne moriar, non potestis. Dum haec dicit, exsiluit cathedra, adversoque parieti caput ingenti impetu impegit, et corruit. Refocilata, dixeram, inquit, vobis, inventuram me, quamlibet

durram, ad mortem viam, si vos facilem negassetis. Tandem marito, ut se subtraheret carnifici suo persuasit exemplo: perfodit pectus, pugionem extrahit, ac illi porrigit, addita voce: **Paete, non dolet.** vid. PLINIUS l. 3. epist. 16. MARTIALIS l. 1. epigr. 14. DIO CASSIUS lib. 60. TACITUS annal. l. 16. c. 34.

Et Tiberio imperante, Scauro accusato, ut de semet ipso statueret, Sexitia coniunx, incitamentum, et mortis particeps fuit. Teste TACITO annal. 1. 6. c. 29. extr. Calpurnia, Bestiae filia, Antistii uxor, iugulato marito suo, semet ipsam gladio transfixit. VELLEIUS l. 2. c. 26. et 88. extr.

Imperante Vitellio, Albinus, dum e Tingitana provincia Caesariensem Mauritaniam petit, appulsus litori, trucidatur: eiusque simul uxor, cum se percussoribus obtuliffet, imperfecta est. TACITUS histor. l. 2. c. 59.

In India mulieres, cum est cuiusque earum vir mortuus, in certamen iudiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit: plures enim uni marito solent esse nuptae. Quae est victrix, ea laeta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur: victae maestae discedunt. Hic certe consuetudo tyrannis. Neque examinanda, quo iure, quave iniuria fiant, omnia. Pari modo servi et ancillae dominorum sequebantur fata. Teste PLUTARCHO in Antonio, Neaera et Charmione, Cleopatrae ancillae, spontaneam dominae mortem imitatae, ac semivivae repertae, coronam reginae iam mortuae delapsam capite reposuerunt. P. Catienus Philotimus, patronum adeo dilexit, ut heres omnibus bonis institutus, in eius rogum se coniecerit. vid. PLINIUS lib. 7. cap. 36. [p. XLIV] Pl. confer. IOH.

KIRCHMANNUS de funeribus Romanorum l. 3. c. 4.

Ad singulos casus, ubi visum fuerit, animadversionibus nostris, Robeccii sententiae oppositis, respondebimus. Summatim vero ac in uniuersum de morte voluntaria sententiam damnat S. AUGUSTINUS lib. 1. de civitate Dei cap. 17. 19. 20. 22. et seqq. Non frustra, inquit, in sanctis canoniceis libris, nusquam divinitus praeceptum, permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendae immortalitatis, vel ullius carendi, cavendive mali causa, nobismet ipsis necem inferamus. Eandemque sententiam eleganter CICERO in somnio Scipionis expressit, ubi inter alia:

nisi Deus, inquit, is, cuius hoc templum est, omne quod conspicis, istis de corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, qui dicitur terra. Quare et tibi piisque omnibus retinendus est animus in custodia corporis; nec iniussu eius, a quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum est: ne munus humanum, assignatum a Deo, defugisse videamini.

Hinc Aristoteles quoque l. 3. ethicor. ad Nicomach. cap. 7. et l. 3. Ad Eudem. c. 3. definit: mori, ut vel paupertatem, vel amorem, vel molesti quidpiam fugiamus, minime esse viri fortis, sed potius timidi: quippe cum laboriosa fugere, mollities sit, neque hanc mortem sustineat quispiam, quia honestum sit, sed ut malum fugiat, et evitet. Et omnes Platonici contra Stoicos, aut si qui alii servitutis, morbi, et doloris fugam, immo spem etiam gloriae pro iusta mortis voluntariae causa admittebant, quovis modo contendunt, in custodia corporis retinendum esse animum, nec iniussu eius, a quo ille nobis est datus, ex hac vita demigrandum. Nihil adeo contra naturam, ius et aequum esse videtur, quam corpus, quod ad conservationem sui natura iussit convertere omnia, vi et impetu semet ipsum destruere, violenta manu saevire in viscera sua, aut quovis modo, corpus inter et animam quod artissimum est, solvere vinculum. Nec diffitebitur ipse Zeno, mortem esse inter ea, quae reicit et adversatur natura. Dicis, abicienda esse vincula, quibus, quin agere possit libere, impeditus valde detineatur animus. Quandoquidem ita summo placuit Numini, ferendum, ac prospiciendum est sedulo, ne quid inde vel corpori, vel animae, detrimenti suboriatur. Sicut enim, quos magistratus [p. XLV] in carcerem atque custodiam dedit, exire sine venia non debent, aut si quando semet clanculum subripere conantur, poenam sibimet ipsis adaugent: ita, qui diem a summo iudice dictum exspectare non vult, et quadam velut furtiva discessione vitam ponit, cum illius omnisci et omnipotentis rerum arbitri ultricibus non elabi possit manibus, calamitatatem suam summamque miseriam non evitare, sed culumare videtur.

Audi EPICTETUM enchirid. cap. 2.

[...] τὰ δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῖν ἀσθενῆ, δοῦλα, κωλυτά, ἀλλότρια.<sup>ff</sup>

In quae autem ius nullum habemus, ea sunt in firma, obnoxia servituti, obnoxia impedimentis, aliena.

Et cap. 3.

μέμνησο οὖν, ὅτι, ἐὰν τὰ φύσει δοῦλα ἔλευθερα οἰηθῆς καὶ τὰ ἀλλότρια ἴδια, ἐμποδισθήσῃ, πενθήσεις, ταραχθήσῃ, μέμψῃ καὶ θεοὺς καὶ ἀνθρώπους, ἐὰν δὲ τὸ σὸν μόνον οἰηθῆς σὸν εἶναι, τὸ δὲ ἀλλότριον, ὥσπερ ἑστίν, ἀλλότριον, οὐδείς σε ἀναγκάσει οὐδέποτε, οὐδείς σε κωλύσει, οὐ μέμψῃ οὐδένα, οὐκ ἐγκαλέσεις τινί, ἄκων πράξεις οὐδὲ ἔν, οὐδείς σε βλάψει, ἐχθρὸν οὐχ ἔξεις, οὐδὲ γὰρ βλαβερόν τι πείσῃ.<sup>gg</sup>

Proinde memento, si ea, quae natura serviunt, libera putaris, et aliena pro tuis habueris, fore ut impediari, lugeas, perturberis, Deos hominesque accuses. Sin id solum tuum existimaris, quod tuum est; aliena vero, ut sunt aliena: te nemo coget umquam, nemo impediet, neminem accusabis, neminem criminaberis, nihil ages invitus, nemo te laedet, inimicum non habebis. Neque enim ullam calamitatem accipies.

Nefanda iniustitia est, trucidare innocentem ac indemnatum: quod cum alii nusquam locorum conceditur: omnium minime licet illi, qui vitae custos deberet esse sua. Haecce fuit iniustitia Lucretiae, a Sexto Tarquinio stupratae matronae: quae casta et innocens, vim perpessa ab alio, ne virtutis quidem habita ratione suae, semet ipsam interemit? Semet ipsum enecare, magna saevitia est. Quotus enim quisque corum, qui de voluntaria cuiusque vel ignoti morte audivit, non obstupescit ac horret: fuisse hominem, qui ferro, veneno, laqueo, suffocatione aut praecipitio vitam finire potuerit sua sponte, et sanguinolentas in semet ipsum convertere manus.

Unde VARRO:

Quamnam te dicam esse feram,  
Qui manu corporis fervidos  
[p. XLVI] Aperis lacus sanguinis,  
Atque vita te levas  
Ferro ense?

At, inquies, voluntaria morte cruciatus maiores atque dolores praevenire student, ac semet ipsos educere magis placide. Ne hoc quidem, si vel maxime mortalibus concessum, a temet ipso impetrare poteris. Tristia plurimorum exempla docent, quid, semel sibi illata vi, temptarin in mortis agone: ut non unum saepe mortis suffecerit genus. Cleomenes, Spartanorum Rex, apud HERODOTUM lib. 6. n. 157. custodis arrepto gladio, a suris incipiens sese detruncabat: carnesque in longum discindens, e tibiis ad femora processit, e femoribus ad coxarum vertebrae atque ilia, quo usque pervenit ad uterus, in quo rescindendo expiravit. C. sive L. Fimbria, Marianarum partium, Sulla victore, Pergamum revertit, atque sibi manum in Aesculapii templo, intulit. Sed cum vulnus id minus alte esset impressum, postea hortatus est servum, se doloribus liberaret atque vulnus infligeret letale: qui dominum primo, deinde semet ipsum ferro transegit. vid. PLUTARCHUS Sulla.

Petreius, dux Pompeianus, a Caesare in Hispania victus, se ferro et inedia interemit. vid. APPIANUS bellor. civil. I. 2. Ab ipso scelere abhorret scelus, ut, qui, rebus desperatis, sua sponte vitam ponere cupiunt, sibimet ipsis inferre violentas manus valde timeant. Ita Saul, omnibus ex sacris notus Hebraeorum Rex, armigeri maluisset interire manu: quod cum obtinere non posset, ipse ferro sua viscera petiit. 1. Samuel. extremo.

In campus Philippicis Cassius, quod crederet actum esse de partibus suis, uni ex proximis caput auferendum praebuit. Pari modo Marcus Brutus, cum in Cassio etiam animum suum perdidisset, uni comitum suorum confodiendum praebuit latus.

<sup>ff</sup> EPICTETUS, Enchiridion 1, 2 ed. Schenkl.

<sup>gg</sup> EPICTETUS, Enchiridion 1, 3 ed. Schenkl.

Quis, addit FLORUS lib. 4. cap. 6. sapientissimos viros non miretur, ad ultimum non suis manibus usos? nisi hoc quoque ex persuasione non defuit, ne violent manus; sed in abolitione sanctissimarum pientissimarumque animarum, iudicio suo, scelere alieno uterentur.

Pari modo in bello Parthico, Antonius maxima rerum desperatione gladiatorem suum, nomine Rhamnum, iuramento sibi adstrinxit, ut iussus statim ipsum confoderet, et caput amputaret, ne vivus in hostium potestatem veniret, [p. XLVII] et ne mortui truncus a reliquorum cadaveribus secerni posset. FLORUS lib. 4. c. 10. P. Caelius, ab Octavio consule praefectus Placentiae, cum civitas a Cinnano exercitu esset capta, ne in hostium potestatem veniret, ad L. Petronii, amici sui, auxilium confugit, ut occideretur: qui precibus perseverantem interemis, eiusque caedi suam iuxit.  
vid. VAL. MAX. I. 4. c. 7. exempl. 5. Stulti, non sapientis est, sibimet ipsi concire vulnera et mortem: quod impetu saepius et furore quodam, aut fervida impatientia, raro vel numquam consilio, aut deliberante animo, fieri solet.

Hinc Quintilianus declamat. 344.

Itane quid minus rationis habet, quam ut is mori velit, qui habet, propter quod vivat? Stricto tamen gladio in secreto deprehendi. Iam mihi narras moras, ipsum illud secretum quaerere, et putare interesse, ubi pereat, non est ardoris in mortem impetus. Non fiunt ista, nisi subito: nec quisquam, praesertim nulla gravi praecedente causa, spiritum ratione deposuit.

XIPHILINO teste in Caligula, Macho servus in lectum Louis Capitolini descendens, multa, et ea quidem gravia vaticinatus, catellum, quem secum attulerat, occidit, et mox se ipsum interfecit. Ita Lucretius quoque sumpto amatorio poculo, eo furoris raptus est, ut manum intulerit sibi, annos plus paulo quadraginta natus. vid. dissert. nostra de adolescentia Latinae linguae cap. 3. §. 42. Desperatio prima voluntariae mortis causa. Exempla huc referenda sunt omnia, quorum etiam notatu maxime digna recensere, labor infinitus foret. Meridiana luce magis clarum istud est Marci Bruti, qui apud DIONEM CASSIUM lib. 47. Herculis ante obitum desperationis et indignationis plenum recitavit dictum, hoc verborum sensu:

O infelix virtus! itane, cum nihil, quam nomen esses, ego te tamquam rem aliquam exercui, cum tu furtunae servieris.

Quod ALCIATUS in emblem. ita expressit:

Iam iam stricturus moribunda in pectora ferrum,

Audaci hos Brutus protulit ore sonos:

Infelix virtus, et solis provida verbis,

Fortunam in rebus cur sequeris dominam?

Certe etiam vix reperias, quos aut fortuna pronior obsecuta fuerit, aut veluti fatigata maturius iterum deseruerit, quam Cassium atque Brutum. Ita teste PLINIO hist. nat. lib. 19. cap. 6. Mela, equestris ordinis [p. XLVIII], Senecae philosophi frater, ex procuratione a Tiberio (legendum Nerone) principe accersitus, in summa desperatione, suco porri hausto, confessim sine cruciatu exspiravit, confer. TACITUS annal. I. 16. c. 17.

Ad quid sua sponte homines miselli e vita abeunt? Ut suam servarent tranquillitatem animi? ut libere agarent? ut ignominiam fugerent, et omnia mortalitatis incommoda? Falluntur perdite. Bonam, cui aliquid dandum est; perdunt nominis famam. Nexus rerum atque ordinem turbant. Refrangentur saluberrimis legibus. Officiunt exemplo. Corpus affligunt. Tantumque abest, ut desperationi, odio, dolori, vindictae, aliis affectibus, dum indulgent, agere possint libere: quin passiones suas secum auferant, ac metu, vel ira abrepti, ac nefariis infecti velut sordibus, ad puras liberasque animas et felicitatis aeternitiae usuram accedere minime gentium videantur.

Hinc etiam VERGILIUS Platonissans Aeneid. I. 6. v. 434.

proxima deinde tenent maesti loca, qui sibi letum  
insontes peperere manu, lucemque perosi

proiecere anima. quam vellent aethere in alto  
nunc et pauperiem et duros perferre labores!  
fas obstant [v. l. fata obstant], tristisque [v. l. tristique] palus inamabilis undae [v. l. unda]  
alligat et novies Styx interfusa coeret.<sup>hh</sup>

Pari modo, quem ille sedulo imitatur, HOMERUS odyss. λ, Achillis animam, quam Ulixes felicem  
praedicaverat, inclutam in vita, et quod post fata nunc longe imperaret mortuis, subtristem product  
atque respondentem:

“μὴ δή μοι θάνατόν γε παραόδα, φαιδίμ’ Ὄδυσσεῦ.  
βουλοίμην κ’ ἐπάρουρος ἐών θητευέμεν ἄλλωι,  
ἀνδρὶ πάρ’ ἀκλήρῳ, ωὶ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,  
ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.  
[...]”<sup>ii</sup>

Ne sane mihi de morte loquaris, include Ulixes:  
Mallem rusticus mercede servire alii  
Viro inopi, cui non victus multus esset,  
Quam omnibus mortuis vita defunctis imperare.

Nec ab re IOSEPHUS de bello Iudaico 1. 3. c. 14.  
pure animae, quem in [p. XLIX] caelis sanctissimum adeptae sunt, retinent locum: atque inde rursum,  
volventibus saeculis, casta corpora iubentur incolere. Quorum vero manus in se ipsos insanierunt,  
eorum animas tenebrosior orcus suscipit.<sup>jj</sup>

Quin pro lubitu se quisque interimeret, obstat religio, obstat res publica, et ipse Deus. Unde  
MARCELLUS PALINGENIUS virg. seu lib. 6. extr. ex Stoicorum mente:

Quod nisi religio obstaret, legesque Platonis,  
Et Deus, hortarer te ultro dimittere vitam,  
Et sortem insanam, et sceleratas linquere terras.  
Non vinum, ut vinum appetitur, sed tale, bonumque.  
Sic et vita, ut vita, est nil, nisi sit bona: quod si  
Est misera, ut vinum corruptum despiciatur.

Peccant in Deum gravissime, qui sibimet ipsis non verentur inferre manus. Illius enim providentiae,  
consilio et mandato, vi et impetu semet subtrahere conantur, ac improba manu destruere, quod  
omnipotens et sapientissimus creator, ac summus rerum omnium arbiter, ab se insigni beneficio  
productum conservat. Negant iudicis summi bonitatem, iustitiam, misericordiam, potestatem. Illi nihil,  
sibi solis omnia tribuunt. Divinae protectioni derogant, quantum possunt, illi homunciones nasutuli  
atque rebelles; suumque atrox liberi arbitrii idolum adorant; insipientem sapientiam et affectuum  
tyrannidem, non rationem et revelatam Numinis aeterni voluntatem sequuntur. Quacumque, quam  
stolidē fingunt, necessitate, dum id agunt, ut educerent ssse: omnia sapientissimo consilio directricem  
T. O. M. Dei excutiunt manū: quali decrepitos et silicernia non alere; aegrotos non sanare; dolores  
non lenire; ignominiam non auferre; pericula non avertere; tyrannidem non inhibere; admissos  
cruciatus non finire, vitam non solvere; nec ad salutem quicquam traducere possit. Si Deus est rerum  
prima omnium causa, ex qua cetera pendent, ut SENECA habet 4. de benef. 7. iniurius in Deum est, qui  
consilia eius quovis modo, nedum violenta manu, quasi mors esset arbitrii nostri, anteverttere conatur.  
Sanior hoc ratio omnibus dictitat, vitam ab semet habere neminem, sed ab omnipotente, maximo, et  
sapientissimo rerum arbitro: qui, ut sine consilio et opera [p. L] nostra, artissimum voluit esse corporis

<sup>hh</sup> Verg. Aen. 6, 434–439 ed. Mynors.

<sup>ii</sup> Hom. Od. 11, 488–491 ed. West.

<sup>jj</sup> Flavius Iosephus, De bello Iudaico 3, 374–375 ed. Niese: [...] καθαραὶ δὲ καὶ ἐπήκοοι μένουσιν αἱ ψυχαί,  
χρόνον οὐράνιον λαχοῦσαι τὸν ἀγιώτατον, ἔνθεν ἐκ περιτροπῆς αἰώνων ἀγνοῖς πάλιν ἀντενοικίζονται σώμασιν.  
ὅσοις δὲ καθ’ ἑαυτῶν ἐμάνησαν αἱ χεῖρες, τούτων ἥδης μὲν δέχεται τὰς ψυχὰς σκοτεινότερος, [...]

et immortalis animae vinculum; istud etiam, quandocumque lubet, solvere, nihil cooperantibus nobis, facillime potest. Itane maiestatis postulandi sunt, qui, quod summi Numinis est, arrogant sibi, et nobilissimam adorandi opificis machinam, quasi concessum sibi in se ius vitae et necis, interturbare conantur? Nihil iuris habemus in id, quod in nostra potestate non est. Corpori et vitae nihil possumus addere, nec venientibus ex animi sententia resistere morbis, nec, si vellemus, omnibus divitiis ab nobis propellere mortem. Ecquis dixerit se in vitam, quae in sola datoris manu est, ius plane ec imperium habere? Hinc bene IOSEPHUS de bello Iudaico 1. 3. c. 14.

A Deo accepimus ut essemus: rursumque, ut esse desinamus, illi reddendum est. Corpora quidem cunctis mortalia sunt, ex caduca materia fabricata: anima vero semper immortalis est: Deique particula in corporibus collocata. Si quis ergo depositum hominis surripuerit, aut male tractaverit, pessimus statim ac perfidus habetur. Si Dei depositum ex proprio corpore quis eiecerit, eum se latuisse, quem laeserit, aestimabit? Et servos quidem fugientes ulcisci, iustum creditur, quamvis nequam dominos fugerint: ipsi vero Deum fugientes, et optimum Deum, impie facere non videbitur?

Per omnem vitam maius nullum beneficium mortalibus ab immortali Numine tributum, quam ipsa vita. Ea enim dat nobis esse, ut vivere beate, atque adeo ad summi boni possessionem pervenire queamus. Dicis, beneficia nemini sunt obtrudenda. Neque sunt ab illis, qui sui iuris non sunt, sine magno scelere reicienda temere. Dicis, a cena possumus surgere satiri. Non invito Domino, qui, ad cenam consumendarn, certum manendi terminum dixit. Dicis, vestem mihi inutilem depono. Lubente Domino, ut habeas; non licet. Dicis, exeundum, ubi habitationis commoda deficiunt. Manendum vero, ubi, qui nobis imperat, in cuius potestate sumus, qui Dominus est, benevole ac severe nos manere iubet. Eademque saniorum philosophorum sententia est omnium. Apud CICERONEM de senectute Pythagoras vetat, iniussu imperatoris, i. e. Dei, de praesidio et statione vitae discedere. Platonicorum haec communis assertio, piis omnibus retinendum esse animum in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est datus, ex [p. LI] hominum vita migrandum esse: ne munus humanum, assignatum a Deo, defugisse videamur. vid. CICERO in somn. Scip.

Egregia APULEII sententia in libro de philosophia:

Nec frustra est, quod sola virtus fortunatissimos potest facere, cum absque hac ex aliis prosperis non possit felicitas inveniri. Sapientem quippe pedissequum et imitatorem Die dicimus, es sequi arbitramur Deum. – Non solum autem oportet, dum vitam colit, digna Diis discere, nec ea agere, quae eorum maiestati displiceant; verum et tunc cum corpus relinquit, quod non faciet invito Deo. Nam etsi in eius manu est mortis facultas, quamvis sciat, se terrenis relicitis consecuturum esse meliora; nisi necessario perpetiendum esse istud lex divina decreverit, accersere tamen eum mortem non debere.

Rebelles miseri, qui sua sponte in exitium ruunt, exemplo et pestifera doctrina pluribus quoque in re publica nocent. Auferunt, quantum in ipsis, ut turbant naturae ordinem, quaecumque dominantium et servientium, imperantium et parentium officia. Ecquis principi suo subiectus civis; quis domino fidelis servus: si dicere cuique liceret, non serviam, ac semet occidere? Milites sua conciderent manu: dum pericula, hostium vim et cruciatus, lentam mortem, belli alia incommoda praestat morte praevenire voluntaria. Eodem ictu patria omnibus esset privata praesidiis. Iudicia cessarent, omniaque supplicia: si reis, captivis, et quibuscumque in re publica flagitiis grassantibus mori, quam causam dicere, poenas sumere, quam dare liceret. Exstirpandus populi honos cum senectutis gravitate. Nec certa parentum, nec liberorum possessio. Plena panico omnia terrore. Virtutis, constantiae, patientiae, frugalitatis nulla exempla. Vitiorum atque scelerum certum stabilitur asylum atque refugium. Sic satis prolixe veterum philosophorum et homuncionum, qui erroris plane incauti triste illorum sequuntur decretum, utpote periculosissimam, de morte voluntaria sententiam impugnavimus. Perplacet tamen ea saniori sensu piorum mors voluntaria, qua, Deo vocante et solvente natura, quam maxime lubentes ac laeti ex aerumnosa hac ad feliciorem aeternaturam vitam transeunt. Vidimus de salute desperantium tristia satis, attamen imperterrita fata: tot vidimus sine fide, sine solacio, contemptae ac fortiter appetitae mortis exempla. Si tantum robur vanissimis [p. LIII] hominibus fuit in mortem: cur veram profitentes sapientiam Christiani, immortalis Dei auxilio, et salutis certa spe freti, trepidant concidantque animis? Non est malum, crede mihi, mors, sed malum est ad mortem impius furor; malum item mortis est

metus. Non est mortale, ad quod ipsa morte adspiramus, *immo* pervenimus: res ipsas consecuturi, umbras relinquimus. Ad summam felicitatem obtinendam, mors optimum naturae inventum, et malorum omnium remedium est. Quid ergo ad extrema trepidamus? Invicti, utut non inconcussi, esse possumus. Vocante Deo, compareamus hilares ac laeti. Ex huius mundi aerumnis tandem ad *caelestia* gaudia transeundum est. Ebolemus! Ebolemus! Excipiet nos magna et immortalis voluptas. Excipiet nos inconcussa felicitas. Excipient gaudia apud *caelites* aeternatura: quae nulla mortalium eloquentia, oratorum nulla facundia describere aut eloqui potest.

Λέγει ὁ Θεὸς ὁ μαρτυρῶν ταῦτα· ναί, ἔρχομαι ταχύ. Ἀμήν. Ναί, ἔρχου κύριε Ἰησοῦ.<sup>kk</sup>

---

<sup>kk</sup> NA28 Ap. 22, 20: Λέγει ὁ μαρτυρῶν ταῦτα· ναί, ἔρχομαι ταχύ. Ἀμήν, ἔρχου κύριε Ἰησοῦ.

## De εύλογω ἔξαγωγῇ sive morte voluntaria philosophorum et bonorum virorum etiam Iudeorum et Christianorum.

Qui ex Christianis, sapientiam scientiamque humanarum etiam rerum professis, primi, <sup>a)</sup> Lactantius et Augustinus: quos deinde alii omnes, auctoritate (ut fit factumque illis praesertim et in sequentibus temporibus, obtenu fidei, et inter continuas cruentasque de ea contentiones oppressa fere ratione et [p. 2] vetere philosophia) velut torrente abrepti, sunt secuti: <sup>b)</sup> de morte voluntaria vel obiter, vel accuratius egerunt; eam, de qua loquemur, declamatoriis dumtaxat artibus circumscriptam, aut loquacibus, ut Valerius ait, argumentis [p. 3] infamatam, calumniisque obrutam, damnarunt. <sup>c)</sup> Varias eius rei causas, aut invitamenta comperio. Et primum quidem, postquam Constantino Imp. desiissent graves illae latissimeque grassatae calamitates, persecutionum nomine notae; <sup>d)</sup> atque simul desiissent magna ex parte cum aliae pristinae Christianorum virtutes, tum rara illa fortitudo [p. 4] ac magnitudo animi, quae in vitae mortisque contemptu potissimum eminet: <sup>e)</sup> cooperunt doctores naturali amori vitae, indeque timori suo indulgere; ideoque docere alios, eisque suadere, quod ipsis prius genius, affectus, moresque sui praesentes suaserant. <sup>f)</sup> Certe iam pridem legisse me memini, Augustinum, acerrimum vitae cuiuscumque, etiam morte peioris, defensorem, ex timore in morbum et mortem incidisse: dum Vandali Africam [p. 5] populati, Hippone tertio iam mense obsidebant. <sup>g)</sup> Deinde constat fere, eum aliasque Patres, quacumque demum ex causa, affectu et proposito, philosophis, ubicumque ulla specie ratiuncularum et verbolorum quorundam poterant, contradicere gestisse. Itaque, ut verbis nonnullis critici recentioris utar, tot fuci rhetorici, tot male cohaerentes sententiae, tot calumniantes expositiones doctrinae adversariorum, tot vestigia odii, in scriptis eorum latent, aut potius apparent, ut sibi fidem et auctoritatem saepe [p. 5] detrahant ipsi: certe pessimum posteris reliquerint exemplum, quod plerique omnes sunt imitati. <sup>h)</sup> Queritur in quadam epistola LIPSIUS: Passim ambitio, invidia, detractio: et commune parvis magnisque ingeniis vitium, ingratitudo. A veteribus haurimus cotidie, quae scribimus: quotus quisque fatetur, aut meminit? immo quotus quisque non contradicendo temere veteribus, maioris ac velut divinioris sapientiae famam affectat? Quasi hoc uno magni, si nemo praeter nos magnus. Praeterea facile est, observare cum VOSSIO l. 3. De Idol. Solitos praesules Christianos philosophis probatas sententias ideo recere ac damnare, quia haeretici [p. 7] quoque et schismatici, quos vocabant, eas amplectebantur: ac si ob consensum hominum, sin minus fide singulari, certe ratione communi praeditorum, quicquam fieret, aut idoneo indicio proderetur falsum; idque in rebus rationi subiectis. Tempore autem Augustini magnae supererant reliquiae Donatistarum, philosophis de morte consentientium, eademque omnes hostium machinas, minas, vim, crudelitatem eludentium, monstrantiumque se fortiter mori posse, vinci autem cogique vivos non posse. Hos ergo vi invictos, calamo sibi expugnandos, erupta pristina facultate sponte moriendi, sumpsit Augustinus. <sup>i)</sup>

[p. 8] Utcumque vero haec aliaque se habeant, profecto mire is se, et scripturam, aliaque nonnulla torsit, ut quod vellet, et novae opinioni, Christianis etiam ipsis per IV fere saecula ignotae, aut non probatae, immo multis illustribusque exemplis ac factis damnatae: opinioni, inquam, affectuique suo conveniebat, extorqueret; ideoque nusquam summam, cardinem ac statum causae aut controversiae, clare et distincte proponit: vel, si obiter, confuse et ambigue quandoque attigerit, non fortiter inhaeret, et rem ipsam premit; sed vel legislatorem aut dictatorem ipse se facit, iubet, vetat, [p. 9] minatur poenas, etiam aeternas; vel rhetorum more hinc inde vagatus conquirit, probat, improbat, exaggerat ea, quae aliena sunt, vel quae in universum pro ordinaria rerum hominumque condicione valent; <sup>k)</sup> sed ideo non impediunt, nec efficiunt ut in necessitate et extrema calamitate, in rarioribusque casibus et eventibus aliter agere non liceat. <sup>l)</sup> CICERONI consentiunt omnes, et necesse est fateri, incidere saepe tempora, cum ea, quae maxime videntur digna esse iusto bonoque viro, commutantur et fiunt contraria. Ita ille 1. de offic. n. 31. idem 2. off. n. 60. Tota, inquit, ratio talium actionum genere vitiosa est, temporibus necessaria. Et l. 3. n. 19. Saepe tempore fit, ut quod plerumque turpe haberi soleat, inveniatur non esse turpe. Rursus n. 95. Sic multa, quae natura honesta esse videntur, temporibus fiunt non honesta, facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate, fiunt non honesta.

Porro constat, concurrentibus, et sibi obstantibus officiis: e. g. conservandae vitae, et conservandae honestatis, vel evitandorum ingentium et intolerabilium malorum: maius [p. 10], et magis necessarium ac urgens, esse anteponendum minori, vulgari, et ordinario.<sup>30)</sup> Denique constat, iniurias saepe exsistere calumnia quadam, aut nimis severa iuris interpretatione: ex quo illud, summum ius, summa iniuria. Universim iniquissimum est, cuiquam rem suam auferre, vi etiam adhibita. Sed an ideo non licebit ebrio, irato, insano gladium suum auferre, immo vi extorquere? Inhumanum est, sitienti et roganti aquam denegare: an vero ideo dabis ei, qui aestuat febri? Ut frigidam, inquit SENECA 2. de benef. c. 14. aegris negamus, et lugentibus ac sibi iratis ferrum — sic ea quae nocitura sunt, impense ac submisso, nonnumquam etiam miserabiliter, rogantibus perseverabimus non dare. Idem 1. 4. c. 10. Depositum reddere, per se res expetenda est: non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. — Intuebor utilitatem eius, cui redditurus sum, et [p. 11] nocitum illi depositum negabo. Innumera sunt eiusmodi, in quibus non secundum verba legis cuiusdam, etiam divinae; sed secundum rationem et prudentiam, considerato praesenti rerum hominumque statu, est agendum. Id vero est ὑπὲρ νόμον φιλοσοφεῖν καὶ πολιτεύεσθαι, ut loquitur CHRYSOSTOMUS. Exemplum habemus memorabile 1. Machab. 2. ubi Iudei ab hostibus occisi traduntur die sabbathi, inulti et immoti: donec experti doctorum suorum ac legis peritorum, ut putabantur, imperitiam, atque malis suis edocti, non eo extendenda verba legis, decernerent se defendere, et adversus hostes pugnare, etiam sabbathis.

Rursus CICERO pro Caecina, istum, inquit, locum fugis et reformidas, et me ex hoc, ut ita dicam, campo aequitatis ad istas verborum angustias, et ad omnes litterarum angulos, revocas. Et pro Milone, cui haec ipsa lex, non occides, opponebatur: Si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe istud est non modo iustum, verum etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur.

Porro omnes iuxta script. considerantes primam propagationem generis humani, necesse est fateri, licita ab initio et honesta fuisse fratrum et sororum saltem, nisi quandoque, parem ob causam, parentum quoque et liberorum commercia Venerea, vel coniugia. Hac certe ratione IRENAEUS et CHRYSOST. excusant quoque filias Lot. Verba IRENAEI, adducta ab auctore historiae Philos. Ethn. tom. 2. p. 184. haec sunt: Illae quidem filiae, secundum simplicitatem et innocentiam, putantes, universos homines perisse, quemadmodum Sodomitas, et in universam terram iracundiam Dei supervenise, dicebant haec. Quapropter et ipsae excusabiles sunt, arbitrantes, se solas relictas cum patre [p. 12] suo ad conservationem generis humani. Haec v. commercia et coniugia aliis temporibus, et nunc praesertim, in tanto hominum utriusque sexus numero, pro gravissimis flagitiis habentur. Numerus a. maior minorve quid nisi circumstantia quaedam, quae rem ipsam absolute spectatam non mutat, et facit aliam. Id saltem patet, licita esse multa in necessitate et aliquibus circumstantiis, quae extra eas sunt illicita. Quaedam, ait SENECA, contr. 25. quae licent, tempore et loco mutato, non licent. Et alias: Eadem, circumstantiis variantibus, modo lege vetita sunt, modo permissa. E.g. aliena auferre, etiam naturali iure prohibetur: sed in extrema necessitate, si quis, ad vitam e praesente periculo tuendam, sumat aliunde, eum furtum admittere, vel, quod illicitum sit, facere, negant auctores gravissimi. Plura deinde affert exempla ex Grot. de I. B. et P. 2. 2. 6. petita, ut videtur, quae non est necesse repetere. Socrates apud XENOPH. 1. 4. evidenter demonstrat, et Euthydemum fateri cogit, mentiri, decipere, furari, praedari, quandoque iustum ac licitum esse: nempe adversus hostes; immo amicos etiam: ut si dux videat exercitum perterritum, mentitusque dicat, affuturos illico socios, istoque mendacio commilitonum animos confirmet: si quis filio pharmacum, quo maxime indigeat, abnuenti, cibi loco dederit, et hac deceptione illum liberaverit. Plura adiungit. Recte igitur Theophrastus apud GELLIUM 1. 3. Omnes officiorum aestimationes alia nonnumquam momenta extrinsecus, atque alia, quas appendices personarum et causarum, et temporum, et circumstantiae ipsius necessitatis, quas includere in pracepta difficile est, moderantur et regunt, et quasi gubernant, et nunc ratas efficiunt, nunc irritas. [p. 13] Et CHRYSOSTOMUS hom. 17. in Matth. exemplis Phineae, Abrahami, et Petri, allatis: Non sola igitur, inquit, respiciamus opera, sed tempus, et causam, et voluntatem, et personarum differentiam, et quaecumque alia ipsis operibus acciderint, diligentissime requiramus: non enim possumus aliter ad veritatem pervenire. EPICTETUS quoque diss. 1. 2. explicans, quo pacto decorum servare quiske possit in omnire suscipienda: Decentis, ait, ac indecentis operis iudicium describitur, non modo rerum, quae extra nos sunt, et quibus utimur, momentis; verum etiam suae personae respectu quisque id

ponderat. Videbitur equidem cuiquam convenire ac consentaneum esse, tenere matulam: ei nimirum, qui eo respicit, ut si non teneat, vapulet. — Id ipsum v. alii cuipiam est intolerabile. L. Arruntius apud TACIT. 6. ann. c. 48. cunctionem (moriendi) et moras sua dentibus amicis: non eadem omnibus decora, <sup>n)</sup> respondit. sibi satis aetatis, neque aliud pænitendum, quam quod inter ludibria et pericula anxiā senectutem toleravisset — prospectare iam se acrius servitium, eoque fugere simul acta et instantia. Haec vatis in modum dictitans, venas resolvit. Iuxta ARISTOT. quoque prudentia, omnium virtutum et actionum honestarum dux ac velut magistra, est rerum, [p. 14] non universarum, sed singularium, fortuitarum, et mutabilium, atque adeo in infinitum abeuntium, quae proinde cognitione comprehendi nequeunt. Itaque non nemo desinit prudentiam, ut sit virtus intellectus, qua in quolibet negotio occurrente cognoscimus quid faciendum, vel omittendum sit. Mox ait prudentiam versari circa actiones singulares. Non enim esse prudentem, qui novit in genere quid faciendum sit, sed in singularibus actionibus non novit determinare circumstantias necessarias, ad operandum honeste. Rursus ARISTOTELES Nicom. 2. 2. posito hoc generali decreto: rectae rationi convenienter agendum esse: illud a. inquit, prius conveniat, et confessum sit, omnem, quae de rebus in agendo positis habetur, orationem rudiore quadam forma, et adumbrata, non exquisita, neque accuratius expressa, constare oportere. Nempe quae in actionibus versantur, quaeque ad aliquid conducunt, nihil firmitatis, nullam certam sedem habent, quemadmodum neque res salubres. Paulo post ait, eos, qui in rebus gerendis versantur, semper oportere occasionem intueri. Denique paucis, recte apteque distinxerunt officia Stoici, et docuerunt, quaedam esse absoluta, et ἄνευ περιστάσεως, calamitatis expertia, ut interpretatur ALDOBRANDINUS; quaedam v. περιστατικὴ, quae non iuxta communes et ordinarias naturae, sed singulares necessitatis velut leges fiunt. <sup>o)</sup>

## I. Quaestionum divisio, claraque et distincta explicatio.

Hic igitur primum, ut amphiboliae, captiones, fallaciae, et calumniae aliorum, quantum fieri potest, evitentur, ac vaga, apparatuque verborum generalium, vel inanum, luxurians, vel atrocium fulminans oratio coercentur: quaestiones clare et distincte ponendae sunt: ut appareat, quid affirmetur, quid negetur, quidque proinde probandum, quidque damnandum sit. Postea videbitur, utrum Augustinus et sui rite probaverint ea, quae debuerant, an declamaverint tantum, et quaedam coloraverint.

Haec **v.** disquisitio in universum quoque, et ad alia omnia, quae rationis humanae finibus continentur, maxime prodest: praesertim ad ea, quae iuris naturae putantur, atque in his ad ea cumprimis, quae generales, graves, gravissimas, omnique exceptioni necessitatis, omnibusque casibus ac eventibus exemptas obligationes imponere dicuntur, dignoscenda, confirmando, aut explodenda. Hic, si uspiam, intendendus animus, accurateque dispiciendum, *qua de re agatur*, et an ea, ut debet omnino, solidis invictisque argumentis demonstretur. Hic Menedemi exemplo, contra Eristicum sophistam, in ipsis foribus obsistendum, nec parendum vocibus et interpretationibus argutantium. Hic magno animo de magna re iudicandum. Hic superstitione, formidine, aliisque affectibus puerilibus et muliebribus, etiam virorum non paucorum; hic veritati saepe nocentissimis praiejudiciis auctoritatis, praesertim hominum novorum [p. 16], et subinde velut in dumeta correpentium; hic fallaciis amphiboliae, petitionis principii, ignorationis elenchi, eius quae dicitur secundum plures interrogations; hic expositionibus, rationibus et confirmationibus, vel ob infirmitatem, vel ob vanitatem vitiosis, quarum complures annotavit auctor ad Heren. l. 2. et adversarii adoptasse videntur; hic coniecturis et suspicionibus; hic denique fucis et artificiis oratoriis quam longissime remotis; verus status quaestione semper ante oculos habendus, eoque referendae rationes, quae hinc inde adducuntur. M. ANTONINO imp. 8. 26. Ex propriis homini est διάκρισις τῶν πιθανῶν φαντασιῶν. Et EPICETETUS l. 27 bene monet contra πιθανότητας, adeoque contra ea quae dixi, praesertim contra rationes illas infirmas et vitiosas, in promptu esse habendas praenotationes animi evidentes, easque ratione perpolitas. Et 2. 11. principium philosophiae, sive veri usus rationis, atque primum ac praecipuum philosophantis opus esse κατάγνωσιν καὶ ἀπιστίαν πρὸς τὸ ψιλῶς δοκοῦν, quam comitetur accurata inquisitio, num recte aliquid videatur: item inventio regulae cuiusdam, quemadmodum pensitandis ponderibus statera est inventa, et perpendiculum atque amussis tortuosis et rectis internoscendis. <sup>p)</sup>

Profitetur GROTIUS in proleg. sibi curam hanc fuisse, ut eorum, quae ad ius naturae pertinent, probationes referret ad notiones quasdam tam certas, ut eas nemo negare possit, nisi sibi vim inferat. Itaque, ut obiter et in antecessum moneam, ea quae l. 2. c. 19. dissertat, vel non pertinent ad ius naturae, vel hic ipsi ea cura non fuit. Nullae enim [p. 17] hic tales notiones, sed confusiones, vagationes et malae artes illae, quas in Epicureis passim notat Plutarchus; eos multa confertim, nihil ordine proferre, et alia aliunde petita; item voces hinc inde avulsas, et exempla a *re de qua agitur* aliena, atque testimonia etiam falsa congerere. <sup>q)</sup> Neque solus Grotius, sed adversarii omnes, quos ego quidem vidi, hic ita procedunt, atque rem omnium gravissimam, ex qua rationis et prudentiae singularis vis et usus, (quo enim mihi ratio et prudentia, qua in extremis calamitatibus uti non licet? vel ad quid? ut iudicem, nefas esse, suadente ratione ipsa et prudentia, mori sponte?) tranquillitas animi, fiducia, felicitas humana, eiusque tutela et securitas pendent, quaeque omnibus mortalibus, si casus ita tulerit, quidquid turpissimorum, atrocissimorum, ac intolerabilium malorum umquam incidere possit, perpetiendi necessitatem imponit: hanc, inquam, tantam rem tam confuse, negligenter et temere tractant, ac si de problemate tantum, vel quaestione scholastica, in utramque partem disputabili, ageretur: ubi nihil interest utra pars sit vera vel falsa; atque ubi ferociores, allatis quibuscumque ratiunculis, protinus se viciisse, rem confecisse et clare demonstrasse, adversosque profligasse ac obrivisse putant et vociferantur. <sup>r)</sup> Intolerabile [p. 18] id quidem ubique, sed hic maxime, etiam si de unius tantum hominis morte, eaque simplici, facili et ordinaria ageretur; simileque fere regis illius exemplo, de quo AELIANUS, v. h. 14. 43. Ptolomaeus, scribit, cum ad talos sederet, et alea luderet, assistens quidam condemnatorum ipsi nomina recitabat, et crimina in eos collata referebat, ut ille quinam mortis supplicium commeruissent, decerneret. Berenice **v.** uxor eius, accepto

libello e recitantis manu, non permisit legere, dicens, non sic obiter advertendum animum esse, cum de hominis salute disceptetur. Quid <sup>v.</sup> interest, talisne et alea, an ludicris, levibus, futilibus ac quibuscumque demum sophisticis argumentulis ludas, cum de salute, praesertim bonorum virorum et honestarum matronarum ac virginum, disceptetur?

Hic igitur primum, ut ambigua una cum captionibus, fallaciis et calumniis evitentur, dividamus quaestiones, clareque et distinete proponamus. Porcius Latro, apud SENECA [p. 19], controversiam primam de filio abdicato varie divisit, et primum quidem in ius et aequitatem, an abdicari possit, an debeat. Ita haec quoque controversia dividi potest, quaerique an aliquis certis in casibus possit mortem occupare, sive an id ei liceat; an debeat etiam. Idem fere fuerit, certe ad propositum nostrum, ut ad omnia officia περιστατικὰ, suffecerit, si quaeras, an nemo ullo in casu possit vitam sponte finire, sed debeant eam omnes semper conservare. <sup>s)</sup> Tum <sup>v.</sup> quaeritur primum et in universum, an ulla sit lex, vel naturalis, vel divina, quae vetet quicquam ex iusta et necessaria causa agere; saltem occidere que<sup>m</sup>quam, quando id ratio, virtus, iustitia, necessitas exigunt. <sup>t)</sup> Deinde singulatim quaeritur, an ulla denuo sit lex, el naturalis, vel divina, an ratio et virtus ulla, quae districte iubeat ita corpus amare et complecti, ut quantumcumque fiat ac sit rationi, virtuti, societati humanae, hominique ipsi inutile, immo damnosum ac perniciosum, illud tamen quocumque modo, turpi etiam aut indecoro, alere, tueri ac conservare necesse sit: nec ulla detur, nec dari possit iusta et necessaria causa; nec ullus hominum devenire ad talem statum, ac in eiusmodi tempora incidere, quibus liceat ei operam suam commodare [p. 20], atque id agere, ut citius moriatur, distrahatque cum corpore societatem. <sup>v)</sup>

Quaeritur etiam, an imminente morte inevitabili, sed [p. 21] cum longis aut atrocibus tormentis, non liceat occupare mortem faciliorem, et minus, aut brevius saltem cruciaturam. Cogita extrema illorum, qui vel ab igne circumventi, vel in caveam et taetrum carcerem, puta aliquem Actiolineis et Iaponicis similem, coniecti fuerunt; ut inedia, foetore, frigore tarde perirent. Cogita Phalaridis taurum, scapharum apud veteres Persas supplicium, de quo PLUTARCHUS in Artax. Cogita vivorum corpora cadaveribus alligata: cogita effossos oculos, exsectam linguam, laceros artus, singulas corporis partes avulsas, aquataque membris vulnera. Cogita dirae famis, pestis, lentorum et insanabilium morborum, aliorumque malorum intolerabilium, certe quae paucissimi fortiter tolerare potuerunt, exempla. Varia passim infra afferemus. Interim metum mortis non tantum esse, quantum tormentorum fatetur TERTULLIANUS. Itaque tortos plerumque mentiri, post QUINTILIANUM, AUGUSTINUS quoque l. 19. de C. D. c. 6. fateri videtur. Et CICERO, saepe, inquit, quaestionibus resistendum est, quod et dolorem fugientes multi in tormentis ementiti persaepe sunt, morisque maluerunt, falsum fatendo, quam infitiando dolere. TACIT. ann. 15. c. 56. Tormentorum asperitatem et minas non tulere. et de Christianis ipsis c. 44. Igitur primo correpti, qui fatebantur: nempe falso, se incendisse urbem. Infinita sunt exempla aliorum, qui tormentis, vel diuturnitate gravium malorum, fracti fidem quoque eiurarunt. Praeter alia inferius adducenda, ex BOSII notit. Hispan. refertur, Muleum Abdelmonem ex Africa in Hisp. traiectis copiis circa A. C. 1150. Christianorum inter Mauros reliquias (qui vulgo Muzarabes dicebantur) ad abdicandam Christianam religionem per varios cruciatus adegisse. [p. 22] Innumeros alios in eodem periculo versatos, testantur vel historiae ordinum eorum religiosorum, quibus cura redimendi captivos Christianos. SPONDANUS ad A. C. 1218. Barcinone, scribit, regibus in mutua foedera coeuntibus, in Hisp. nova piorum hominum instituitur sodalitas nomine B. Mariae de mercede. Multi terra marisque Christiani homines capti a Mauris, et in servitutem abacti, vitae acerbitate a fide Christiana movebantur. Verba Breviarii Rom. in festo B. M. de merc. haec sunt: Quo tempore maior feliciorque Hisp. pars diro Saracenorum iugo opprimebatur, innumerique fideles immani servitute, maximo cum periculo Christianae fidei abiurandae, amittendaque salutis aeternae, infeliciter detinebantur etc. <sup>x)</sup>

[p. 23] Tormentis pares, immo minus, etiam fortissimis, tolerabiles esse morbos quosdam, Alexandri M. Adriani, Galerii, Leonis Isaur. Copronymi, aliorumque complurium exempla, ut ea scriptores quidam rettulere, testantur. Magnum quoque illud sacramque patientiae exemplum, Iob [p. 24] c. 6. queritur, et quaerit, quae est fortitudo mea, ut patiente sustineam? aut quis finis meus, ut patiente

agam? Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea aenea est. Et c. 7. elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.<sup>y)</sup>

Fami quoque ferendae innumeros impares fuisse, constat. Itaque multi se ipsos, multi alios occiderunt. Matres quoque proles suas mactasse et devorasse, historiae testantur.<sup>z)</sup> Quod si v. nihilominus haec omnia omnibus [p. 25] tolerabilia dicuntur tibi potius, quam sunt; an ideo protinus verbis tuis contra tot exemplac redendum, omnibusque imposita necessitas ea tolerandi? Mortem quidem, ait TULLIUS, omnibus natura proposuit; crudelitatem mortis et dedecus virtus propulsare solet. Et Lepidus apud SALLUST. in fragm. hist. l. 1. Estne viris reliqui aliud, quam solvere iniuriam, aut mori per virtutem? quoniam quidem unum finem natura vel ferro saeptis statuit: neque quisquam extremam necessitatem nihil ausus, nisi muliebri ingenio, exspectat. aa)

Ridiculus est hic, ut alias passim, distinguendi atque sibi coniuncta implicataque discerpendi artifex PHILARETUS, qui eth. l. 2. c. de prudentia, exilire, inquit, e turri, cui faces subiecere hostes, usui est ad fugam ex incendio, et simul servit adpropriam necem. Atqui sagam quippe bonam per [p. 26] se capessere licet: necem sibi, quippe malam, inferre, nefas est. Atqui ista bona fuga tua naturaliter hic coniuncta est malae neci sui; adeoque eadem actio erit et bona, et mala. Deinde exsiliens ille, nisi mens ei excussa, non aliam utique meditatur fugam, quam Brutus post pugnam Philip. nempe mortem: sed eam sua saltem opinione leniorem, qua fugiat atrocius ignis tormentum. CICERO ad Attic. 15. 20. Ex hac nassa exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris. PHILIP. BEROALDUS comment. in l. 6. Apuleii, atque haec sub finem libri verba: Tum foetore nimio nares aestuabunt, inediae diutinae letali fame tabescet: nec suis saltem liberis manibus mortem sibi fabricare poterit:

Cum mors, inquit, finis sit aerumnarum, et requies malorum, non pauci exstitere, qui taedio vitae sibi manu propria necem conciverunt, ob aerumnosam vitam finiendam. Plinius existimat terram venena genuisse misertam nostri, ut in taedio vitae facillimo veneni haustu extingueremur, nullo labore, similes sitientibus. Hinc accepimus, magnos imperatores habuisse venenum sub anulo et in promptu, ut mortem oppeterent sine cruciatus, in rerum desperatione.

Haec ibi Beroald. Ad haec exsiliens ille e turri cur, et quid fugit? utique grave et sibi intolerabile malum. Id vero ipsum fugiunt etiam alii per mortem, dum non alia fuga et effugium superest. Sed nefas est, inquis, et non licet ita fugere. Unde scis et probas? nempe ex visis imaginationis tuae, et ex nudis vocabulis, necis, caedis, occisionis, homicidii, de quibus mox. Unde vero scis et probas, licere tibi, vel alteri exsilienti e turri, cum tanto saltem periculo vitae fugere? Cur ista fuga non est mala et turpis? Cur non uno altero momento manens oppetis potius mortem hostilem [p. 27], quam incertissima spe vitae te das praecipitem? Cur non times prudenter, ne fractis saltem cruribus ab hostibus captus trucideris, forte in ignem, quem fugisti, reiciaris? Denique per te quoque ipsum licet, et bonum est ex alto se praecipitare. Id recipimus, et nunc tantisper sufficit. <sup>ba)</sup>

Sed de vocabulis, *necis*, *caedis*, et reliquis eiusmodi, ex quibus, tamquam tenuissimis filis, pendentes adversarii ingentes faciunt strepitus, et atroces ubique spargunt calumnias. Vetus et insigne exemplum controversiae nominis annotavit CICERO, l. 2. de invent. C. Flaminius trib. pl. invito senatu per seditionem ad populum legem agrariam ferebat. Hunc pater suus concilium plebis agentem de templo deduxit. Quaestio est, maiestatemne minuerit. En aliud et proposito nostro vicinius exemplum. Auctor dissertationis de logomachis in I. N. doctrina observat, multas difficultates iuris naturae doctoribus peperisse quaestionem, an furtum in casu necessitatis sit licitum. Lex enim divina res alterius auferre severe prohibet, et qui contra eam impingit, gravissimo se obstringit crimine; cum furtum [p. 28] semper sit et maneat peccatum, sive fiat in casu necessitatis, sive minus. Inde moti sunt quam plurimi, ut furtum permissum esse, urgente licet necessitate, negaverint. Sed contra verba, addit, non rem ipsam disputarunt. Quod si enim quaestionem aliter proposuissent, nempe an illa actio furtum appellari possit, qua in summa necessitate res alterius eripitur, aliter sine dubio iudicassent: siquidem illi, qui in extrema necessitate versatur, necessitas summa in eam quoque rem ius concessit, quae in potestate est alterius; et sic obiectum mutatur, nec amplius est ablatio rei alienae, sed suae. Ita per rectam verborum explicationem tota lis facile decidi potest. Haec ille. Ex quibus vides, id quod alias furti nomine

appellatur, in necessitate transire in aliam et nominis, et facti speciem; certe ex nudo nomine et descriptione vulgari furti, extra necessitatem spectati, nihil rite concludi posse.

Hanc vero similemve ob causam duces et milites non appellamus deceptores, fures, raptiores, latrones, incendiarios, homicidas; quamvis flagrante bello, decipient, aliena auferant, rapiant, incendant, trucidant; paucis, dolo, vi, ferro et igne grassentur. Sed nec magistratus vocamus homicidas et tortores, quamvis torqueant, aut torqueri, ac occidi iubeant homines. Neque etiam medicos et chirurgos dicimus esse inhumanos, amore et misericordia vacuos, crudeles; quamvis et ipsi nonnumquam ferro et igne agant in corpora humana, urant, secent, amputent, cum ingenti interdum, et vix tolerabili dolore ac cruciatu. Marius, utroque crure varicibus laborante, medicum accersivit, eique crus alterum praebuit, constantique vultu tacitus incredibiles secturae dolores pertulit, ad alterum vero [p. 29] transeunte medico non sustinuit, remedium hoc non esse dignum, inquiens, cuius causa tanti cruciatus tolerarentur. PLUT. in Mar. Denique in universum si nudas actiones, omnibus seclusis circumstantiis, spectes, virtutes et vitia adeo sibi sunt similia, ut altera alterorum vocabulis saepe appellantur; quin haec sunt quandoque specie honestiora, ideoque sola probantur et laudantur, praesertim imperitis et malignis, causae, commodo, aut opinioni suae servientibus; virtutes autem damnantur, foedis odiosisve nominibus infamatae. Exempla frequentissima suppeditat omnis historia. Paucis, eadem et honesta, et turpia sunt. Refert quare, aut quemadmodum fiant. SEN. ep. 95. inferius commendans χαρακτηρισμὸν. signa cuiusque virtutis et vitii, ac notas reddentem, quibus inter se similia discriminentur. ca)

His positis negamus, eos esse homicidas, atque hoc nomine appellandos, qui ex iusta, gravi, et necessaria causa [p. 30] vitam finiunt. <sup>da)</sup> Nam proprie, simpliciter et absolute vocatur homicida is, qui alium, eumque vel insciuum, vel invitum et reluctantem, ac nefarie quidem occidit. Qui vero ex iusta causa, etiam is homicidii crimine vacat, iuxta legem saltem naturae. ea) Itaque totam fere calumniarum adversariorum velut phalangem perfregeris, disieceris, aut certe evitaveris, quaestionibus dumtaxat ita rite propositis: an in summa et extrema necessitate liceat se educere, vel, dum ianua patet, exire? <sup>fa)</sup> An animam, periculis et malis [p. 31], virtute praesente insuperabilibus, undique obsessam, in tutum deducere? <sup>ga)</sup> An corpus inutile et noxiū dimittere? <sup>ha)</sup> An istud non alere amplius? <sup>ia)</sup> An per [p. 32] aliquot dies abstinere cibo? <sup>ka)</sup> An liberare se deliriis, furoribus, et magnis turpiter vivendi agendique quicquam periculis? <sup>la)</sup> An libidinibus et stupris, cruciatibus ac tormentis se eripere? <sup>ma)</sup> An mortem multiplicem et crudelē [p. 33] simplici, et facili morte redimere, aut mutare? <sup>na)</sup> An vitae renuntiare, ut loquitur SUETONIUS in Galba c. 11. vel, ut SENECA de provid. c. ult. renuntiare naturae, et munus suum illi impingere? <sup>oa)</sup> An sponte sine aliorum iniuria et damno mori? <sup>pa)</sup> An ex insito, invicto et universalī felicitatis amore: eo qui omnes, [p. 34] et omnium aliarum rerum, etiam vitae, amores complectitur et superat, agere? <sup>qa)</sup>

Certe video, quod sit hic quoque facile verba, formulas ac quaestiones, et variis quidem modis, mutare. Sed res, inquis, et obiectum hic non mutatur. Quin immo mutatur [p. 35], et longe quidem honestius, quam in furto saltem tuo, vel ablatione, quam vocas. Fateris enim ipse rem, quae aufertur, esse alienam, extraque necessitatem esse semper; fieri autem dumtaxat, et esse in necessitate, auferentis. Ast vita, et in necessitate, et extra eam semper est cuiusque sua. itaque dum in necessitate quis aufert sibi, vel dimittit vitam, nihil nisi quod suum est, aufert, vel dimittit, et quidem non nisi volens. Deinde non est idem vita mala, vita misera, vita intolerabilis, vita morte peior; atque vita bona, vita felix, vita tolerabilis saltem, et morte melior. Sed haec hactenus, nisi quod addendum et dicendum <sup>ra)</sup>

I. Leges in universum ferri pro ordinaria, aut communiorē rerum hominumque condicione, et pro ea intellegendas esse. Necessitas et singulares circumstantiae sunt [p. 36] extra leges. Itaque quid in illis faciendum, vel bene honesteque fieri possit, non ex verbis legum, sed ex ratione et prudentia statuendum est. <sup>sa)</sup>

II. Adversarios, reiectis et mutatis veterum verbis ac loquendi modis, suis dumtaxat, hinc mollibus, ambiguis, generalibus (e. g. taedium molestiarum, paupertas, vita aerumnosa) in describendis causis: quas quandoque omnes dissimulant, suppressunt, et omittunt: inde atrocibus, in facto ipso exprimendo,

uti: utrobique male, subdole, flagitiose. Idenim agunt, ut quaestiones implicant et pervertant, simplices terreat, et suam malignitatem, ac calumniandi probraque turpissima effundendi libidinem occultent. Inde passim legas haec; perversos esse, insanos, impios, sceleratos, crudeles homicidas: nihil sceleratius fieri posse. PLUTARCHUS in de malign. Herod. Primum, inquit, si quis in re narranda aliqua odiosissimis nominibus utitur, [p. 37] cum in promptu sint molliora — — is non aequus est, sed fruitur iam modo loquendi. Post pauca: Qui additamentum sermoni facit maledicta et vituperationes, videtur in tragicam incidere exsecrationem. Rursus post pauca id signum ponit ingenii parum aequi, cum duo aut plures una de re sermones feruntur, deteriorem amplecti.

Sophistis quidem concessum est, lucri aut gloriae causa sententiam peiorem sumere defendendam: non enim fidem validam faciunt. Denique qui praeclaris aut laudatis factis atque rebus causam subiciunt vitiosam, calumniandoque in sinistras abducunt suspiciones delatente eius qui rem gessit consilio — — ut qui Catonem aiunt mortem sibi consivisse, quod metueret ne Caesar eum turpi morte afficeret: hos liquet ad summam invidentiam et nequitiam nihil sibi fecisse reliquum.

Haec Plutarchus de Herodoto, utique non merito tam graves sugillationes. Quid vero iudicasset et dixisset is de adversariis nostris, sivel divinare potuisset, eiusmodi homines aliquando futuros, qui captiunculis et ratiunculis, quarum infirmitati et vanitati nihil addi potest, freti, non contra unius alteriusve, aut paucorum hominum quorumcumque sensus et sermones, sed contra antiquorum sapientum et populorum, totiusque adeo generis humani consensum, deteriorem amplecterentur sententiam? qui id agerent, ut magna pars historiae veteris esset reformanda, et tot vituperationibus ac maledictis, quot nunc laudibus, esset implenda. Profecto obstupescens quaereret, quid velint novi homines isti: an ut omnes incipient nunc primum se, corpus vitamque suam amare, ac si antea non amassent? An ut naturam, notitias impetusque ab ea impressos vincant? An ut famem quoque pestem, cruciatus, calamitates, olim tot [p. 38] fortissimis quoque viris visas, vel turpes, vel insuperabiles, ipsi honestent ac superent? An ut omnes adeo cuiuscumque aetatis, sexus, ingenii animique invictos praestent? Et quomodo? quare? nempe superstitione, vel auditis dumtaxat verbis, non occides, cum adiunctis interpretationibus, opprobriis, exsecrationibus et comminationibus inferorum. Sed haec, ut dixi, hactenus, pro gusto etiam aliquo virtutis, prudentiae et candoris adversariorum; animoque ut praesumas qualia sint argumenta, quibus opinionem suam probent. Nunc eo redeamus.<sup>ta)</sup>

[p. 39] Porro claritatis causa quaeritur: an si incideris in eas angustias, quas nisi alienis saltem sceleribus contaminatus, atque scelerorum deinde manibus, et ex eorum libidine, ut saepe factum, periturus evadere non potes; nefas fit morte anticipata se impollutum educere.<sup>va)</sup> Inde ea quoque quaestio subnascitur: an tantum sit vitae pretium a natura vel Deo positum, ut ipsa omnibus aliis bonis, ipsique etiam virtuti vel eius securitati sit praferenda; ideoque cum summo, manifesto ac praesente discrimine virtutis, praesertim in tanta fragilitate humana, sit producenda?<sup>xa)</sup>

Iam, ut argumenta quaedam adversariorum simul occupemus, quaeri ulterius potest: an nihil ulli magis liceat in se, quam in alium quemvis? ideoque sicut homicida est, qui alium interficerit; puta sine iusta et necessaria causa, ex ira, odio aliovelmalo affectu, ut plerumque fit, vi aperta, vel occulta fraude, et per insidias: ita quoque homicida fit, et sceleratior quidem, ut aiunt, ac crudelior, qui se ipsum, [p. 40] iusta licet, ut ponitur, et necessaria causa, sine ullo malo affectu: nisi eo attraxeris amorem naturalem felicitatis, et cupiditatem finiendi, quantum in homine est, aut cavendi infelicitatem.<sup>ya)</sup>

Quaeri etiam potest: an vita sit tale beneficium, ut contra naturam omnium beneficiorum, numquam ei renuntiare liceat, sed vel invitissimo cuique fit retinendum, quantumcumque noceat.<sup>za)</sup>

[p. 41] Adhuc quaeri potest, an, cum omnium aliarum rerum, a Deo nobis concessarum, ipsarum quoque partium plerumque corporis, domini, si improprie sic loqui liceat, firmus;<sup>ab)</sup> adeo, ut eas, quamvis nec nobis parare, nec amissas reparare possimus, si necessitas tamen et aliqua iusta causa exigit, resecare et abdicere liceat; solius vitae, sanguinis, et partium vitam magis continentium, dominium sibi uni in solidum retinuerit Deus, anxiis tantum curis, molestiis, periculis, damnis, demum cruciatu, et pernicie dumtaxat nobis relicta. Proh qualis Dominus et Deus! Recte SENECA: quid

interest, Deum ne neges, an infames? Profecto, ut Plato de SOCRATE, ita isti, si dicere fas sit, Dominicani multa de Deo mentiri, aut saepe de eo absurde loqui videntur: hic certe, ac si quisquam, ob dominium Dei, esset servus vitae corporisque sui; et is quidem, ac eo usque, ut immanissima etiam tormenta pro iis conservandis perferre debeat. Quisquam ne tale dominium, et talem servitutem vel fando audivit, vel somniando finxit? <sup>bb)</sup>

[p. 42] Iam id quoque quaeritur, an a Deo in vita, sicut miles in statione ab imperatore suo, positi simus: ideoque sicut militi nefas et capitale, a statione sponte, ac iniussu imperatoris, discedere, ita nobis quoque e vita, nisi iussis et revocatis a Deo: id est, re ipsa et sensu adversariorum, nisi morbo casuque aliquo mortuis, vel a Deo ipso per tyrannos, hostes, latrones, feras, occisis. <sup>cb)</sup> Hoc est praecipuum fere, quamvis ridiculum, certe metaphoricum tantum similitudinale, ut ita loquar, vel allegoricum plerorumque argumentum, a PYTHAGORA, vel a SOCRATE, male intellecto, acceptum, et a Christianis ad nauseam usque repetitum. <sup>db)</sup> Eques ille Cesaenas, qui PLUTARCHI vitas in epitomen male redegit, in comparatione Phocionis et Catonis, Mortis, inquit, genus et modum in Catone — — minime probamus. Atrox enim ille animus, non ut decuit fati [p. 43] vim excipiens, sed sicut malus miles imperatorem in rebus deploratis, nos tamen in statione manere beneque sperare iubentem fugiens — — immortale dedecus nomini suo conciliat.

Sed de Catone, vitam, ut testatur CICERO, qui exactissime eum novit, ad certam rationis normam dirigente, et diligentissime perpendente momenta officiorum omnium, solemnique ut veteribus laudationis, ita post multa saecula **natis** vituperationis materia, inferius. Hic vero examinemus similitudinem illam imperatoris et Dei, stationis et vitae. Ea vero est pro mente adversariorum, partim ridicula (ut modo significavi: nam sensus eius est, non licet nobis mori, nisi moriamur) partim inutilis, partim damnosa etiam. Nam (ne dicam nunc de ea PYTHAGORAE opinione, Deum esse animum per naturam rerum intentum et commeantem, ex quo animi nostri caperentur) primum quidem constat, PYTHAGORAE, aliisque philosophis, saepe Deum esse, vel hoc nomine intellegi animum, mentem, et rationem hominis. HIEROCLES in aur. carm. et PLUTARCHUS l. de audit. dicunt, parere rationi, idem esse, quod parere Deo, et eum sequi. CLEMENS ALEX. strom. 2. explicans sententiam Platonis de beatitudine, quae est εὐδαίμονία, sive bene habere daemonem, ait daemonem dici τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικόν. Chrysippus apud CICER. I. de nat. deor. Legis perpetuae et aeternae vim, quae sit dux vitae, et magistra, officiorum (haec est ipsa ratio) Iouem sive Deum esse ait. Empedocli quoque dicitur lex ἀρχέτυπος et prima, s. πρῶτον νόμιμον esse Deus, ordinans omnia in hominum mentibus. Ita fere PLUTARCHUS quoq; ad principem indoctum. Diserte vero SENECA, ep. 31. animum rectum, bonum, magnum, vocat Deum, in corpore humano hospitantem. Porro intellectus [p. 44] agens ARISTOTELIS dicitur esse Deus ipse, sive mens suprema. Vide VOSS. l. 3. de idol. c. 42. Teste etiam GOCLENIO, agens intellectus philosophis et theologis non est aliquid causarum secundarum, sed est mens illa prima et aeterna, pater ille luminum. Denique MALEBRANCHE et **L'AMI** rationem illam universalem, quam dicunt omnibus hominibus esse communem et unitam, acriter contendunt, esse Deum ipsum, vel sapientiam divinam, Christum. Addunt, hanc rationem esse regulam generalem omnium intelligentiarum. Fidem huc conducere, infundendo lumina supernaturalia. <sup>eb)</sup> Iam vero hoc sensu, iniussu Dei nihil aliud est, quam temere, inconsulte, sine ratione, ἀλόγως: <sup>fb)</sup> ut loquuntur et vetant, non PYTHAGORAS et SOCRATES [p. 45] tantum, sed sapientes omnes, ac nominatim Stoici, qui non ἀλογον, sed εὐλογον commandant ἔξαγωγήν. Sed puta, PYTHAGORAM hic eundem, quem nos, intellexisse Deum. Unde novit is, quid Deus iusserit, quid vetuerit? Utique non nisi per rationem. Itaque non aliud in lege naturae, et per [p. 46] eam Deus, aliud ratio iubet et vetat. Itaque etiam nisi ratio iubeat et vetet; nec Deus ipse. <sup>gb)</sup> Inde id, quod modo dictum, sequitur, iussu et iniussu Die nihil aliud esse, quam iussu et iniussu rationis, sive cum ratione, et ei convenienter, atque praeter contraque rationem. Praeterea cum priore illa pharsi significetur utique, licere iussu Dei discedere; quis, et cuius Dei, nisi rationis denuo, iussus exspectaretur, quo liceret, quandoque etiam necesse esset, discedere, saltem ad alia militiae munia obeunda? <sup>hb)</sup> Neque enim boni strenuique militis est, stare dumtaxat, et excubare. Immo praecipuum eius officium est, fortiter mori. <sup>ib)</sup> Ceterum quodcumque in lege naturae obruseris iussum praecipuumve Dei, praesertim ad gravia, insolita, extrema facienda ferendaque <sup>kb)</sup> obligans, nisi illud idem rationi in omnibus, [p. 47] quos vis inclusos, casibus convenire,clare

solideque demonstraveris; protinus tamquam phantasticum dumtaxat et enthuisticum figmentum est explodendum. Nova enim et a ratione aliena praecpta Dei tam parum hic fingere licet, quam novos rationique ignotos et inimicos Deos. Neque eiusmodi praecpta alios, sed solos suos auctores, id est, si dicere liceat, phantastas et enthuastas, eorumque credulos discipulos et sectatores, obligant. Ad haec Stoici, nominatim Seneca, Epictetus, M. Antoninus Imp. non Pythagora tantum, sed philosophis omnibus, in theologia naturali, et philosophia morali superiores,<sup>lb)</sup> Deum faciunt, nunc signum receptui dantem, nunc diserte suadentem discedere et figere per mortem voluntariam, nunc increpantem bonos viros, quod hanc mortem metuant.<sup>mb)</sup> Praeterea [p. 48] Pythagoram ipsum inedia vitam finisse, dicemus infra.<sup>nb)</sup> E sectatoribus vero Charondam stricto gladio publice [p. 49] se interfecisse,<sup>ob)</sup> Empedoclem in crateras Aetnaeos insiluisse, memoriae proditum est.<sup>pb)</sup> Zaleucus autem [p. 50] altero se, altero filium adulterum oculo privavit. Cuius vero Dei, nisi rationis, iussu?<sup>qb)</sup> Adice, quod sensu PYTHAGORAE non tantum e statione non discedes, sed nihil, si sis vere bonus vir, et tam, ut te nunc fingis, religiosus, ages, iniussu Dei, id est, sine ratione; non comedes, non bibes, non dormies, non loqueris. Quis vero tam insanus est, ut dicat, ideo nulli, et numquam, licere comedere, dormire, loqui; sed exspectandum esse, donec Deus iubeat?<sup>rb)</sup> Profecto stolidum quoque est, putare Deum nihil aliud iussisse, [p. 51] quam in statione, quae existimatur, manere. Et cur ergo tot etiam manere volentes occiduntur?<sup>sb)</sup> Tot fame, peste, naufragiis, incendiis, terrae motibus, aliquis casibus intereunt? Cur unico, aut omnium maximo hominibusque notissimo iussui insuperabiles obices ponit Deus ipse; idque cotidie, immo singulis momentis?

His positis, manendum quidem fateor militi in statione; sed dum potest et valet, atque eius aliquis ibi usus: dum vel vigilia eius excubantis protegit aliorum somnos, efficitque ne sui imparati ab hostibus opprimantur; vel in acie stantis virtus locum suum tueretur, atque exemplum eius alios ad strenue pugnandum accendit, quos alioquin ipse fugiens perturbaret, ac fortassis timore percuslos secum in fugam traheret. Excubans igitur, vel pugnans pro salute imperatoris sui, patriae, et commilitonum, miles, si stationem, dum in ea manere potest ac debet, deferat; graviter delinquit, et gravem poenam meretur. Quod si cuiusquam vita sic comparata est, ut statio talis militis; haud dubie ipsi manendum. Sed quotus quisque est, quem vivere tanti interest aliorum, et publicae salutis. Praeter infinitam scelerorum turbam, qui deprehensi ubique occiduntur, innumeri sunt alii, quorum mors magis quam vita privatum publiceque prodest: in quos competit saltem istud, nos numerus sumus; et hoc quoque Simonidis: vos vero, superstites adhuc, magis estis quam illi sub terra siti, mortui. Cogita Pacuvium illum, de quo SEN. ep. 12. Vatiam ep. 55. et Butam ep. 122. idem ep. 60. Ventri obedientes [p. 52] animalium loco numeramus, non hominum: quosdam ne animalium quidem, sed mortuorum. Vivit is, qui se utitur.<sup>tb)</sup>

Quod si vero imperator, amisso exercitu, fugiat ipse, se occidat, ut aliquando factum, aut ab hostibus occidatur; an miles, etiamsi iussus, in statione et castris manebit; ac nescio quid non bene, sed male et stulte sperabit? Et manserunt quidem octo milia in castris post Cannensem cladem; sed eos, ab Hannibale captos, adeo despexit et proiecit senatus, ut non censuerit redimendos, quamvis id parva pecunia fieri potuisset.

Vide CICER. 3. offic. n. 114. **vb)**

[p. 53] Quid vero? si imperator iusserit, vel siverit, militem armis, quibus pugnet, vel se ipsum tueatur, spoliari; si oculis, ne videat, privari; si truncari; an miles dentibus fortasse, ut Cynagirus, pugnabit?<sup>xb)</sup> Adde alia complura ex iis, quae modo significavi; si hostis turri faces subiecerit, si miles in statione positus, per vim inde pellatur, si capiatur, si occidatur. Quid? si deliret, si gravi conflictetur morbo, si defessus et viribus exhaustus deficiat, si nullum militiae munus rite exsequi queat; si emeritus, exauxoratus, dimissus, evocatus; si aliquod signum recipiendi se audierit, vel viderit. Quid te nunc tua allegoria iuvat? Non vides, ex ea sequi potius, licere quandoque discedere e vita, sicut militi e statione; utique dum manendi nulla utilitas, nec facultas; et manenti nulla prudens spes relicta. Immo militem qui numerum stipendiiorum implevit, ne obligari quidem ad stationem, excubias, et vigilias, [p. 53] nisi velit ipse. Neque etiam, si stultus et insanus imperator stulte imperet, cogat, puniat; Deum eius stultitiam et insaniam imitari credendum est.<sup>yb)</sup>

Sed male, ut dixi, intellexerunt Socratem (misso nunc Pythagora, homine alias quoque superstitione, et incredibilia fingente, ideoque digno hic superstitionis auctore, magistro ac duce) qui hac eius comparatione postea sunt abusi. Lege apologiam apud PLATONEM, et videbis Socratem non de vita, sed bono vitae instituto loqui; et Socratis quidem erat, circumire, non stare, suadens iunioribus senioribusque Atheniensium, neque corporum, neque pecuniarum, neque aliarum omnino rerum curam prius vehementiusque, quam animi habendam esse, ut quam optimus quisque sit; neque ex pecuniis virtutem, sed ex virtute pecunias aliaque bona, et privatim, et publice, hominibus provenire. In hoc vitae genere, tamquam in loco et statione, vel a se sibi electa ac capta, vel a Deo assignata, Socrates sibi permanendum iudicavit. Ita quoque EPICTETUS enchir. c. 29. monet: quae optima tibi videbuntur, sic teneto, quasi a Deo sis in ea statione collocatus. Confer. c. 36. ubi praecipit φιλοσόφου τάξιν ἐπέχειν. Hanc τάξιν vocat c. 71. στάσιν, et c. 30. ἔνστασιν, atque c. 9 et 18. προαιρέσιν κατὰ φύσιν. Idem dissent. 1. 16. Si essem luscinia, lusciniae munere fungerer — Nunc cum rationale animal sim, Deus mihi laudandus. Neque stationem hanc deseram, quoad licuerit [p. 55]. Sed revertamur ad Socratem. Horum, inquit, gratia, o viri Athenienses, profiteor equidem, sive credatis Anyto, sive non credatis, sive dimiseritis me, sive non dimiseritis: profiteor me nihil aliud facturum esse, nec si mihi saepius sit moriendum: id est, ut stationarii nostri interpretantur, a statione sit recedendum. Et superius: Haud recte, o vir, loqueris: si putas magnam aut vitae, aut mortis (en stationem rursus!) habendam esse rationem homini, cuius vel parva quaedam utilitas sit: ac non illud potius considerandum, quoties aliquid agit, utrum iusta agat an iniusta. Et mox diserte: Profecto ita se res habet — quo quisque loco vel se ipsum constituit, arbitratus id optimum esse, aut a superiore iubetur consistere; in eo, ut mihi videtur, permanere oportet, periculumque subire, neque mortem, neque aliud quidquam magis, quam turpitudinem, formidantem.

Quod si vero ad vitam, hominibus bestisque communem, extenderis stationem et militiam Socratis; constat ea auctoritate potissimum Orphica, id est, fabulis et commentis: ceu videre est apud ESCHENB. de poesi Orph. et apud FICINUM in Plotin. de eductione animae e corpore: ubi annotat quoque Platonicos nonnullos, Macrobius praecipue et Olympiodorum, hic dissentire, dum ille negat, hic affirmat licere animum vi a corpore solvere. Sed sine dubio remotae longiusque petitae et infirmae, immo infirmissimae, quippe verbis tantum, figmentis, et singularibus opinionibus, praesertim de perfectae animae e corpore migrantis puritate, nixae, sunt ratiunculae MACROBII. <sup>zb)</sup> [p. 56] Quid? quod nec, admissa puritate illa, sequitur, non licere, si in Democlis aliorumque fata incideris; si mens ob senectutem, morbos pertinaces, cruciatus, deliria, furores, munere suo fungi nequeat; si quaecumque demum, ultima et inevitabilis necessitas moriendi instet, sed cum gravibus tormentis, deficiente nunc omni perfectius se purgandi tempore; si insanabilis fit improbitas animi, uti aliquibus esse fatetur Plato ipse, aitque satius illis esse mori, quam vivere: non sequitur, inquam, non licere sponte, facilius ac lenius mori. Denuo Plato, cum iuberent medici ex academia, loco pestilente, demigrare in lyceum, consilium illud aspernatus, ait, se ne in Atho quidem montem, ubi homines diutius quam alibi vivere credebantur, commigraturum, etiamsi sciret, se illic omnium diutissime victurum. Vide AELIAN. v. h. 9. 10.

Sed exitu coacto dicit MACROBIUS animam circa corpus magis vinciri: itaque eam circa corpus, eiusve sepulturam, aut locum, in quo iniecta manus est, pervagari [p. 57]. Deinde constat, inquit, numerorum certam constitutam rationem animas sociare corporibus; hi numeri dum supersunt, perseverat corpus animari. Somnia sunt et nugae, ob quas nemo fortassis, ne apiculae quidem pulicisve morsum, si vitare potest, putet sibi preferendum. In sequentibus reddit, superstitionis more, ad metus vanos, et postumos, quibus animos gravissime perturbet, ac velut cogat homines in quantiscumque peccandi, in deteriusque labendi periculis, certe nulla amplius proficiendi spe prudenti, vivere. Scilicet id est purgare animum, omnique metu ac passione liberare. Id potius est, mortis terrore, e corpore, tamquam Ulixem, ut ait PLUTARCHUS, e caprifico, pendulum haerere. Quanto melius quis in iis, quibus ratio spiritum dimittit, eventis, fiducia plenus, aut quantacumque poterit fretus exierit, cum SENECA de v. b. c. 20. testatus, bonam se conscientiam, bona, quibus animus purgetur, studia amasse: et cum Diodoro illo cecinerit,

vixi et quem dederat cursum Fortuna peregi<sup>ll</sup>?

Utcumque fuerit, certe Macrobianus ille modus probandi officia humana, praesertim περιστατικά, tamquam inutilis, vitiosus, absurdus, anceps, in totum est explodendus. Si idonea suppetunt argumenta; haec sola affer, et satis probasti. Si nulla suppetunt; frustra advocas larvas, quibus nec boni viri, nec scelerati torrentur. Sed nec ipse terrori videris; alioquin timeres, ne alii vicissim tibi, et graviora quidem minarentur: et Cerberum, et furias, et Pyriphlegetontem, et omnes demum impiorum, falsaque pro veris ac divinis temere et audaciter asserentium poenas.

Haec vero, quae attigi, et eiusmodi sunt ea, quae incassum, certe sine caufae nostrae detimento, nec Platonis, [p. 59] nec Ciceronis satis consentiens dissertat MACROBIUS in somn. Scip. 1. 13. PLOTINUS vero in de dubiis animae 1. 2. c. 44. utitur sollemni voce sua, forte, atque indignam philosophia omni, Platonicae autem, et iis, quae ipse passim de anima, vita, et morte docet, contrariam allegat opinionem. **Videtur, inquit, forte rationale, non educere se ipsum e vita, ob quandam cum vita necessitudinem, nobis maxime propriam, qua penitus occupamur.** Ubi nunc perfecta illa purgatio? Ubi virtus purgati animi? Ubi recessio a corpore, et omni in id proclivitate? Quomodo necessitudo nobis magis propria, quam bestiis? Quomodo cum vita magis, quam cum voluptate? certe ea quoque penitus occupamur. Quomodo cum vita, quae deterior sit morte, et quae brevi, velis, nolis, finietur? Quomodo magis propria, quam ratio, prudentia, virtus, magnitudo animi? <sup>ac)</sup>

[p. 59] Frustra ergo, male, fallaciter cum aliis GROTIUS de I. B. et P. 2. 19. specioso Platonicorum nomine laudat [p. 60] unum dumtaxat alterumve, aut paucissimos certe, velut transfugas; sed nec ipsos satis vel sibi, vel Grotio, singulatim aut singulares spectando rationes, consentientes. <sup>bc)</sup> Nam

[p. 61] I. Ex constanti Platonicorum omniumque philosophorum de fine et summo bono sententia necesse est probari mortem voluntariam: ut infra ostendemus. Sine hac de illo actum erit. <sup>cc)</sup>

II. PLATO ipse 9. de legg. manifeste probat aliquas causas mortis voluntariae. <sup>dc)</sup>

[p. 62] III. MACROBII ratio praecipua, quae dicitur a purgatione perfecta, nec nobis officit, nec adversarios Christianos quicquam iuvat: praesertim cum ipsi eam una cum placida Stoicorum constantia, et affectuum vacuitate explodant ac irrideant. Sed nec apud Platonicos ipsos multum valere potest ac debet. Nam, ut ex PLATONIS Timaeo, et 4. de rep. docemur, rationis etiam et intelligentiae, nedum perfectae purgationis, pauci admodum participes fiunt; alii numquam, alii fero. Immo alicubi eum praedicat beatum PLATO, cui vel in senectute contingit habere rectas opiniones. Praeterea cum purgatio Platonicis dicitur in eo consistere, ut separetur animus a corpore, assuefiatque esse absque corpore in se ipsum versus, liberque a corpore, velut a carcere et vinculis: is demum re ipsa, non verbis et speculationibus nudis, perfecte se purgat, qui, dum ratio suadet et exigit, sponte moriendo animum penitus a corpore, omnique, ut dictum, in id proclivitate liberat: is, inquam, dum tu verbis fingis tantum, aut describis et laudas purgationem, eam opere ipso perficit, ac summam ei manum imponit. Numquam profecto probabis te minus, illum magis amare corpusculum suum, adeoque esse impuriorem. <sup>ec)</sup>

IV. Plotinus dubitat tantum, idque ob futilem et falsam ratiunculam. <sup>fc)</sup>

V. Pauca sunt tam evidenter falsa et absurda, ut ne ratiunculae [p. 63] quidem aliquae pro iis adduci possint, et quandoque sint adductae ab illis quoque, qui et has, et opinionem ipsam respuunt: et e contrario pauca sunt tam evidenter vera, ut omnis desit de iis vel dubitandi ratio. Cogita tot epoches modos Scepticorum. <sup>gc)</sup>

VI. In agendis, et iis quidem, quae ita pendent a certis circumstantiis, ut quandoque, si vel unam mutes, aut subtrahas, mutanda sit sententia; facillimum est aliquid comminisci, demere, addere, quo eadem res vel probetur, vel damnetur. Recole ea, quae ab initio annotavi, etiam ex S. Chrysost. nempe non sola respicienda opera, sed tempus, et causam, et voluntatem, et personarum differentiam, et

<sup>ll</sup> Verg. Aen. 4, 653 ed. Mynors.

quaecumque alia operibus ipsis acciderint, diligentissime requirenda. Non enim aliter ad veritatem perveniri posse. <sup>hc)</sup>

VII. Quemadmodum fieri nequit, ut conclusio certior sit suis praemissis, quas vocant: ita nec opinio suis argumentis, quibus nititur ac probatur. Si ergo haec sint infirma et futilia: necesse est, infirmam quoque et futilem esse opinionem: et contra. Atqui eiusmodi, infirma, inquam, vana, et futilia sunt argumenta Platonicorum, sive Platonis transfugarum, Grotianorum, Grotii etiam ipsius, aliorumque omnium eiusdem opinionis: ergo hanc quoque infirmam et futilem esse necesse est. <sup>ic)</sup>

Nunc ad stationem regrediamur. Praeter superiora omnia, si ulla vis comparationi stationis et vitae inesset, summum inprimis et capitale scelus esset, fugere dumtaxat; ideoque numquam nulla ex causa liceret: quod est utique falsissimum. Nam plerique omnes fatentur, licere, dum nulla est manendi utilitas, magna vero fugiendi necessitas. Immo non licere tantum arbitrantur, sed tamquam ad rem honestam, magnisque exemplis probatam, hortantur; atque manentes, tamquam stolide audaces, superbos, sibique nimis fidentes, vituperant. Tanta est hominibus vel inconstantia ac incertitudo, vel corporis solius miseraeque eius vitae servandae ardor. Denique ne dormire quidem liceret: quia utique nec militi, in statione posito, et excubanti, id licet. Abeat igitur coacta et ridicula statio. <sup>kc)</sup>

Priori comparationi et interrogationi convenit quodammodo haec LACTANTII, <sup>\*)</sup> an quia in hanc vitam non venimus nostra sponte, ideo ex hoc domicilio corporis non, nisi iussu Dei, recedendum; sed tamdiu habitare necesse est, donec iubeat Deus, qui nos in corpus induxit. Infirmissimum, si quod umquam, totius domicilii et habitationis huius fundamentum: nempe ei, qui non sua sponte in aliquod domicilium ab alio inducitur, in eo habitandum, donec is, [p. 65] qui induxit, iubeat exire. Huius rei vix ullum vel exemplum dumtaxat invenitur. Ne dicam, nos et domicilium, quod dicitur eandem rem esse: vel corpus non esse, proprie et accurate loquendo, domicilium, in quod inducimur, tamquam prius, et extra corpus, vel in alio corpore exsistentes; sed esse nos ipsos, vel partem nostri. Hoc abeat. Quid vero si domicilium sit noxium et perniciosum, si spectris inquietum, si peste infectum, si minetur ruinam: non licebit exire, nisi dicat et iubeat is qui induxit? Profecto iure naturae licebit exire, etiamsi ira et rabie rumperetur is, qui induxit. Sed hic quoque quod dictum iussumque Dei exspectabimus? Cur non sufficeret id, quod ratio a Deo data, consideratis cunctis, quantum facile a quoquam fieri potest, dictat et iubet? An si saxum capiti imminens praevideam mox

cafurum ; si hostem, si hominem furiosum, si belluam videam incurrentem; perseverabo stare exspectans, donec Deus iubeat recedere? An si frigus, aestus, fames, sitis, aliaque incommoda me premunt, non licebit ea propulsare, aut vitare, nisi Deus singulatim aliquid inspiret, ac velut in aures insusurret? Vel an omnia quidem alia mala fugere licet, Deo etiam tacente; tormenta vero, mortem crudelē ac probrosam vitare non licet, saltem per mortem facilem, nisi Deus aliquid dicat? O quot morosophos tellus parit, et philodoxos! PALINGEN. <sup>le)</sup>

[p. 66] Quanto melius Musonius, vel alius, apud STOB. serm.

1. Sicut e domo exigi videmur, cum locator pensione non accepta, fores revellit, tegulas aufert, puteum obstruit: ita et hoc corpusculo pelli videor, cum natura, quae locavit, oculos adimit, aures, manus, pedes? Et PLATO in Axiocho: iam fallens subrepit senectus, in quam confluit quidquid est infirmum fragileque naturae. Quod nisi quis oxyus vitam, velut aes alienum reddiderit, astans supra caput natura, tamquam fenerator reposcit usuram: ab alio quidem visum, auditum ab alio, persaepe utrumque. At si quis diutius cunctetur, debilitat eum, excruciat, membrisque destituit. <sup>mc)</sup>

Ceterum de vita et morte nemo, quem scio, paucioribus verbis cautius et accuratius disseruisse, rem explanasse, variisque velut notis impressis distinxisse videtur, quam [p. 67] SENECA: qui pluribus locis, praesertim in epistulis, rem hanc attigit, modo diffudit: adeo ut nisi monstretur singularis quaedam, eaque clara et expressa lex divina, omnes et singulos casus exceptos et excipiendos includens, in sententiam SENECAE, (quam ratio communis, non futilis illa AUGUSTINI et aliorum, ex opinionibus, immo verbulis dumtaxat et ratiunculis suspensa; sed iudiciis rectis, firmis, naturae rerum, hominis Deique innixis, constans; adeoque lex naturae, et omnium gentium sapientumque, nisi forte

sibi suisque decretis quandoque dissentientium, consensus probat ac confirmat) sit concedendum.<sup>ne)</sup> Nam posterioribus Christianis, et singulatim illis, qui vexant verba quaedam Scripturae, et quo ipsi voluerint trahunt, atque pro libidine et opinione varia, aut ex commodo ampliant modo, nunc coartant, non credendum esse: praesertim contra validas evidentesque rationes, et in rebus quidem captum humanum non superantibus: patet vel ex continuis fere eorundem acerrimisque de sensu Scripturae contentionibus, eo usque progressis, ut atrociter se invicem insectentur et damnent; interdum aeternis etiam inferorum suppliciis, tamquam supremi domini et iudices, crudeliter mactent.<sup>oc)</sup> Ut [p. 68] taceam eos, quando fidei, vel opinionibus cuique suis opportunum videtur, reges, principes, civitates, populos in mutuas caedes impigre impellere: ac si voluntatis gloriae Dei, ac salutis generis humani plurimum referret, unum alterumve hominem, aut paucissimos miserrime vivere invitox; nihil vero multa milia virorum, publice privatimque utilium, aliena vi, et saepe crudelitate, perire. Hic dixeris: singulas caedes compescunt: quid bella et occisarum gentium gloriosum scelus? Ex persuasionibus antistitum scelera exercentur, et publice iubentur vetita privatum. Taceantur antiquiora: quis vero tam imperitus et hebes, ut non tam ob ea, quae scriptores adversi aperte tradiderunt, quam ob genium, instituta, et mores avitos ac praesentes, crediderit, impellantibus illis, de quibus loquor, viris, concitatos principes et populos ad bellum Smalcaldicum, ad bella Hugonottica, quae vocantur, in Gallia, ad bellum tricennale in Germania? in quibus barbaries, vel barbaris ipsis infitianda ac pudenda, exercita fuit.<sup>po)</sup> Sed et illi [p. 69] hic, omnibus etiam quasi latebris Scripturae excussis, nihil inde proferunt, nisi unicum fere istud, *non occides*. Id vero, ut statim dicam, non novum et singulare fuit praeceptum, vel interdictum; sed diu ante Mosen et initium Scripturae cunctis hominibus, ratione utentibus, erat notissimum: nec duo eius verbula per se, demptis additamentis et interpretationibus novis AUGUSTINI, et eum, pecorum ritu, secutorum, aliud aliquidque maius et amplius post quam ante significare coeperunt. Praterea, ut supra dictum, mors voluntaria, ea de qua agitur, non est homicidium: non magis, immo minus quam ea, quae in bello infertur hostibus, et in pace nocentibus, praesertim iussu magistratum. Ideo autem nec magistratus, nec hostes sunt vocanturque homicidae, tortores, latrones; etiamsi eadem his hominibus, si res actionesque nudas speces, agant. Utcumque fuerit, certe verba, *non occides*, nihil dicunt de morte voluntaria, vel, ut adversarii, quorum vis et robur omne in verbis tantum consistit, loquuntur, de nece sui, saltem ea, quae quaestionibus propositis comprehendatur. Immo, si recte, ut debent, intellegantur: nempe neminem sine iusta, gravi et necessaria causa occidendum: adeo non adversantur, ut sententiam nostram probent ac confirment. Si vero sensu adversariorum capiantur, puta, neminem ex ulla causa quantumvis iusta, ut dictum, gravi et necessaria occidendum: faciunt praeceptum absurdum, turpe, et ut rebus humanis hominibusque probis, iustis, aequis, modestis, perniciosissimum; ita hostibus iniquis, insidiatoribus, latronibus, stupratoribus, demum toti ingenti multitudini sceleratorum [p. 70] commodissimum, tamquam commune eorum et sacrosanctum asylum. Porro si aliter, et benignissime pro adversariorum opinione interpreteris verba, necesse erit ita intellegere: *non occides*, id est, nec te ipsum, nec alias: cum hoc tamen ingenti discrimine. Alios quidem, eosque, si res ita tulerit, magno numero, aut quotquot potueris, licet tibi, seculo praecepti, occidere: in bello et acie hostes; in pace insidiatores, latrones, fures nocturnos, adulteros cum uxore tua deprehensos: licet etiam honestis matronis et virginibus, si vim aliter evadere et repellere nequeunt, libidine furentes occidere. Ita quidem alias tractare licet, et contra ipsa expressa verba, *non occides*, occidere: sed tibi non licet ulla ex causa, etiam iustissima ac gravissima, etiam in ultima necessitate sponte mori: non si ad stupra et adulteria raperis, etiamsi pudicitiam pluris quam mille vitas aestimes; non si ad tormenta quaeque, etiam crudelissima, quibus te imparem nosti, et vel iurare potes. Praestat, uti alias saepissime factum, Deum ipsum, fidem, religionem, virtutem, veritatem prodere ac eiurare, quam vitam sponte deserere. Praestat ad mortem usque constuprari. Praestat, quemadmodum in dira longaque fame aliquoties factum, ut homines se invicem, ac parentes quidem liberos, et hi illos, ut mariti uxores, et hae illos mactent ac devorent. Haec fere est summa interpretationis verborum, non *occides*, si ea sententiae nostrae, rationi, naturae, experientiae earum rerum, quae natura et ipsa utique Dei providentia evenierunt, ac sine dubio evenient, obstabunt. Hic, queso te, an verba, *non occides*, omnia ista continent, et velut ex sinu suo profundunt? An quisquam intellegens et peritus significationis propriae verborum, tantam sententiarum [p. 71] amplitudinem et diversitatem inde colligit? An dignoscet inter mortem

voluntariam et necem aliorum tantum interesse discrimen, ut quotiescumque sit iusta et necessaria causa, alios occidere liceat; se vero numquam educere? Quod si etiam recipiamus totam illam hominum novorum interpretationem; non ideo tamen, quia Deus verbis suis idem, quod ipsi, dixit ac discrevit: sed quia divinatione, aut sophistica quadam ratione moti putarunt Deum id voluisse dicere, et ita res discernere. Inde vero annon vides, te non Deum, sed te ipsum, imaginationem et opinionem tuam habere auctorem sententiae et explicationis tuae? Non vides, te uti, vel abuti, auctoritate verbisque Dei, ad faciendam apud imperitos, credulos et superstitionis tibi, verbis ac interpretationibus tuis auctoritatem? Quomodo verba, non occides, nempe alios, sint accipienda, melius et accuratius ex natura, ratione, experientia, institutis ac moribus omnium populorum, denique paucis ex CICERONE, et oratione eius pro Milone, quam ex te tuisque interpretationibus, didicerimus: nempe, hoc et ratio doctis, er necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit. Eadem vero lex, ratio, necessitas, natura, pugnant contra adversariorum opinionem pro morte, de qua agitur. Ut cumque fuerit, certe quis dixerit, post latam legem non esse amplius ratione utendum, nihil examinandum; sed protinus sine ullo examine credendum, quidquid sibi et aliis post duo annorum milia persuaserit AUGUSTINUS: idque non nisi frivilis ac deterioribus rhetorum aut sophistarum ratiunculis, uti postea videbitur? E contrario potius, cum constet, innumeros homines superstitione fuisse captos et deceptos, aliosque decepisse; nemini praetexenti divinam revelationem [p. 72] et auctoritatem, eaque rationem a Deo ipso datam oppimenti, sine disertis verbis divinis credendum est: nedum ubi praeceptum aliquod naturale, omnibusque sine omni revelatione notum, ita novissimorum hominum verbis nudis, Deo tacente, explicatur, aut verius torquetur, ut manifeste tyrannicam spiret crudelitatem, nec nisi rarissima paucissimorum hominum virtute impleri possit, adeoque ad dedecus ac perniciem plororumque hominum vergat. <sup>qc</sup>

[p. 73] Quod autem ad leges humanas, hae quidem primum cum natura saepe configlunt. Itaque PLATO dixit, legem esse arbitrarium hominum inventum, multumque praeter naturam violationis et violentiae adducere. Immo 1. 4. de Legg. dicit, nullum umquam hominum aliquid lege sancire; sed fortunas casusque varios incidentes leges nobis per omnia ferre. Max. Planudi magnopere videtur Platonis illud in Gorgia pulchre simul et vere dictum: plerumque contraria inter se sunt natura et lex. SENECA N. Q. 3. cum varie explicasset, quid homini praecipuum, Haec res, inquit, efficit non e iure Quiritium liberum, sed e iure naturae. DIOGENES vero dicebat, se fortunae audaciam, legibus naturam, perturbationibus rationem opponere. CYRIACUS LENTULUS de Statu rei Rom. I. 3. c. 9. Dudum, ait, ius nihil aliud esse, quam quod potentiori expedit, a viris non obesae naris disputatum est. Quamquam Socrates apud PLATONEM strenue se eis opponit, iuris prudentiam esse quae inferioris et subditi, non potentioris utilitatem respicit. Sed nimirum Thrasibus id, quod plerumque fieri solet, Socrates id, quod fieri debebat, in iure contemplando, [p. 74] considerat. <sup>re</sup> Ceterum leges, consuetudines ac instituta omnium populorum antiquorum, nominatim Romanorum, hic naturae consentiunt, et plures etiam casus excipiunt, causasque iustae, aut licitae permissaeque necis sui probant, quam severior philosophia: <sup>sc</sup> nempe taedium vitae [p. 75], valetudinis adversae et doloris alicuius impatientiam, aliamque probabilem tantum causam. Praeterea extant multa exempla ipsorum legum latorum, iudicum, praetorum, consulum, regum, imperatorum: Lycurgi, Charondae, Alexandri M. Iul. Caesaris, Augusti, Claudii, Neronis, Othonis, Hadriani, Gordiani: qui se vel eduxerunt, vel educere voluerunt. <sup>tc</sup> Complures vero successorum repente [p. 76] trucidati molestia hac suprema fuerunt liberati. Antoninus autem philosophus mortem voluntariam passim probat [p. 77] ac commendat. <sup>ve</sup> Post Constantimum vero adeo descitum est a ratione et prisca virtute, fortitudine ac magnitudine [p. 78] animi Romana, ut principes et imperatores ipsi turpi ac perniciosa superstitione capti, ludibria fere paparum, eorumque fiducia rebellantium civium quandoque fuerint, eaque passi, quae nemo forte superstitione vacuus, factusque ad normam mediocritatis et magnanimitatis, vel Aristotelicae, quae potissimum probari solet, ne pro totius [p. 79] quidem orbis terrarum imperio sustinuisse pati. TULLIUS ait: mors honesta saepe vitam quoque turpem exornat: vita turpis (superstitiosorum) ne morti quidem honestae locum relinquit. Et de Epaminonda loquens summam, inquit, amentiam esse existimabat, quod scriptum esset rei publicae salutis causa, id non ex rei publicae causa interpretari. Idem de omnibus legibus dixeris: cum sint utique, saltem debeant esse salutis hominum causa latae,

summa est amentia, eas non in salutem, sed perniciem hominum stolide et perverse interpretari. Sed, ut puto, frustra hic disputamus de legibus etiam humanis. Vix enim usquam gentium extant, quae causae nostrae adversantur. Fortassis pauci aliqui, iisque hebetes dumtaxat legum interpretes, dum legunt, vetari temerariam, iniustum, nefarium necem sui, putant id in universum valere, etiam ubi honestae, iustae ac necessariae subsunt causae. Ad haec quam irrogabis poenam, si quis iam ante in potestatem hostium devenit, si in ignem, si in altum mare se proiecit, et forte a piscibus devoratus, si in vasta solitudine a bestiis disceptus? Videsne stultitiam et feritatem tuam variis modis circumscribi, et inhumanas leges, si sint, frustra iactari? Denique cuivis dicere licet,

non curo tumulum; sepelit natura relictos<sup>mm</sup>.

Et argute LUCANUS de Pompeio mortuo:

[...] vidit quanta sub nocte iaceret  
nostra dies, risitque sui ludibria busti.<sup>nn</sup>

Nunc audiamus SENECAM, qui saepius graviusque quam ullus adversariorum omnium docet, magno animo utramque fortunam contemnere, Deo parere, eum, quantum quisque potest, quocumque duxerit, sequi; pacem, salutem [p. 80] et societatem generis humani semper; corpus quoque et vitam cuique propriam tueri plerumque ac conservare. Ep. 14. Fateor, inquit, insitam esse nobis corporis nostri caritatem: fateor nos huius gerere tutelam: nec nego indulgendum illi, serviendum nego — — Sic gerere nos debemus, non tamquam propter corpus vivere debeamus, sed tamquam non possimus sine corpore. Huius nos nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis obicit. Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est. Agatur eius diligentissime cura: ita tamen ut cum exiget ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum in ignem sit. Ep. 22. In utrumque monendi et firmandi sumus: et ne nimis amemus vitam, et ne nimis oderimus. Etiam cum ratio suadet finire, non temere, nec cum proculu capiendus est impetus. Vir fortis ac sapiens non fugere debet e vita, sed exire. Ita ep. 30. valde laudat Aufidium Bassum, secta Epicureum, perseverantem vivere quassum, et senectuti, morbis, languoribus fortiter obluctantem. Sed l. de v. b. laudat quoque Diodorum Epicureum, qui Basso, si rem nudam sine diversis agendi causis spectes, contrarius vitam abruptit et gulam praesecuit. Rursus ep. 98. laudat, nescio quem senem, et liberaliter, inquit, facit quod vivit. Alius iam hos cruciatu finisset: hic tam turpe putat, mortem fugere, quam ad mortem confugere. Quid ergo? non si suadebit res, exhibet? Quidni exeat? si nemo iam eo uti poterit? si nihil aliud quam dolori operam dabit. In universum probans ep. 12. hanc Epicuri sententiam: Malum est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere, nulla necessitas est: Quid ni, ait, nulla sit? patent undique ad libertatem viae multae, breves, faciles. Agamus Deo gratias, [p. 81] quod nemo in vita teneri potest. calcare ipsas necessitates licet. Et ep. 26 probata hac quoque Epicuri sententia: Meditare, utrum commodius sit, vel mortem transire ad nos, vel nos aedam. Post pauca, meditare, inquit, mortem. Qui hoc dicit, libertatem meditari iubet. qui mori didicit, servire dedidicit: supra omnem potentiam, certe extra omnem. Quid ad illum carcer, et custodia, et claustra? liberum ostium habet. Una est catena, quae nos alligatos tenet, amor vitae: qui ut non est abiiciendus, ita minuendus est: ut, si quando res exiget, nihil nos detineat, nec impedit, quo minus parati simus, quod quandoque faciendum est, statim facere. Rursus ep. 58. Prope est a timente qui fatum segnis exspectat: sicut ille ultra modum deditus est vino, qui amphoram exsiccat, et faecem quoque exsorbet. De hoc tamen quaeremus, pars summa vitae utrum faex vitae sit, an liquidissimum ac purissimum quiddam: si modo mens sine iniuria est, et integri sensus animum iuvant, nec defectum et praemortuum est corpus. Plurimum enim refert, vitam aliquis extendat, an mortem. At si inutile ministeriis corpus est, quidni oporteat educere animam laborantem? — — et cum maius periculum sit male vivendi, quam cito moriendi, stultus est, qui non exigui temporis mercede magnae rei aleam redimit. Post pauca: Non relinquam senectutem, si me totum mihi reservabit: totum

<sup>mm</sup> Sen. epist. 92, 35: nec tumulum curo; sepelit natura relictos. MAECEN. 191 (8 Bl., C) / Marc. Poet. frag. 8 (247 M./B./B.)

<sup>nn</sup> Luc. 9, 13–14: vidit quanta sub nocte iaceret  
nostra dies, risitque sui ludibria trunci

ab illa parte meliore. At si cooperit concutere mentem, si partes eius convellere — prosilium ex aedificio putrido et ruente. Morbum morte non fugiam dumtaxat sanabilem, nec officientem animo: non afferam mihi manus propter dolorem. Sic mori, vinci est. Hunc tamen si sciero perpetuo mihi esse patiendum: exibo non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est [p. 82] ad omne, propter quod vivitur. Imbecillus est et ignauus, qui propter dolorem moritur: stultus, qui doloris causa vivit. Id est vivit, ut doleat. Ep. 70. Vita non semper retinenda est. Non enim vivere bonum est, sed bene vivere. Itaque sapiaens vivit, quantum debet, non quantum potest. Videbit, ubi victurus sit, cum quibus, quomodo, quid acturus. Cogitat semper, qualis vita, non quanta sit. Si multa occurunt molesta, et tranquillitatem turbantia, emittit se. — Citius mori, vel tardius, ad rem non pertinet: bene mori, aut male, ad rem pertinet, bene autem mori, est effugere male vivendi periculum. Post quaedam: Si altera mors cum tormento, altera simplex et facilis est, quidni huic iniencia manus? Quemadmodum navim eligam navigaturus, et domum habitaturus, ita mortem utique, qua sum exiturus e vita. Praeterea quemadmodum non utique est melior vita longior, sic peior utique mors longior. Ep. 77. Iter imperfectum erit, si in media parte, aut citra petitum locum steteris: vita non est imperfecta, si honesta est. Ubi cumque desines, si bene desinis, tota est. Saepe autem et fortiter desinendum est, et non ex maximis causis. Nam nec hae maxima sunt, quae nos tenent. Sequitur de Tullio Marcellino, qui coepit deliberare de morte, convocatis amicis, quorum unusquisque, aut quia timidus erat, id illi suadebat, quod sibi suassisset: aut quia adulator et blandus, id consilium dabat, quod deliberanti gratius fore suspicabatur. Quidam vir fortis ita coepit: Noli torqueri, tamquam de re magna deliberes. Non est res magna, vivere. Omnes servi tui vivunt, omnia animalia: magnum est, honeste mori, prudenter, fortiter.

His adiungenda quaedam ex EPICTETO, et notanda in primis ea, quibus passim docet, quid facto opus, ubi necessaria [p. 83] deficiunt. L. 3. diss. 26. varie reprehendens eos, qui egestatem metuunt; et disserens de providentia Dei, quod ipse sit dominus, et procreationem universi in manu sua habeat, et res humanas curet, ita ut bono viro, nec vivo, nec mortuo, mali quicquam eveniat: Quid ergo, inquit, est, si alimenta non praebat? Ecquidnam aliud quam signum mihi receptui datum a bono imperatore? Oboedio igitur, sequor collaudans ducem, operaque eius praedicans.

Et c. 13. Quod si necessaria non suppeditat, qui evocat, signum dedit, ianuamque aperuit, ac monet, ut egrediaris.

Et c. 8. aliis quoque exemplis rerum adversarum adductis, sed nonne, inquit, Iuppiter ista facit recte et convenienter rebus? — praeterea ut tibi, qui haec sustineas, liceat tamen esse beato, patefecit ianuam. quare si videbitur, egredere, et morosus ne sis.

Et l. 1. c. 9. Cum vos hodie ad saturitatem comederitis, sedetis flentes, de crastino solliciti cibo. Mancipium, si conquereris illum, habebis utique: si nullum obtinueris, discedes: patefacta erit ianua. Quid luges? Et l. 4. c. 10. Deerunt alimenta. Si affligar hoc modo, portus mihi erit mors. Portus omnium misericarum ac receptus quidam est mors: idcirco in vita difficile et arduum est nihil, si modo velis. Egredere — Quid anxius es? quamobrem noctes ducis insomnes?

Quantum vero sit discriminis inter homines, tempora et rationes agendi singulares, declarat l. 1. c. 9. et l. 2. c. 15. Rursus l. 1. c. 29. cum monisset, aliquando manendum, aliquando vero discedendum, addit: modo ne id absque ratione, ne effeminate, aut ne temere oblata quadam causa, et pro quavis re nata fiat: μὴ ἐκ τῆς τυχούσης προφάσεως: secus enim fieri Deus ista non vult. Quod si dederit signum receptui — oboedire oportet tamquam imperatori.

[p. 84] Denuo SENECA, et egregie in consol. ad Marc. c. 20.

O ignaros malorum suorum, quibus non mors, ut optimum naturae inventum laudatur! quae sive felicitatem includit, sive calamitatem repellit — omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum — Haec servitatem invito domino remittit: haec captivorum catenas levat: haec e carcere educit, quos exire impotens imperium vetuerat.

Et paulo post:

Video istic cruces, non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas, — — video fidiculas, video verbera: et membris, et singulis articulis singula machinamenta: sed video et mortem. Sunt istic hostes cruenti, cives superbi: sed video istic et mortem. Non est molestum servire, ubi, si domini pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire. Contra iniurias vitae, beneficium mortis habeo.

Et ep. 14.

Timetur inopia, timentur morbi, timentur quae per vim potentioris eveniunt. Ex his nihil magis nos concutit, quam quod ex aliena potentia impendet. — — ferrum circa se et ignes habet, et catenas, et turbam ferarum, quam in viscera immittat humana. Cogita hoc loco carcerem, et cruces, et eculeos, et uncum, et adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem; et distracta in diversum actis curribus membra: illam tunicam, alimentis ignium et illitam, et intextam etc.

Ait non nemo apud Comicum, accede ad hunc ignem, et plus iusto calefies. Ego dixerim, accede huc, et his confer frigidas, ut ita loquar, ratiunculas et captiunculas adversariorum; et tamquam cera ad ignem liquefiant. <sup>xc)</sup> Non est, inquit, fortis viri vitam [p. 85] aerumnosam, paupertatem, amorem moriendo fugere: <sup>yc)</sup> et acrius tamquam ex interdicto divino: *non occides*. Nempe, ut dixi, temere, sine iusta et necessaria causa. <sup>zc)</sup> Ex ea vero tyrannos et tortores ipsos, omnesque eorum patronos ac defensores, occideres, si posses. **ad)** *Non occides*, repetunt. Immo crudeliter tortus, torquendus et occidendus, bene imitabitur, dum potest, Hispanum illum, apud TAC. 4. ann. c. 45. qui cum postero die ad quaestionem retraheretur, eo nisu proripuit se custodibus, saxoque caput afflxit, ut statim examinaretur. <sup>bd)</sup>

[p. 86] Iam vel ex dictis liquet, pessime ab adversariis ad universos et singulos homines atque casus trahi verba Darii apud CURT. 5. 12. Alieno scelere, quam meo, mori malo.

Item verba Nabazanis c. 9.

Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Saepe taedio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi. — — Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non pigre ire satis est.

Ut statim vel his duobus exemplis, aut velut edictis, quibus continuo repetitis triumphant adversarii, clarissime pateat, [p. 87] quo iudicio, quave fide agant, et verba, sententias, testimonia veterum allegent. <sup>cd)</sup> Obiter observa <sup>dd)</sup>

I. Nec Darium, nec proditorem eius, Nabazanem, nec Persas in universum fuisse in nova illa, et non nisi multis post saeculis exorta quasi haeresi, vel opinione singulari, nefas esse, ex iusta et necessaria causa se educere: debere autem omnes quaecumque probra, tormenta, supplicia, demum mortem quamcumque, alieno sive scelere, sive manu operaque inferendam, subire: <sup>ed)</sup> puta illam Marii Gratidiani [p. 88] sub Sulla, vel postea Vitellii Imp. Nec Darius, inquam, nec temere ullus Persarum fuit in hac turpi et stolidia opinione. <sup>fd)</sup> Nam praeter communem naturae humanae abominationem ac horrorem, <sup>gd)</sup> praeterque tot contraria aliorum exempla, <sup>hd)</sup> Darius ipse iam ante in ultima pugna [p. 89] dicitur, inquit CURTIUS 4. 15. acinace stricto dubitasse, an fugae dedecus honesta morte vitaret. <sup>id)</sup> Et IUSTIN. II. 14. Darius cum vinci suos videret, mori voluit et ipse; sed a proximis fugere compulsus est. <sup>kd)</sup> Nunc quoque, in hoc ipso [p. 90] temporis articulo, Bubaci, quem vocari iusserat, forsitan, ait, mireris quod vitam non finiam. Qui autem miraretur, si nefas et inauditum apud Persas vitam sponte finire? Rara dumtaxat et insolita miramur: uti nunc Bubaces, Darium non finire vitam. <sup>ld)</sup> Et post pauca: Besso et Nabazani [p. 91] nuntiaverunt sui, regem a semet ipso interemptum esse. Itaque citatis equis advolant. Unde tanta credulitas et festinatio in re apud Persas absurda, ut fingitur, et paene incredibili? Unde vel nuntiatio talis rei? <sup>md)</sup> Quid? Quod [p. 92] verba allata et tota oratio Nabazanis praeeceps in mortem Darii consilium declarant. <sup>nd)</sup> Porro Sysigambim, Darii matrem, mortuo Alexandro, mortem sibi ipsam conscivisse, IUSTINUS l. 13. et CURTIUS l. 10. testantur. <sup>od)</sup>

II. Darium fuisse nunc tota mente consternatum, aliud atque aliud consilium animo voluntatem, atque ultra feminam ferme emollitum. En ipsa CURTII verba:

Destinatus forti sua, et iam nullius salubris consilii patiens, unicam [p. 93] in illa fortuna opem

Artabazum, ultimum illum visurus amplectitur, perfususque mutuis lacrimis inhaerentem sibi avelli iubet: capite deinde velato, ne inter gemitus digredientem velut a rogo intueretur, in humum proum corpus abiecit. <sup>pd)</sup> Itaque

III. Darium in tanta perturbatione mentis, partim nescisse quid diceret, partim tegendae ignaviae finxisse scelus, si ipse se interficeret. Porro bene SENECA controv. l. 8. contr.

Frangitur calamitosis animus, et ipsa se infelicitas damnat: et hoc condicio humana vel pessimum habet, quod fortuna, quos miseros fecit, et superstitiones facit. <sup>qd)</sup>

[p. 94] IV. Seclusa ignavia, longe maiores habuit Darius bene sperandi, quam timendi desperandique causas. Nam praeter communia et fortuita, parricidae ipsi se purgaverant, deosque patrios suae fidei testes invocaverant. Ad hoc timebant tot milia Persarum latura opem. Etiam Graeci ulti offerebant opem, et ut se fidei eorum committeret, orabant, ipso respondente, difficilior sibi esse damnare, quam decipi. Hoc est illud, quod TACITUS 3. hist. c. 40. ait:

Quod inter ancipitia deterrium est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec providit.

V. Nec longior, nec gravior mors Dario erat timenda ea, quam ipse sibi inferre potuit. Quo ipso cessat necessitas capienda mortis.

VI. Si quis sine scelere vel suo, vel alieno mori nequeat; utique praestat (nec ullus negat) alieno quam suo scelere mori. Sed inde non sequitur id, quod volunt adversarii, omnes qui sponte moriuntur, suo scelere mori: non magis quam omnes, qui ab aliis occiduntur, alieno scelere. Innumeri ab aliis sine ullo scelere, immo per virtutem occiduntur. Proverbio dicitur, *asinus mavult stramentum, quam aurum:* neque ideo aurum malum est, sed nec deterius strumentum. Aliqui malunt hoc, quam illo genere mortis mori: quidam in acie pugnantes potius, quam domi in lectulo decumbentes: ideo autem nefas non est domi, et eo mortis genere, quod alii abominantur, exstingui. <sup>rd)</sup>

[p. 95] Porro verba Nabarzanis allata adeo non adversantur, ut sententiam nostram egregie confirment. Idem enim dicunt, quod supra Seneca: nempe in utrumque nos esse firmandos, et ne nimis amemus vitam, et ne nimis oderimus. Etiam cum ratio suadet finire, non temere, nec cum proculsu capiendum impetum. Virum fortem non fugere debere e vita, sed exire. Et en verba, quae proxime praecedunt, ex quibus sensus sequentium pendet ac elucet.

Bactra intacta sunt. Indi et Sacae in tua potestate: tot populi, tot exercitus, tot peditum equitumque milia ad renovandas vires parata sunt, ut maior belli moles supersit, quam exhausta sit. Quid ruimus, beluarum ritu, in perniciem non necessariam? Fortium virorum est, magis contemnere mortem, et reliqua.

Itaque demum nisi adversarii pudorem, fidem, iudicium et mentem omnem perdidissent, atque adeo nisi hic vel ipsi pecudes fere, fungi ac stipites essent, vel alios omnes putarent; numquam talia tamquam pro se adducerent, et incredibili fere vanitate ac stultitia ipsis damnis suis exsultarent. <sup>sd)</sup>

[p. 96] Eiusdem vero ac superiora sententiae sunt haec TACITI:

Fortes et strenui contra fortunam insistunt spei: timidi et ignavi formidine ad desperationem properant.

Et PLINIUS l. 1. ep. 22.

Impetu quodam, inquit, et instinctu currere ad mortem, commune cum multis; deliberare vero, et causas eius expendere, utique suaserit ratio: vitae mortisque consilium suspicere, vel ponere, ingentis est animi.

Consentient apertius vel obscurius omnes celebriores antiqui philosophi, et iuxta decreta sua de natura humana, ratione, virtute, libertate et tranquillitate animi, fine, summo bono, vel beatitudine, consentire coguntur: ceu infra demonstrabimus. Interim haec tenenda. Xenophon apud STOBAEUM serm. 42. admiratione etiam dignum esse Lycurgum ait, qui apud Lacedaemonios id effecerit, ut honestam [p. 97] mortem turpi vitae anteponerent. <sup>td)</sup> Apud eundem STOB. serm. 7. de fortitud. Musonius: arripe mortem honestam, dum licet: ne paulo post mori quidem tibi necesse sit, at honeste non amplius

liceat. Exemplum memorabile est Agrippina, Germanici vidua, cui demum mori inedia destinanti, per vim ore diducto infulciri cibum iussit Tiberius.

Et iisdem temporibus Cremutius Cordus, de quo SEN. ad Marc. c. 22. Apud CLEMENTEM ALEXANDR. strom. 5. Gymnosophista rogatus ab Alexandro, quo usque bene sit homini vivere? Quo usque, respondit, non existimet, esse melius mori, quam vivere. Socrates apud PLATONEM in Phaedone ait eum qui mortem fert moleste, non esse philosophum, sed corporis amatorem, et pecuniarum honorumque cupidum, aut aliud aliquid affectare. Eis vero, qui recte philosophantur, adeoque mori meditantur, mortem minime esse terribilem.<sup>vd)</sup> Sed forte Socrates exceptit mortem voluntariam. Stupendum autem fuerit, mortem omnium ex se facillimam et lenissimam [p. 98] fore solam philosopho terribilem.<sup>xd)</sup> Deinde ipsa mors Socratis fuit magis voluntaria, quam coacta. Certe ipse nec se accurate defendere, nec iudicibus supplex fieri voluit: immo eos cavillatus est, rogatusque, eam se poenam meritum respondit, ut in Prytaneo aleretur. Amicos etiam, qui tutum promitterent effugium, aspernatus est. Denique venenum tam cupide hausit, quam si sitiret.<sup>yd)</sup>

Sophocles in Aiace apud STOB. supra ait:

turpe, virum optare (vel tamquam indigentem desiderare, χρήζειν) longam vitam, cui nulla malorum vicissitudo sit.<sup>zd)</sup> Quid enim iuvat diei dies additus, atque mortem procrastinans? Huius non facio hominem, qui spe bona fovetur. Sed aut bene vivere, aut honeste mori, ingenuum decet.

Item Euripides in Archelao: unum hoc tibi pronuntio, ne ad servitutem umquam vivus libens accedas, si liceat tibi libero oppetere [p. 99] mortem.<sup>ae)</sup>

Porro diserte PLUTARCHUS in de tranq. animi, ante finem:

Quod si vero inopinata aliqua et vehementior procella occupet, in propinquu est portus, licetque enatare e corpore, tamquam scapha aquam admittente. Insipientem enim mortis metus, non vitae desiderium iubet a corpore dependere, id amplexum, quomodo Ulixes caprificum tenuit metu subiectae Charybdis. — — At qui animae naturam utcumque didicit, reputatque eam morte vel in meliore, vel saltem nihilo peiore statum abire: is vacuitatem metus adversus mortem, non exiguum habet ad tranquillitatem animi in vita viaticum. Nam cui licet, virtute ac praestantiore parte sui praevalente, suaviter vivere, alienis autem et naturae adversa quae sunt superantibus intrepide abire, fato haec,

'ipse deus, simul atque volam, me solvet.' [...]<sup>oo</sup>

quid excogitari potest, quaeso, quod huic grave, molestum, aut tumultum afferens possit accidere?<sup>be)</sup>

[p. 100] Sed eiusmodi verba et sententias, rem ipsam, de qua agitur, continentes, et ex intimis naturae, rationis et felicitatis humanae velut penetralibus depromptas, praetervolant adversarii, tamquam muscae: vel fugitant, sicut animalia quaedam amaracinum unguentum, ut ait LUCRETIUS.<sup>ce)</sup> Quod si vero philosophorum pauci quidam mortem voluntariam visi sunt damnasse; vel de promiscua, praecipi, iniusta, non necessaria, exordinariis, frequentioribus ac levioribus causis accersita, publice privatimque damnosa, locuti sunt: vel ambiguis, levibus et paene ridiculis ratiunculis, aut comparatiunculis, ut supra Macrobius et Stationarii,<sup>de)</sup> opinionis suaee vanitatem prodiderunt: vel eam non [p. 101] congruere sententiae Stoicorum, de solo bono honesto, ostendere voluerunt. Sed hac de re, et de consensu infra.

<sup>oo</sup> Hor. epist. 1, 16, 78 ed. Shackleton Bailey.

## II. Duodecim argumentis probatur, licitam esse εῦλογον ἔξαγωγὴν, sive mortem voluntariam, prioribus quaestionibus discretam.

Candide et clare, immo, ni fallor, clarus et distinctius, quam adversarii, tenebrarum ac confusionum amantes, atque in turbido, quod dicitur, piscari cupientes, vellent, quaestiones proposuimus: <sup>ee)</sup> videamus quoque distinctius, examinemus, et conferamus argumenta, quae hinc inde afferuntur, aut afferri possunt. Ac

### I. [p. 101–102]

Quidem et in antecessum iusti instar, solidi, invictique argumenti facile fuerit, vel sola illa insignis debilitas [p. 102] vanitasque eorum omnium, quae adversarii tamquam argumenta, pro sua opinione, protrudunt: adeo, ut sive relinquas, sive demas corruptiones aut contorsiones quaestionum, cavillationes, fallacias, suspiciones, coniecturas, audaces assertiones, vituperationes, contumelias, calumnias, nihil relinquatur, quod vel speciem quandam probandi habeat, praesertim rem ex rationis usus, si quis sit et esse debeat, animi libertas, pax, tranquillitas, demum summa felicitatis humanae, eius conservatio et integritas, qualis quantaque esse potest in hac saltem vita, pendet. SENECA alicubi miratur, nec satis cogitare, aut divinare potest, quid sibi voluerint prudentissimi viri, qui rerum maximarum probationes levissimas et perplexas fecerunt: quae si verae etiam essent, mendacio tamen longe sunt similiores. Et PALINGENIUS in aquar. canit:

Magni saepe viri mendacia magna loquuntur.

Sed hoc, quia non nisi ex sequentibus, et expositis prius adversariorum argutiis, clarus certiusque constare potest, nunc omittamus, contenti hic indicasse tantum. <sup>fe)</sup>

Pro morte autem voluntaria iis, quos signavimus, limitibus circumscripta, invicte pugnat

### II. [p. 102–123]

Quod nulla sit lex, nihil quod proprie rationem legis habeat, et hoc nomine censeatur, censendumque sit, quod iubeat se ipsum, vel partem dumtaxat sui, eamque vilissimam, corpus eiusque vitam amare: et eo quidem usque, ut quaecumque sit causa honesta, gravis et necessaria [p. 103] eam finiendo, retinere, conservare ac producere eandem, paucis licet momentis quoque, aut horis saltem et diebus, necesse sit. Confessus sum verbis Senecae, et adhuc confiteor, natura nobis insitum esse amorem nostri etiam corporis et vitae: sed eum amorem esse supremam regulam omnium actionum humanarum; esse eius velut auctoritatis dignitatisque, ut omnia tamquam viliora ei sint postponenda, atque eius quasi imperio omnia dedecora ac tormenta toleranda: immo eum amorem iure aut lege aliqua proprie presseque dicta, vel naturali, vel divina sancitum aut iussum esse, nego ac pernego. <sup>ge)</sup> Nam

[p. 104] 1. Ne dicam nunc, hoc manifeste repugnare naturae rerum, Dei et hominis, tamquam animalis rationalis, atque ita a Deo conditi, ut felicitatem suam summo ac insuperabili amore diligit: iam pridem, etiam cum irrisione, explosa est veterum quorundam iuris consultorum opinio, qui ius esse dicebant id, quod natura omnia animalia docuit; ideoque communionem et peritiam iuris tribuebant etiam feris. Quid restat, ait lepide non nemo, nisi ut iuris consultos lupos, ursos, leones, simias putemus, et in silvis quaeramus? Esset autem utique communio iuris et legum, si quaecumque natura, aut ex constitutione, inclinatione, instinctu, impulsu naturae animalis fiunt, necesse esset fieri quoque iure et lege eiusmodi, de qua hic disquiritur. Id vero tantum abest, ut haec lex in universum directe sit opposita propensionibus et motibus naturae animalis. Itaque quia natura ista praeter contraequ rationem amamus corpus [p. 105] et vitam, appetimus voluptates, aversamur ac fugimus labores, indeque in tot sceleris proruimus; data est nobis ratio et lex naturae rationalis, quae naturae animali, eius inclinationibus et impetibus se opponat, eosque arceat, vel coercent. <sup>he)</sup>

2. Quomodocumque legem naturae in eundem fere sensum descripseris; amor ille nostri et prior, et antiquior, et firmior ac valentior lege est, sive quam si lex eum iussisset. Nam sive dixeris legem naturalem esse dictatum rectae rationis circa ea, quae sunt agenda et omittenda: sive iudicium intellectus, quo post diligentem inquisitionem proponitur aliquid ut conveniens, vel disconveniens

naturae rationali: sive, cum CUMBERLAND, propositionem naturaliter cognitam, indicantem actiones effectrices boni communis, quas praestitas praemia, neglectas poenae naturaliter sequuntur: sive, cum eodem, propositionem [p. 106] quandam immutabilis veritatis, quae actiones voluntarias circa bonorum electionem, et malorum fugam dirigit, ac obligationem adactus externos inducit, etiam citra leges civiles. etc. Quodcumque horum dixeris, amor ille nostri, et corporis vitaeque tuendae, dum nihil gravius obstat, inclinatio et cura est, et ante omne dictatum usumque rationis, et ante omne eiusmodi iudicium intellectus, et ante omnem cognitionem talis propositionis: uti patet ex omnibus actibus infantium et puerorum. Itaque lex illa posterior, et tamquam sero veniens, inutilis esset et superuacua: non secus ac si quis iuberet fieri id, quod modo est factum, et quod non fieri nequit, etiam sine omni iussione. Iob. 2. dicitur: pellem pro pelle, et cuncta, quae habet homo, dabit pro anima, id est, vita sua: non lege aliqua iubente, sed natura et amore naturali vitae sponte impellente. Lysimachus in Thracia circumventus sese exercitumque propter sitim in potestatem hostium tradidit. Non id ratio, aut ulla lex naturae rationalis praecepit; sed amor vitae et exiguae voluptatis naturalis eo hominem adegit: ceu ipse maerens et attonitus protinus agnovit. <sup>ie)</sup>

[p. 107] 3. Si quaecumque mors, et ex quibuscumque causis sibi illata, esset contra legem naturae, atque exscrabile, ut dictatur, scelus, ac longe gravius, quam si quis alium, et iam innocentem, occideret: e contrario esset quoque magna et singularis virtus, continere a se manus, ac sibi velut parcere: virtus, inquam, esset, et forte maior et illustrior, quam si quis alii pepercisset, eumque servasset, dum causam et opportunitatem eum perdendi habuisse. At quis umquam virtutis alicuius nomine laudavit, aut laude aliqua dignos putavit eiusmodi homines? non magis quam eos, qui aequo animo iacent in rosa, ut ait SENECA. <sup>ke)</sup>

[p. 108] 4. Amor corporis vitaeque corporeae, et rerum eo pertinentium est, ut nunc sunt homines, fons, fomes, irritamentum omnium scelerum ac vitorum: immo ea tamquam in nucleo continet: certe triplicem illam concupiscentiam complectitur, de qua scriptura. Hinc vero omnia flagitia et mala. Recte PLATO 5. de legg.

Re vera nimius in se ipsum amor omnium peccatorum omnibus semper est causa. Occaecatur quippe circa amatum qui amat. Quapropter qui se amat, cum se ipsum magis quam veritatem honorandum putat, quid bonum, iustum, pulchrum sit, male iudicat.

Certe amor vitae unica aut princeps est causa ignaviae et turpis fugae, aut deditiois ac captivitatis, omniumque flagitorum ac malorum, quae ab ignavia oriuntur, quaeque innumeri praesertim milites et duces vel infami morte, vel gravioribus morte suppliciis luerunt. Vide VALER. MAX. I. 2. c. 7. de disc. mil. Memorabile cumprimis videtur nonum, et scriptoris de eo iudicium:

Magnum profecto [p. 109] dedecus patriae magno Pisonis decore vindicatum est: quoniam quidem id egerit, ut qui cupiditate vitae victi — — fugitivis trophya de se statuere concellerant — — amarum lucis usum experientur, mortemque, quam effeminate timuerant, viriliter optarent.

Idem c .6. Removeatur naturalis omnium animalium dulcedo vitae, quae multa et facere, et pati turpiter cogit; si eius aliquanto felicior ac beatior finis reperiatur. De Turpilio SALLUST. in iug. In ea tanta asperitate, saevissimis Numidis, et oppido undique clauso, Turpilius praefectus unus ex omnibus Italicis profugit intactus: id misericordia ne hospitis, an pactione, an casu ita evenerit, parum comperimus; nisi quia in tanto malo turpis vita integra fama potior fuit, improbus intestabilisque videtur. Paulo post a Metello condemnatus verberatusque capite poenas luit. Igitur sine dubio ratio et lex data est amori naturali vitae minuendo, refrenando ac compescendo; non inserendo aut imperando, alendo, atque contra honestas iustasque causas obfirmando. <sup>le)</sup>

AUGUSTINUS allegat, sed male et praepostere, quintum praeceptum, *non occides*: item illud, *diliges proximum sicut te ipsum*. Ast vero

[p. 110] 1. Lex, quae allegatur, non nisi 2500 annis circiter evolutis post ortum hominum promulgata fuit, in angulo velut mundi, in deserto. An igitur homines tum primum lege ista, quam omnes antea mortui, et plerique omnes per universum terrarum orbem dispersi, ne audire quidem potuerunt,

primum edocti fuerunt et iussi sese amare, ante odio sui pleni, ideoque parati ad se occidendos? Deinde si tunc primum sublata fuit occidendi libertas: ergo antea licuit et liberum erat occidere. Si vero nec prius, nec inde a principio licuit: frustra affertur lex tanto hominibus velut iunior, aut posterior. <sup>me)</sup>

2. Lex illa, uti promulgata, ita lata et data erat solis illis rudibus Iudeis, nec qua talis ad alios pertinebat, eosque obligabat: ceu patet vel ex ipso prologo:

Ego sum Dominus [p. 111] Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti<sup>pp</sup>: et ex praeced. tertio pracepto: Memento, ut diem sabbathi sanctifices. Ne dicam de tot aliis legibus ac praceptis, quibus solos Iudeos fuisse alligatos, nemo ambigit. Lex illa, inquit, et speciatim praceptum, *non occides*, quatenus promulgatum in monte Sinai, et praelest si hoc ipso subiectum fuit post 20. aut 19. saecula arbitrio AUGUSTINI, vel interpretationi, quamcumque is vellet dare; nihil omnino ad alios omnes: certe non magis quam praceptum, quod dixi de sacrificando sabbatho. Non enim homini fas videtur excerpere et seligere pracepta divina, eodem velut tenore et spiritu pronuntiata; atque haec Iudeis solis, illa omnibus in universum pro libidine, sine ullo promulgationis discriminis, obtrudere. <sup>ne)</sup> Nihil itaque, ut dixi, praceptum [p. 112] illud Augustinianum, vel quatenus subiectum interpretationi Augustini, ad alios omnes; nec priores, ut constat, quippe ignorantes etiam Augustinum ipsum; nec posteriores. Nulla enim ratio est, cur hi ideo tantum, quia post Augustinum nati, ob eius dumtaxat qualemcumque explicationem subirent iniquissimum iugum, a quo omnes maiores eorum inde ab O.C. liberi fuerant; et contra omnium legum divinarum, ex se facilium, et hominibus salutarium, aequitatem, hoc solo intolerabili, pernicioso et plus quam tyrannico pracepto cogerentur invitissimi turpissima et atrocissima quaeque pati potius, quam sponte mori. <sup>oe)</sup>

[p. 113] Utcumque fuerit, profecto apud omnes populos, ignorantes etiam spernentesque legem et sacra Iudeorum, nefas erat occidere alios: puta denuo, sine iusta et necessaria causa: neque ullus ideo tam absurdus, aut insanus etiam fuit, ut ideo iudicaret, nefas quoque esse, ex quacumque et quantumcumque gravi ac honesta, nedum ex pari causa, se ipsum educere. <sup>pe)</sup> Neque Apostoli, et nominatim S. PAULUS, ex professo agens contra ethnicos, Rom. 1. et 2. ullius eos peccati, tamquam contra Mosaicam aut divinam legem scriptam commissi, arguit et damnat: immo diserte ait, illos eam legem non habuisse, sed legem tantum scriptam in cordibus, id est, naturalem. Sed nec ethnicis ad fidem conversis ulla fuit imposta necessitas servandi legem Mosaicam, nisi quatenus ea ipsa velut descripta erat ex lege naturae universa, eiusque particulas quasdam, rudiorum captui magis ac commodatas, et improborum coercitioni magis necessarias, continebat. Itaque radix, ratio et vis obligationis non est ex revelatione, nedum ex interpretatione Augustini, sed ex natura et ratione.

Adice quod Apostolus 1. alleg. tot singulatim enumeratis peccatis, iisque manifestis, nullam facit mentionem gravissimi huius iuxta Augst. sceleris, eiusque tum maxime et publice probati. <sup>qe)</sup>

[p. 114] 3. Pracepto, *non occides*, vetatur tantum occisio temeraria, iniusta, non necessaria: <sup>re)</sup> ut toties indicatum. Rursus nec illo, nec aliis secundae tabulae praceptis iubetur amor nostri, sed aliorum, vel proximi, cum necessariis inde procedentibus officiis: uti liquet omnia pracepta illa percurrendo. <sup>se)</sup> Et cum de reliquis constet, obiter examinemus denuo sola illa duo quinti, ceteris immixti, eodemque haud dubie spectantis pracepti verba, *non occides*. Et primum quidem videamus, quomodo Christus Dominus ipse ea intellexerit et explicaverit, ait novis etiam inauditisque prius, ut videtur, et multi asserunt, apud Iudeos praceptis ampliaverit. Matth. 5.

Audistis, quia dictum est antiquis, non occides. — — Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo etc.<sup>qq</sup>

<sup>pp</sup> LXX 2. Mose (Exodus) 20, 2: Εγώ είμι κύριος ὁ θεός σου, ὅστις ἐξήγαγόν σε ἐκ γῆς Αἰγύπτου ἐξ οἴκου δουλείας.

<sup>qq</sup> Matth. 5, 21–22: Ἡκούσατε ὅτι ἔρρεθη τοῖς ἀρχαίοις· οὐ φονεύσεις· ὃς δ' ἀν φονεύσῃ, ἐνοχος ἔσται τῇ κρίσει. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν ὅτι πᾶς ὁ ὄργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ἐνοχος ἔσται τῇ κρίσει· ὃς δ' ἀν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ· ῥακά, ἐνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ· ὃς δ' ἀν εἴπῃ· μωρέ, ἐνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός.

Hic et in sequentibus nihil auditur, quo vel levissime suspiceris, verba toties repetita, *non occides*, sensu Augustini capienda esse, et quidem [p. 115] extendenda quoque ad omnes et quoscumque casus, sive ad quamcumque, etiam ingentem et extremam, necessitatem.<sup>te)</sup> Praeterea, ut antea significatum, amor ille nostri, corporis, inquam, vitaeque, et rerum eam conservantium, ornantium, condientium, adeo non praecepsis ullis divinis imperatur, ut circumscribatur etiam, coeretur in artumque redigatur; alias vero in exemplum, modum et mensuram amoris erga alios proponitur: uti cum dicitur, *diliges proximum sicut te ipsum*. Id vero absurdum et ineptum, nulloque sensu ac usu foret, nisi sponte naturae, sine ulla lege, nos diligemus, atque eius dilectionis intime nobis consciit essemus. Fac enim homines tam parum se, quam alios plerosque, diligere, et aequo ignorare, quomodo se diligent; quis ipsis praeceperit, diliges alios sicut te? Itaque amor nostri praecepsis illis non imperatur.<sup>ve)</sup> Nam

1. Est natura, ut denuo dicam, insitus, cum hominibus coepit, et continuo perseverat; etiam in sponte morientibus.<sup>xe)</sup> Certe omnem legem, praesertim Mosaicam, [p. 116] omnemque scripturam canon. longe antecedit, et sine ea firme insidet: nec hominibus modo, sed et animantibus cunctis. Principio, ait TULLIUS, generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quae ei nocitura videantur, omniaque quae sint ad vivendum necessaria inquirat et paret. Quis non intime sentit idem sibi a natura tributum? Quid ergo homini opus est lege, vel pracepto de se amando, nec proinde occidendo?<sup>ye)</sup> Nihilominus, inquis, multi se occiderunt. Sed ex eodem illo amore, ratione etiam probato directo, declinandi removendique ea, quae graviter ac perpetuo nocitura erant, praesertim menti, principi hominis parti, eique rerum necessiarum et salutarium scientia, atque virtute iam imbutae: cuius potior utique habenda est [p. 117] ratio, quam corporis vitaeque. Immo vel minimam, ait denuo TULLIUS, animi praestantiam corpori et omnibus eius bonis tantum anteire, ut ne in conspectu quidem relinquantur. Itaque etiamsi verbis, non occides, vetitum esset sponte mori; non posset tamen cum ratione extendi et trahi ad quamcumque necessitatem: multo minus quam vetitum occisionis aliorum eo usque, ut cum discriminione vitae tuae parcas insidiatori et latroni; maxime cum in dubiis semper praferenda sunt benigniora; certe asperiora non ad omnes etiam miserrimos casus et eventus, quorum nulla facta est in lege mentio, extendenda. Semper quidquid in dubio est, humanitas inclinat in melius. SEN. ep. 82.<sup>ze)</sup>

2. Christus Dominus summam totius legis divini complexus est gemino tantum amore, Dei et proximi; praceptorum, tamquam quae ad amorem nostri corporis vitaeque corporeae, et aliarum eiusmodi rerum necessario pertinerent, iisque nos terrore poenarum, etiam aeternarum, artissime alligarent, nusquam utique meminit. Immo contraria potius docuit et inculcavit. Quod si vero existarent etiam talia praecpta, essent supervacua et inutilia. Nam, ut toties dictum, natura ante, ultra et supra omnem [p. 118] legem nos amamus. Itaque nec ulla lex est, quae iubet, ut esurientes et sitiens comedamus ac bibamus; ut rebus laetis et voluptatibus affluentibus suauiter afficiamur ac laeti simus, atque e contrario rebus tristibus et doloribus cruciantibus doleamus, et aegritudinem quandam animi sentiamus. Sed nec ulla est lex, quae precipit ducere uxorem, et procreare liberos: ita quidem, ut graviter delinquit, ad inferosque proiciatur quisquis non fecerit; quaecumque etiam sit non faciendi causa, gravis ac honesta. Nempe hic quoque nulla opus est lege, cum abunde sufficiat instinctus naturae, nobis et animantibus communis. Ast certe non minus, immo longe magis fortiusque impellimur a natura ad nos conservandos, quam ad liberos procreandos.<sup>af)</sup>

Denique quamvis quae impellente natura facimus, saepissime male, inordinate, immodice, contra naturam et rationem faciamus; nulla tamen posita est lex, quae iubeat ideo in totum ea omittere, et numquam facere. Nusquam vero minus timendum ne exerremus, et vel iusto minus nos amemus, vel plus iusto faciamus, quam circa mortem voluntariam. Dum unus forte alterve peccat inconsulte et praepropere moriendo, multa hominum milia, idque varie, idque cotidie, et per omnem vitam peccant vorando, potando, coeundo: neque ideo vetatur, et nefas est comedere, bibere, immo epulari, et Venere uti. Immo magna virtus est, honeste, et ut decet ac expedit, facere.<sup>bf)</sup>

[p. 119] 3. Respice infantium, puerorum, iuvenum, senum, omnium denique hominum genium, studia et mores; videbisque, nisi caecus sis, eos sponte, et magis quam lex ulla imperaverit, corpusculum quemque suum amare, ideoque nulla lege indigere ad hoc, ut vivere velint; ut ea quae bona et utilia

videantur, concupiscant ac consequentur, atque ea, quae mala et noxia aversentur ac fugiant. <sup>cf)</sup> Sed lex saltem, inquis, in rectam viam dicit, dirigitque amorem sui. Recte: ast quomodo? iubendo, ut Deum amemus et proximum. Quo ipso amor nostri naturalis **h**it rationalis, et [p. 120] minus quam antea corpori indulgens. Huic vero amori nec mors, de qua loquimur, nec morti amor ille est contrarius; certe non magis quam iustae ac necessariae occasione aliorum. Bene SENECA:

hoc ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis; si minus, paucis; si minus, proximis; si minus, sibi.<sup>rr</sup>

Idque demum prudenter moriendo, si nec sibi, nec aliis prodesse potest vivendo. Ad hoc quandoque nec vivere potest, etiamsi velit: uti dum necessaria deficiunt, et mors instat crudelis. <sup>df)</sup>

[p. 121] 4. Praemia et poenae, quibus lex divina sancita, et aliae leges sanciuntur, manifeste ostendunt, praesupponi, ut dicitur, non imperari amorem nostri. Sine eo promissa et minae tam inutiles et supervacuae essent, quam leges ipsae. Quis enim amore sui destitutus, ideoque nihil pensi habens, bene an male secum agatur, vivatne an mortuus sit, istis moveretur? Quod moveamur, provenit ab insito, ante legem, et sine ea, amore nostri. Praeterea haec ipsa praemia promissa, et comminationes, quae Deuter. c. 27. et 28. describuntur, evidenter demonstrant legem Mosaicam **dumtaxat** ad hebetes illos rerumque necessiarum tum quidem rudes admodum Israelitas pertinuisse. <sup>ef)</sup>

[p. 122] Denique mors voluntaria, ea de qua agitur, adeo non lege aliqua, vel naturali, vel divina, vetatur, ut nisi publica et graviora certarum personarum officia quandoque concurrent, tantum non imperetur, saltem ἐπομένως, vel κατ' ὄκολονθίαν καὶ οἰκονομίαν. Excusant vero plerumque, hinc ignoratio officii, rerum singularium obscuritas, iudicij fluctuatio et incertitudo; inde magna illa imbecillitas humana, atque ingens difficultas eo usque vincendi amorem naturalem, ut ipse tibi afferas manus, vel inedia te conficias. Nihilo secius, sicut Deus praemia quaedam naturalia et necessaria virtuti eiusque officiis, ita tales quoque poenas, aut mala quaedam annexuit vitio, et cupiditatibus affectibusque rationi haud satis parentibus, ac pertinacioribus. Itaque isti vitae suae nimis amantes, et ex iustis quoque ac necessariis **causis** citius mori recusantes, horrendis interdum castigantur malis, deliriis, furoribus, corporis animique cruciatibus, subinde prolabuntur quoque in varia flagitia et vitae dedecora: demum male et turpiter moriuntur. An id non satis est poenarum Deo utique ipso, et natura adiunctarum pertinaciae vivendi, contra honestas moriendi **causas?** An ullum vitium graviores in praesens comitantur poenae, eaeque naturales et necessariae? An tua interpretatio et supersticio efficient, ut Deus providentiam suam, ordinemque rerum mutet? Aliae malorum, vel poenarum divinarum latent plerumque rationes, aut ambiguæ sunt, et interpretatione hoc illucque flecti possunt: hae vero sunt in aperto, et vix sceptico suum illud, ἐπέχω, relinquunt. Ut cumque vero haec se habeant, [p. 123] sufficit quod nulla sit lex, quae vetet εὐλογον ἔξαγωγὴν; ideoque liceat, suadente ratione, sese educere. Id **dumtaxat** erat demonstrandum. <sup>ff)</sup>

[p. 124]

### III. [p. 124–138]

Amor ille vitae, de quo prius locuti sumus, non est utique in hominibus, sicut in bestiis, primus et praecipuus velut motor auctorve cogitationum, consiliorum, et actionum, ex consilio et electione susceptarum: neque est earum mensura et regula, neque etiam finis, meta et scopus, in quem dirigantur ac dirigi debeant. Amor vitae est tantum servus, et, ut ita dicam, pedissequus alterius amoris principis, illius quo felicitatem nostram, rationi convenientem, amamus; eoque aversamur, odimus, fugimus, arcemus ac pellimus infelicitatem, praesertim perpetuam, sive non nisi cum vita finiendam. Hic amor, si quis alias, est naturalis, atque divinus etiam, sive a Deo inditus naturae rationali, eique soli proprius. Fatetur AUGUSTINUS, depellenda, inquiens, miseriae, et acquirendae beatitudinis **causa** faciunt homines **quid** vel boni, vel mali faciunt. Igitur nec rationalis natura patitur, ut amemus felicitatem propter vitam, sed vitam propter felicitatem. Hanc amamus, tamquam finem et extremum bonorum, absolute et propter se; vitam vero tamquam medium, aut condicionem quandam communem,

<sup>rr</sup> SEN. dial. 8 (de otio), 3.

ordinariam et temporariam. Quod si igitur re mutata in medium, condicionem ac fundamentum quasi miseriae et infelicitatis transeat; naturae animalis et brutae, non humanae et rationalis, nisi rarae, singularis, et quae in disciplina morum et rerum civilium [p. 125] est instar prodigum, una cum vita infelicitatem suam conservare, et velut alere, ac sustentare. Itaque boni illi et acuti viri, nobis adversi, ratione et natura rationali, eiusve necessario et insuperabili instinctu nos spoliare fere, vel eum invertere ac retorquere; atque adeo in bruta quaedam animalia, nullam ne notionem quidem, nedum curam felicitatis habentia, mutare conantur. Sed mala quoque omnia et miseriae brutorum omnium, si humanis conferantur, leves sunt et contemnendae.<sup>g)</sup>

Facessat ergo argumentum brutale, sive ex brutis petitum, quo tamquam summae rationis, praeter detortam scripturam, aut praeceptum, *non occides*, quidam triumphant, et aliis superbe insultant. RACHELIUS, Prof. Helmstad. [p. 126] in disputatione insulsa<sup>h)</sup> de αὐτοχειρίᾳ allaturus contra eam rationes ex sana ratione et lege naturae, scilicet natura, inquit, insevit omni animantium generi suaे vitae amorem, ac nullum praeter hominum genus, quod quantiscumque opprimatur malis, non adhuc quantum in se est, vitam tueatur, et refugiat mortem. Hic

1. Nihil rationis relucet, nec in auctore, nec in eius quasi ratione aut arguento, uti nec in bestiis earumque actibus et moribus, quos probat laudatque. Hae tamen bene recteque, quia convenienter naturae suaе, agunt: ille vero male, immo pessime, qui non contentus, ut videtur, solus esse similis bestiis, vult alias quoque omnes eis sibique similes.<sup>i)</sup> Itaque
2. Bestiae, si intelligerent, ipsae magistrum laudantem riderent, et si possent loqui, ipsae eum refutarent dicerentque, aliam esse suam, aliam hominum condicionem. Se carere ratione, ideoque non posse iudicare de vita et morte, utra sit melior, aut quandoque deterior: se humano modo nec vitam amare, nec mortem timere ac fugere: praesentibus tantum occupatas nescire, nec aestimare futura: dolores suos modicos plerumque, breves et tolerabiles: nullam sibi honestatis, nullam pudoris, decoris, famae et [p. 127] existimationis, nullam virtutis ac fortitudinis cuiusdam curam esse: omnia se agere impulsu quodam naturae suaе et rerum praesentium, non discernentes quid, quare et quomodo, bene an male agatur, et an non aliter et melius agi quaedam possent. Haud dubie si dederis brutis rationem aliquam et agendi libertatem; casusque et causas, ob quas fas esse dicimus vitam finire, integre proposueris: fatebuntur et ipsa mortem sibi magis quam vitam quandoque placere; neque hanc, alioquin brevem et incertam dignam esse, quae tot tantisque redimatur malis ac cruciatibus.<sup>k)</sup>
3. Adeo falsum est, cunctas animantes, idque semper, vitam omnibus rebus quasi praeferre, nihilque magis quam eam tueri, mortem refugere, ut nonnullae et nonnumquam [p. 128] sponte naturae in eam, tamquam petentes, praecipi impetu ruant. VOSSIUS de idol. 3. 60. observat Venereum amorem tantum esse plerisque quadrupedum, ut vertatur in furorem, et contemptum omnium malorum et periculorum vitae. Idem ibid. annotat, leaenas, tigrides, lynces, pantheras sic propugnare fetus, ut nulla vulnera extimescant. Et ex PLINIO tradit, asinae quoque tantam esse partus caritatem, ut per ignes ad fetus tendat. De mure albo Armenio notum est, quod refertur, malle hoc animal capi et mori, quam candorem suum maculari. Exempla etiam feruntur leonum, canum, aliorumque animalium, quae desiderio dominorum suorum inedia, aut aliter se extinxerint. De elephantis, qui mortem ignominiae praetulerunt, vide PLIN. I. 8. et LIPS. cent. I. ep. 50.
4. Nunc relicto tantisper magistro brutali, vel bruto, audiamus doctores vere rationales et humanos. CICERO 1. off. n. 105. pertinere, ait, ad omnem officii quaestionem, semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque bestiis antecedat. Et superius: Duplex, inquit, est vis animorum atque naturae: una pars in appetitu (hic nobis bestiisque communis complectitur utique amorem vitae) posita est — altera in ratione, quae docet et explanat quid faciendum fugiendumque sit. Ita fit, ut ratio praesit, appetitus vero obtemperet. Et mox: Efficiendum est, ut appetitus rationi oboediant, eamque nec praecurrant, nec propter pigritiam aut ignaviam deferant: sintque tranquilli et absque omni perturbatione animi. Iam vero constat (1) amorem vitae praecurrere rationem.<sup>l)</sup> [p. 129] (2) Instante quacumque necessitate moriendi, plerumque rationem ab amore illo propter ignaviam deserit. <sup>m)</sup> (3) In tali necessitate nullum affectum esse turbulentiorem: immo hunc esse fontem omnium

iliarum perturbationum animi, tunc praesertim concitatarum.<sup>mf</sup> Itaque adversariorum aliqui existimant et dictitant, neminem, quamvis ratio suadeat, et necessitas cogat,<sup>of</sup> posse sponte mori, sine ingenti animi tumultu, ac velut rebellione.

Rursus CICERO T. Q. 2. n .47.

In animis omnium est natura molle quiddam, demissum et humile. Si nihil esset aliud, quid esset homine deformius? Sed praesto est domina et regina ratio.

SENECA 2. de benef. c. 18.

Omne, ait, honestum in arduo est, etiam quod vicinum honesto est. Non enim tantum fieri debet, sed ratione fieri. Hac duce per totam vitam eundum est, minima maximaque huius consilio gerenda sunt.

An negaveris? An id dixeris de amore vitae, qui sit insitus omni animantium generi?

[p. 130] 5. Quam multa ab hominibus recte, prudenter, iuste, fortiter, summa cum omnium laude fiunt factaque sunt, quae a bestiarum ingenii, impetibus ac moribus penitus abhorrent, iisque adversantur?<sup>pf</sup> Laudatur dictum et factum Gobriae illius, qui magum, regni Persici invasorem, medium amplexus, cunctantibus sociis, vel per suum corpus adigi ferrum iussit. <sup>qf</sup> Laudatur Zopyrus, qui se verberibus lacerari toto corpore; nafum, aures et labia sibi praecidi. <sup>rf</sup> Laudatur Leonidas et CCC. illi Lacedaemonii [p. 131], qui pugnantes, sine ulla spe salutis et victoriae, mori, quam loco sibi assignato cedere maluerunt. <sup>sf</sup> Laudatur Mucius, qui dextram suam a caede Porsenae aberrantem igni iniecit. <sup>tf</sup> Laudatur Zeno Eleates, qui pro libertate [p. 132] alienigenarum crudelitati et tormentis Phalaridis se subiecit. <sup>vf</sup> Adde innumera alia fortitudinis, patientiae, iustitiae, abstinentiae, amoris erga patriam, amicitiae constantis et fidelis, omnium denique virtutum exempla, praesertim illustriora: quibus, si ex bestiis iudices, nihil erit humanae naturae ac rationi repugnantius. <sup>mf</sup> Immo mera haec erunt monstra et portenta. Adde quoque tot cruenta bella; quibus, si denuo ad bestias provokes, easque rationis ac iuris naturae regulas aut notas facias, nihil erit sceleratus. <sup>xf</sup> Stupendum autem fuerit, licere, ex iustis saltem et necessariis caussis, publicas, violentas, et, ut saepius, inhumanas tot hominum, etiam innocentissimorum, caedes: non licere vero ex iisdem, aut iustioribus etiam ac magis necessariis causis, privatim, sponte, et quantum fieri potest, facile leniterque mori. Quae ratio, quae pecudes [p. 133], quae ferae bestiae has tulerunt, vel neverunt leges? Observat CICERO, vel auctor consolationis ei adscriptae, et ait, hoc divinitus hominibus datum esse, ut quoties molesti aliquid experiantur, tum mortem exoptent, ac votis et iam conceptis saepe implorent.

Mox dicit, id homini a natura insitum esse. Itaque dolore perculti mortem imploramus, eamque unam, ut miseriarum malorumque terminum exoptamus. An vero quia pecudes et bestiae non faciunt, nec facere possunt: et, ut mox sequetur, quia aut nocentes, aut innocentes sunt, qui id exoptant: item, ut inferius, quia fortiusvidetur, non exoptare: ideo hominibus cunctis nefas est, nec ulli licet? <sup>yf</sup>

Nunc ad RACHELIUM reversi, audiamus eum verba, sine ratione, tamquam pro ea, facientem. Aliunde, inquit, quae generatim saevire adversus innocentem, nihilque de [p. 134] nobis male meritum, ratio prohibet; eadem profecto prohibet maxime adversus se ipsum, a quo est numquam odium, sed potius amorem, et plerumque nimium, expertus.

Hic dices, loqui etiam deliram anum illam, quae se in speculo intuita, secum tamquam cum alia et aliena, vel gemina loquebatur. Quis hic innocens ille? Quis bene de nobis meritus? Quis a quo numquam odium, sed amorem, eumque nimium, experti sumus? Quis ille denique, qui saevit? Omnes quasi illi sunt unus idemque homo, qui pro varietate rerum et sortis humanae varie se utitur, aut corpus suum tractat, illudque nunc inedia saltem, nunc laboribus, nunc remediis durioribus afflit: non odio et saevitia stimulatus, sed amore, benevolentia et misericordia, aut commiseratione sui: certe, quia nunc ita expedire sibi iudicat. Ita medicus quoque interdicit aliquando cibis, ferit venam, membris sauciis manus affert, et ferrum, et ignem medicinae loco admovet. Adeo vero omnis et summa saevitia morte infligenda non exercetur, ut magnae misericordiae, aut clementiae genus quandoque fuerit, sine lentis cruciatibus occidi. Ille apud SEN. in excerpt. controv. I. 8. contr. 4. ait:

Non magis crudeles sunt, qui volentes vivere occidunt, quam qui mori volentes non sinunt.

CICERO, defendens Roscium Amer. nugasque accusatoris Erucii detegens et explodens, quod benevolentia, inquit, fit, id odio factum criminaris. —— Neque haec tu non intelligis: sed usque eo quod arguas non habes, ut non modo tibi contra nos dicendum putas, verum etiam contra rerum naturam, contra consuetudinem hominum, contraque opiniones omnium. <sup>zf)</sup>

[p. 135] Iam facessat quoque hoc aliorum dilemma: aut in nocens est, qui se occidit, aut nocens. Acute. Sed dic etiam militibus pugnaturis: aut innocentis, aut nocentes sunt, [p. 136] qui occidentur, et occident. Dic etiam perituro, nisi iacturam faciat: aut innocens est, cui ingens fortasse damnum infertur, aut nocens. Dic etiam cuicumque durius, immo crudelius corpus suum tractanti (exempla, etiam sanctorum, infra adducemus) vel noxias corporis partes resecanti, aut resecandas praebenti: aut innocens est, qui ita tractat et mutilat corpus suum, aut nocens: et respondebit fortassis hoc dilemmate, aut sapiens vel prudens est, qui id quaerit, aut insipiens. Huic nihil est respondendum: in illum [p. 137] tanta stultitia cadere nequit. <sup>ag)</sup> Non enim coram quaesitoribus rerum capitalium nunc agitur de innocentia vel noxa: <sup>bg)</sup> neque quaeritur de officio quodam absoluto et ordinario in rebus integris: sed id praeter alia, ut ex quaestionibus supra positis liquet, quaeritur, quid, summa et ineluctabili necessitate cogente, faciendum sit, ad evitanda extrema et intolerabilia mala. Haec utriusque, et nocenti, et innocentis vitare, per naturam et rationem licet; idque, si aliter nequant, more voluntaria. <sup>cg)</sup> EPICTETUS l. 2. c. 10. [p. 138] observat, et ex intima conscientia sui cuique notum est, ὅτι γεγόναμεν τῶν πρὸς ἐκλογὴν εὑφυεσθέρων ἔχεσθαι.

Idem l. 1. c. 27. Hac, inquit, natura est homo, ut non necesse sit pati se spoliari bono, pati se obnoxium vivere malo.

Haec est natura, quam DIOGENES dixit se opponere legibus, nedum syllogismis et dilemmatis, a re, loco et tempore alienis. Paucis, in necessitate quaeritur, et quaerendum est, quid nunc liceat, et quid rationi, imbecillitati humanae, et exemplis bonorum virorum consentaneum sit facere; non quid solitus iustitiae, aliasve virtutis rigor exigat. Repete, quod incident tempora, cum ea, quae maxime sunt iusto bonoque viro digna, commutantur, et fiunt contraria. <sup>dg)</sup>

*IV. [p. 139–142]*

Ordo, veritas, ratio, lex naturae, omnisque sapientia et virtus primum ac praecipue posita est in iudiciis rectis, veris, naturae rerum consentientibus, et immotis. Inde pendet recta cuiusque rei aestimatio, dignitatem et pretium verum, ac naturale complexa. Inde motus, impetus, et affectus cuique rei congruentes. Inde denique actiones. Videamus nunc, quae sit corporis nostri vitaeque eius dignitas, quodve pretium verum et intrinsecum, quod dicitur, quodque, ut omnium aliarum rerum, ipsi naturae, aut constitutioni ac conditioni naturali corporis humani innititur, et velut inhaeret. VALLESIUS sacrae phil. c. 45. in verba Iobi: memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me etc.

Homo, inquit, a principio factus est secundum corpoream molem, ex terra et aqua commixtis, uti sit lutum, atque adeo ex limo terrae — — atque inde fluimus omnes, illamque naturam nobiscum deferimus. — — Nunc vero quilibet nostrum a parentum genitalibus emulgetur in semine, sicut lac, et in utero coagulatur, sicut caseus.

Theodorus Gadareus Tiberium dixit esse πηλὸν αἴματι πεφυρόμενον.

Idem de omnibus verum. Itaque dixeris, quemque nostrum, quoad corpus et vitam corp. nihil esse nisi lutum, ut sic loquar, organizatum et sanguine permixtum, maceratum ac subactum.

ANTONINUS imp. 6. 15. dicit, vitam [p. 140] nostram nihil esse, nisi vaporem sanguinis, et reciprocationem aeris.

Congruit fere istud apostoli Iacobi:

Quae est vita vestra? Vapor ad modicum parens, et deinceps exterminabitur.<sup>ss</sup>

Aristoteli apud STOB. homo est temporis spolium, fortunae lusus, inconstantiae imago.

SEN. ad Marc. c. 11.

Quid est homo? Quodlibet quassum et fragile vas.

Vide ibi plura.

PLUTARCHUS consol. ad Apoll. beatum esse, ait, liberari a servitute carnis, et affectionibus eam comitantibus, quae mentem occupant, et stultitia replent. Supra laudat PINDARUM, qui somnum umbrae dixit hominem esse. Laudat quoque hoc Homeri:

Nil ortus noster foliorum distat ab ortu.<sup>tt</sup>

Inde PYRRHO dixit, inter vitam et mortem nihil interesse. Certe nihil, nisi modicum incertumque temporis spatium. Eiusmodi sunt sapientum de corpore et vita hominis iudicia. Inde patet, quanti vita aestimanda, et quo usque ac quantopere amanda.

SENECA ep. 3. ait, eos praepostere officia permiscere, qui contra praecepta Theophrasti, cum amaverint, iudicant; et non amant, cum iudicaverint.

Idem ep. 90. ante finem, ubi quid sapiens investigaverit, et in lucem protraxerit: vetuit, inquit, parere opinionibus falsis, et quanti quidque esset, vera aestimatione perpendit. Ep. 95. ostendit, non actionem, non voluntatem, non habitum animi rectum fore, nisi quid de quoque iudicandum sit exegeris, et res ad verum redegeris. <sup>eg</sup>

[p. 141] Sed fortassis Deus hic aliter iudicat. Stupendum vero fuerit, si Deus aliter de rebus iudicaret, quam eae in se sunt, et ipse eas fecit, factasque regit et gubernat. Sed non iudicat aliter, nec utique iudicare potest. Profecto scriptura passim iisdem comparationibus utitur, quibus exteri. Comparat enim hominem rebus vilissimis et infirmissimis: flori, gramini, faeno, umbrae, vanitati, et nihilo demum

<sup>ss</sup> Jc 4, 14: [...] ποίᾳ ἡ ζωὴ ὑμῶν— ἀτμὶς γάρ ἔστε ἡ πρὸς ὄλιγον φαινομένη, ἔπειτα καὶ ἀφανιζομένη—

<sup>tt</sup> Hom. Il. 6, 146 ed. West: οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.

ipsi. Certum etiam est, hominem subiacere, idque per ipsam Die providentiam, omnibus, quas attigimus, aliisque compluribus miseris ac tormentis vitae. Certum est, esse mille animi labes ac pericula: idque propter corpus et miserrimam eius vitam.<sup>fg)</sup>

Ex dictis manifeste consequitur et liquet,

1. Vile admodum esse ex se corporis vitaeque corporeae pretium.<sup>gg)</sup>

[p. 142] 2. Quemadmodum alia omnia, quae non propter se, sed propter alia sunt, ideoque ex usu dumtaxat quem praestant, aestimantur, et ob illum conservantur: ideoque, si nullum ultra usum sui praestant, ac multo magis, si noxia et damnosa fiunt, abiciuntur, destruuntur, proculcantur: ita corpus etiam humanum utique, alias quoque et ex se brevi dilapsurum, et futurum, ac si non fuisset umquam.  
<sup>hg)</sup> Ubi nunc tot corpora humana, quae olim et paulo ante fuerunt? Quid illis factum?<sup>ig)</sup>

Bene Sulla apud SALLUST. monitus, ut, adveniente contra paucos magna multitudine hostium, fugeret aut retrocederet, ~~etiam si~~, inquit, certa pestis adesset, mansurum potius, quam proditis quos ducebat, turpi fuga incertae, ac forsitan paulo post morbo interiturae vitae parceret.<sup>kg)</sup>

Bene etiam PALINGENIUS:

Non vinum, ut vinum appetitur, sed tale bonumque:  
Sic vita, ut vita est, nihil est, nisi sit bona: quod si  
Et misera, ut vinum corruptum, despiciatur.<sup>lg)</sup>

**V. [p. 143–156]**

Varie quidem de anima, vita, fine scopoque vitae, sive summo bono hominis, senserunt philosophi: ex quavis autem sententia, utcumque iis suffulta argumentis, quae philosophiae adeo sunt propria et necessaria, ut sine illis nulla sit scientia, nullus usus rationis; sed iis exclusis in praedam, velut dubitationis aut credulitatis dati simus, hinc Pyrrhonis s. scepticis, inde opinatoribus quibusvis, ariolis, [p. 144] vatibus, enthusiastis, demum venditantibus divinas revelationes, easque sicut voluerint interpretantibus, atque, ut incussa superstitione, omni autem iudicandi facultate excussa, tanto magis terrent, territosque urgeant, aeternas audacter denuntiantibus poenas, nisi sibi prompte et sine exceptione credatur: ex quavis, inquam, sententia φαίνομένοις, quae vocantur, experientia eorum, quae per naturam rerum constanter fiunt, nexibus effectuum, et causarum hic utcumque suffulta, solide probatur, fas esse, ex iustis et necessariis causis, vitam sponte dimittere. <sup>mg)</sup>

De anima sententiarum praecipuae sunt hae fere. Vel enim gemina est in homine anima, aut quomodocumque vocaveris alterum illud motionum actionumque naturalium, et animalium principium in homine, quod in aliis animae vegetativae ac sensitivae nomine afficitur: vel una tantum est anima, eaque aut simplex, aut composita. Si simplex: aut est substantia sua corporea, sed accidentibus, vel proprietatibus: subtilitate, invisibilitate, et pro habitu corporis, ingenii et auxiliorum extermorum, mira in aliquibus capacitate, agilitate, sagacitate, agendique virtute: spiritualis, vel spiritibus similis; atque adeo natura quaedam singularis, ab omnium aliorum corporum ac corpusculorum; nobis notorum, naturis recedens, atque illis longe superior et excellentior. Aut est tota etiam substantia sua spiritualis, attamen ex corpore eiusque organis et facultatibus pendens, illisque indigens, tamquam instrumentis [p. 145] saltem, ut dicunt: sine quibus, praesertim ab initio ante acquisitam per sensus, institutionem alienam, et experientiam propriam, rerum necessariarum, in primis boni malique cognitionem, nihil se et homine dignum cogitare agereque possit, nec per eam homo; sed est instar pecudis, autea etiam deterior ac miserior. Itaque etiam omni hoc tempore dicitur homo carere usu saltem rationis: quo postea quoque identidem privatur per somnum, morbos quosdam, deliria, furores, affectus vehementiores, aliaque. Si anima est composita: est etiam corporea partim, partim spiritualis, partim rationalis, partim irrationalis. Rursus si iuxta priorem sententiam anima est corporea: vel est mortalis, atque cum corpore, cui indita fuit, exstinguitur; vel est quidem natura sua mortalis, sed voluntate, decreto, cura et providentia Dei erga eam singulari, immortalis, aut corpori saltem, quamdiu Deo placuerit, et ad poenas ac praemia dispensanda aequum visum fuerit, superstes. Si anima iuxta alteram sententiam est spiritualis, videtur quidem, si ex voce iudicaveris, esse natura immortalis: nihilo minus cum sit spiritus etiam singularis, una cum corpore creatus, et ex eo, quacumque demum ratione, pendens: sin minus, quoad substantiam vel subsistentiam, ast quoad operationes, vel actus, sine quibus substantia spiritualis nihili aestimatur, et est ac si non esset: cum sit, inquam, talis spiritus, et spiritus vel substantia, ut aiunt, incompleta; nec videtur ipse a corpore separatus posse ex propriis naturae sua viribus, sine aliqua Dei cura et providentia peculiari ita conservari ac permanere, ut actus suos, etiam pure spirituales, quos vocant, quosque numquam (quod certo scitur; nec spiritualistae hos actus, uti nec aliud quicquam, nisi beneficiis et ope [p. 146] phantasmatum probant) in corpore exercuit, prompte expedire possit. Quod si anima sit composita, sequitur utique naturam et sortem simplicium. Ex omnibus vero et singulis his sententiis magis minusve elucet singularis animae, iam ratione, scientia ac virtute instructae, dignitas et praestantia: cuius comparatione corpus est res vilis, atque dumtaxat instrumentum aliquod; idque saepe ineptum et inutile: saepe etiam impedimentum, pondus, vinculum et tormentum. <sup>ng)</sup>

Porro constat nunc, ex peritissimorum medicorum et philosophorum sententia, vitam, sanitatem corporis, vigorem omnem sensuum ac membrorum non proficiendi et pendere ab anima, saltem spirituali ac rationali, eiusque cum corpore unione, vel coniunctione, nec per hanc conservari; nec proinde in hac consistere: sed posita corporis et organorum necessariorum compage, vel conformatio, ut dicitur, in solo sanguinis temperate calidi, ac spirituosi motu. GLISSONIUS de ventr. c. 20. curriculum vitae vocat omnes actus vitalis sanguinis, decurrentis per auriculas et ventriculos

cordis, per arterias et habitum partium, donec in venas capillares, ut reficiatur, restituatur. Quinque potissimum actus tales enumerat, qui apud ipsum videantur. Sane constat, sanguine vel deficiente et exhausto, vel [p. 147] enormiter mutato ac corrupto, vel motu eius interrupto et impedito, mori hominem ac quodcumque animal. Itaque in universum eodem modo, iisdemque ex causis moriuntur, et definunt vivere, uti quoque in utero ex semine formantur, incipiunt vivere, et nascuntur homines aliaeque animantes.<sup>og)</sup>

Denique, ut de summo bono et fine vitae, homini proposito, paucis dicam, id quidem convenit inter omnes, bonum et finem illum non esse vitam ipsam, modo explicatam: quam proinde rebus omnibus praeferre, ad eamque cuncta referre; certe stupra, adulteria, tormenta, et crudelissima quaeque potius perferre oporteat, quam ultro eam dimittere: sed esse vel rationem perfectam, sive sapientiam et virtutem, iuxta Socratem, Platonem, et Stoicos omnes: vel vacuitatem doloris, aut voluptatem, sive corporis, sive animi, sive utriusque, iuxta Cyrenaicos, Epicureos, et alias: vel, quod idem fere, confluxum et cumulum trium bonorum, animi, corporis et fortunae, iuxta Aristotelicos.<sup>pg)</sup>

[p. 148] Iam vero quamcumque excerpseris sententiam, vel de anima, et vita, vel de summo bono, et fine vitae, ea mors, de qua loquimur, illi congruit. <sup>qg)</sup> Quod si anima sit corporea et mortalis; demens utique est, qui imminente morte acerba ac probrosa non occupat facilem et decoram. <sup>rg)</sup> Si vero anima sit quamcumque ratione spiritualis et immortalis; nulla inde oritur, et appareat necessitas, illam potius cum longis tormentis, quam hanc leniorem ac breviorem eligendi mortem: nulla necessitas patiendi se constuprari prius, et deinde trucidari, quam sponte ante stupri, adulterii, aliasve flagitii labem sua manu operave mori. <sup>sg)</sup> Profecto mala, absurda, ridicula est talis argumenti conclusio: anima est immortalis: ergo dedecora et tormenta quaevis [p. 149] potius sunt ferenda, quam sponte moriendum. **Immo** contrario potius modo, cum Demosthene apud LUCIANUM in encom. Demosth. est concludendum. Cleombrotus autem, cum nihil ei accidisset adversi, e muro se in mare abiecit, lecto PLATONIS libro de immortalitate animae.<sup>tg)</sup>

Porro cuivis etiam sententiae de summo bono et fine, vel ultimo proposito totius vitae convenit, **immo** necessario cohaeret εὐλογος ἔξαγωγή. <sup>vg)</sup> Illa apud PLAUTUM in Persa ait:

Certe is quidem nihili est, qui nihil amat: quid ei homini opus vita est?

Rectius meliusque dixeris: certe is quidem nihili est, qui meliore parte sui amplius uti nequit: cui nihil superest, nisi delirare, furere, pati, cruciari, alienae libidini ac saevitiae [p. 150] seruire. Quid ei homini opus vita est? <sup>xg)</sup> Quid, inquam, ei vita opus est, si summum bonum et finem vitae proposuit sibi vacuitatem doloris, et voluptatem corporis animique? <sup>yg)</sup> Quid ei vita opus est, si felicitatem ex omnibus aut plerisque ac maximis bonis animi, corporis et fortunae conflatam, statuit sibi summum bonum, et votorum, consiliorum actionumque totius vitae scopum? <sup>zg)</sup> Quid ei vita opus est, si unice sibi vivendum iudicet, ut animum, rationem, sapientiam ac virtutem, quantum potest et res sinunt, perficiat?<sup>ah)</sup>

CICERO cum toto l. 5. T. Q. Demonstrasset [p. 151] virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam, sub finem ait:

Congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus: prematur etiam doloribus acerrimis corporis, qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem: deinde sin forte longinquitate producti, vehementius tamen torquent, quam ut causa sit, cur serantur: quid est tandem, dii boni, quod laboremus? Portus enim praesto est, quoniam mors ibidem est.

Paulo post:

Iniurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas.

Taurus apud GELLUM 12. 5.

Nihil sane, inquit, potest cogi vir sapiens, cum est rationis obtainendae locus. Cum vero natura cogitur, ratio quoque a natura data cogitur.

In universum SENECA ep. 71. quomodo consilium inveniatur, ostendens,  
quoties, ait, quid fugiendum sit, aut quid petendum, voles scire: ad summum bonum et propositum  
totius vitae respice. Illi enim consentire debet, quid agimus. Non disponet singula, nisi cui iam  
vitae sua summa proposita est.

Et ep. 95.

Proponamus oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque  
respiciat: veluti navigantibus ad aliquod fidus dirigendus est cursus.

Alibi dicit, nihil nos libere velle, nihil absolute, nihil semper; sed fluctuare inter varia consilia, et  
ambigua casuum, atque ideo casu etiam vivere. Lib. de v. b. init. ait, plerosque non ad rationem, sed  
opinionem et similitudinem vivere: immo pecorum ritu sequi antecedentium gregem, pergentes non  
qua eundum est, sed qua itur.<sup>bh)</sup>

[p. 152] Nunc obiter respiciamus stationem illam, de qua supra, et fateamur, nos a Deo, tamquam ab  
imperatore milites, in statione positos: utique vero, ut aliquid Deo et nobis dignum cogitemus et  
agamus: non ut stupra, contumelias et cruciatus hostium patiamur: non ut oblongas et insanabiles  
morbos perpetuo corpore et animo langueamus: non ut ob senectutem aliave incommoda deliremus.  
Quod si vero talia contingent, adeoque consilio, proposito et fine, ob quem a Deo in statione positi  
sumus, frustremur; quid vita denuo nobis opus est? Cur non liceret, tamquam cognita per rationem Dei  
voluntate, tamquam a Deo iussis et revocatis, e statione et vita discedere? An Deus aequitate, ratione et  
sapientia caret? Vel an iuxta eam non decernit, iubet, agit; sed temere et velut pro libidine, sine ullo  
fine usque, sine ullo sui hominumque respectu?<sup>dh)</sup> Monent iuris periti, et illud, inquiunt, quod per  
leges alicui iniungitur [p. 153], debet non solum intra vires esse illius, cui leges feruntur, sedet  
utilitatem aliquam afferre, sive illi ipsi, sive aliis. Nam uti sub comminatione poenae aliquid exigere  
velle ab aliquo, quod est supra ipsius vires, absurdum et crudele fuerit: ita supervacuum est, naturalem  
voluntatis libertatem constringere, si nulla in quemquam utilitas inde proveniat. Quae vero utilitas vel  
nostra, vel aliorum ex iis, quae toties significavimus, ex stupris, deliriis, furoribus, et aliis eiusmodi,  
eorumque patientia? Quae inde gloria Dei? Utrum vero ea honeste fortiterque perferre sit infra, an  
supra plerorumque hominum vires, experientia cum primis et innumera docent exempla. Rara et  
singularis aliquorum paucorum virtus nihil in universum probat: non magis, quam si dicas, Hercules,  
Theseus, alii quidam, tot tantaque fecerunt, et passi sunt: ergo possunt etiam omnes eadem facere et  
pati, si velint. Sed ne Hercules quidem turpia et se indigna passus fuisse; nec longam famem  
ceterasque pestes vincere potuisset, nisi moriendo.<sup>dh)</sup>

[p. 154] Ceterum ex dictis evidentissime appetet, philosophos omnes, quemque iuxta suam de anima  
et vita beata sententiam consensisse, ac consentire debuisse, in eam mortem voluntariam, quam  
probamus: adeoque vel stolide, vel impudenter mentiri adversarios, dum eam Stoicis solis, aut paucis  
dumtaxat aliis, propriam fuisse dicunt. Quod si demus etiam, aliquos quandoque dissensisse; inde nihil  
aliud sequitur, quam eos vix philosophos fuisse, et eo nomine hic dignos: quippe leves, inconstantes,  
decretorum suorum principalium oblitos, vel quid ex quo sequatur, non satis videntes, demum sibi  
turpiter repugnantes. TULLIUS ait: acute disputantis illud est, non quid quisque dicat, sed quid cuique  
dicendum sit, videre. Itaque merito ridet Thrasonicum illud Epicuri, dicentis, sapientem etiam in  
Phalaridis tauro exclamaturum: Quam suave est hoc! Quam nihil curo!<sup>eh)</sup> Praeterea nemo, saltem  
paulo prudentior [p. 155], agit nisi ob aliquem finem: ad generalem vero et ultimum finem necesse est  
alios demum omnes particulares referri: id est, ad felicitatem aliquam, vel Epicuream, vel  
Aristotelicam, vel Socraticam et Stoicam.<sup>fh)</sup> Neque ullus etiam fere omnium hominum alium finem, ut  
ita dicam [p. 156], realem et separatum (ne illi quidem, qui gloriam Die nominant: quae praeterea nihil  
certi definit, et saepe in contrarium abducit, praesertim superstitiones; et quoscumque ingenio quidem  
iudicioque debiles, sed animo saepe furiosos) sibi propositum habuisse, aliamve felicitatem quae  
sivisse videtur. Quod si autem, qui habuerint et quaeasierint, vel etiam num habeant et querant: cum  
singularibus imbuti opinionibus, a communibus decretis, immo a ratione naturaque ipsa communi,  
quacumque demum ex causa, recesserint; videant ipsi, quid sibi solis sit agendum, et ad finem  
felicitatemque suam consequendam agere expediat. Ad alios non pertinet, qui rationem et naturam, ut

dixi, communem secuti, omnes dum vivunt, beate quantum fieri potest, aut quam minimum misere vivere volunt, modo aliquo ex prioribus significato, aut non multum diverso. Profecto, ut placeat et conveniat omnibus ea mors omnis, quam adversarii obtrudunt, quantumvis crudelis et probrosa, potius quam voluntaria, alia nobis opus est ratione, alia natura. Per hanc quam habemus, non potest in universum: salvo qualicunque amore nostri, salva prudentia et cautione, salva fortitudine et patientia, prudentiae coniuncta ac consentiente; salva quandoque pietate, modestia et verecundia; denique salva cura aliqua respectuque felicitatis homini convenientis, atque fuga malorum vel turpium, vel homini percessuro intolerabilium. Cuique in talibus suus animus, suaequae vires expendenda, nec iis maiora exempla temere, stolide, ideoque et plerumque infeliciter sunt imitanda. Contra famem autem, deliria, furores, stupra, nulla valet animi virtus, nulla fortitudo. <sup>gh</sup>

[p. 157]

#### VI. [p. 157–164]

Supra attigi validissimam fere rationem, quae ducitur ex natura beneficiorum. Haec nomine rerum ipsarum, quae dantur et datae sunt, intellecta, ut vulgo solent, cum desinunt esse id, quod dicuntur, dum fiunt inutilia, [p. 158] et magis dum nocent et perdunt; maxime vero dum perpetuas, ingentes et intolerabiles molestias ac dolores inferunt, aut salva integraque virtute vix retineri possunt: absurdum utique est putare, quidquid tale fuerit, tum quoque beneficium esse; ac crudele ad retinendum cogere, vel severe iubere, ut sponte retineas, dum excutere et abicere potes. Multi tyranni saepe torserunt homines variis modis: sed neminem scio, qui voluit tormenta sua putari beneficia, ac sibi ideo gratias agi: neminem, qui reicta libertate et facultate tormentis sese liberandi, voluit quemquam, contra quam natura et ratio patitur, sponte in illis iacere. Eiusmodi autem tyrannum, unum et solum Deum re ipsa faciunt, qui quamcumque vitam et vitae tormenta, ac virtutis amittendae, aut sceleris cuiusdam perpetrandi patiendique pericula contendunt esse, quantum a nobis umquam fieri potest, ultro extendenda. Quo ipso id, quod homini dedit optimum Deus in tantis, ait PLINIUS, vitae poenis mortem sibi consiscere, eripiunt; immo beneficium quoque ipsum in maleficium vertunt; sane quidquid boni etiam, sive utilitatis suavitatisque habet vita, admunt. Est utique vita, ex commodis et voluptatibus suis spectata, aliquod saltem beneficium; sed commune cunctis etiam vilissimis animantibus ac vermiculis, immo arboribus quodammodo, fruticibus et herbis: est, inquam, vita aliquod beneficium, praesertim, si SENECAE sensu capias beneficium, ut sit benevolia actio, tribuens gaudium, capiensque tribuendo. Quod si vero cogimur vitam quoque miserrimam, nobisque perniciosissimam retinere; manifeste tollitur omnis beneficii vitae ratio, sublata actione illa benevolia, tribuente gaudium. Quod enim talis vitae gaudium? Ne hostibus quidem suis [p. 159] quisquam tristius aliquid imprecetur. Porro puta, te dare pecuniam pauperi; sed ea lege, ut custodiat et retineat semper cum quantumcumque damno et periculo, pernicie quoque et cruciatu: dicesne te illi beneficium dedisse, illumque a te accepisse? Sed fuerit aliquod beneficium: ast quanto maius et illustrius, tibi danti honorificentius, illi accipienti gratius ac dulcius, si dederis ita, ut is pecunia utatur, quamdui fuerit ei utilis: si vero damnosa, eam reddat, vel abiciat. Hoc demum vere vocaveris beneficium, cum alterum illud, si quod sit, multa quoque sit malevolentia, ne dicam, crudelitate mixtum ac corruptum, praesertim si praevideris. Idem cogita dedomicilio Lactantiano, de quo supra. <sup>hh</sup>

[p. 160] Ceterum video magnam esse quaestionem, mors an vita, etiam sine ultimis gravissimisque miseriis, atque cum levioribus tantum, communibus et ordinariis, ac cotidianis fere malis spectata, sit praferenda. Utraque pars suos habet patronos et rationes: sed mors vincere videtur, omnium paene sapientum, vitaeque tam bona quam mala expertorum calculis et suffragiis, saepe aliorum, immo plerorumque mortalium votis probata. <sup>ih</sup> Mittamus licet exteros [p. 161]: poetas, oratores, scriptores, philosophos: qui infinita pro maiore mortis, quam vitae bono dixerunt. Memorabile est cum primis, quod de Hegesia, qui inde Peisithanatos cognominatus, refertur: eum sic mala vitae repreaesentasse, ut eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariae mortis oppetendae cupiditatem ingeneraverit: <sup>kh</sup>

Memorabilis quoque est Artabani apud HERODOTUM oratio, quam consolationi suae inseruit CICERO, vel eius nomine alias.

Certe, inquit, in re sua, quae praesertim sensu percipiatur, nemo fallitur, quod comprobare possum Artabani, Xerxis patrui, viri sapientissimi, testimonio. — — Tam multa sunt, tamque misera, quae viventes perferunt, ut nemo sit, quin mori saepissime cupiat: cum incidentes calamitates et morbi vitam adeo perturbent sollicitamque habeant, ut longissima videatur.

Itaque mortem perfugium esse vitae aerumnosae, dubitare nemo potest. Nec his contentus, addidit etiam illud:

Deos immortales, cum hominum vitam, quae adeo misera sit, multis bonorum integumentis velarunt et operuerunt, fecisse [p. 162] quodammodo inadvertius, ne mortis suavitatem, quanta est, omni ex parte degustaremus.

Nulla quidem hic invidia, aliaque velut culpa Deorum immortalium, non magis quam in illis de quibus queruntur aliqui, apud SEN. 2. de benef. c. 29. quod dotibus nonnullis vincantur homines ab animantibus: sed haec est condicio naturalis hominum, ignoratio rerum, ingenii iudiciique imbecillitas, insitus amor vitae, aversatio mortis, spes, licet fallax plerumque, meliorum. Porro CICERO I. alleg. statim post initium observat et ostendit, magnas cum animi, tum corporis miserias pervagari omnes aetates, omnesque status vitae. Aliis missis, una cum communi illa continuaque opinionum et affectuum perversitate, en ea, quae de infimo hominum genere, quod maximam partem mortalium comprehendit, commentatur. Hoc, ut nomine abiectissimum, sic re quoque omnibus calamitatibus atque angoribus est propositum. Huic inopia, fames, contumeliae, iniuriae, tributorum solutio, militiae incommoda, misera denique omnia preferenda sunt: eoque miserius est, quod ceteris omnibus cum adversa fortuna premuntur, permulta tamen suppeditunt, e quibus consolationem dolorisque levationem petunt. At infimam plebem natura ipsa fatali quadam necessitate tam abiecto, tamque immo loco collocavit, ut omnibus aerumnis subiecta nulla propemodum ratione erigi, aut sublevari possit. Post pauca observat etiam, malorum quoque paucorum sensum, vel doctissimis hominibus iudicantibus, ita acerbum esse, ut bonis vel plurimis et maximis aequetur, interdum etiam paeferatur.

Sed hos, exteros, et haec mittamus: ipsi doctores Christiani et scriptores sacri saepe disertis verbis mortem [p. 163] magis quam vitam laudant; alias ea de vita dicunt, ut subtracta praesertim facultate sponte ac tempestive moriendi, qualecumque et quantumcumque fuerit vitae beneficium, a longe pluribus gravioribusque vincatur et obruatur malis. AUGUSTINUS ipse toties et tam facunde deplorat huius vitae calamitates, ut quemcumque eius acceptae paenitere necesse sit. Ait enim:  
Tota vita ista intelligentibus tribulatio est. Sunt enim duo tortores animae, non simul torquentes, sed cruciatu alternantes. Horum tortorum nomina sunt, Timor et Dolor. Quando tibi bene est, times; quando male, doles.

Idem in medit. c. 21.

Vita haec, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, plena miseriis et erroribus: quae non est vita dicenda, sed mors. — — Mors ista vitalis et vita mortal is, licet his aliisque sit respersa amaritudinibuse proh dolor! quam plurimos suis capit illecebris.

S. CHRYSOST. hom. 39. in Matth.

Mori, inquit, melius quam vivere censeo. A procellis enim atque periculis per mortem liberamur: vita vero et laborum cumulos exaggeral, et peccatorum plurimorum reos facit, et insidiis cotidie implicat, quibus efficitur, ut mori melius quam vivere mihi videatur.

Adde eccles. c. 4.

Verti me ad alia, et vidi calumnias — — et lacrimas innocentium, et neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiae cunctorum auxilio destitutos. Et laudavi magis mortuos quam viventes: et feliciorem utrisque iudicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala, quae sub sole fiunt.<sup>uu</sup>

<sup>uu</sup> Biblia Sacra Vulgata, liber Ecclesiastes (Prediger/Kohelet) 4, 1–3.

Inde factum, ut aliqui etiam sanctorum et Deo probatorum virorum maledixerint diei, quo nati fuerant: Iob cum primis toto c. 3. et Ieremias c. 20. Ipse quoque apostolus testatur, se cupisse dissolvi et corpore liberari; atque id sibi melius esse. Itaque

[p. 164] O numquam laudata satis mors, optima rerum!

Lex et communis, clipeus, victoria, votum,

Pax, requies, portus, libertas, vita, salusque. <sup>lh)</sup>

### VII. [p. 164–166]

Eadem et cuncta fere, quae contra mortem voluntariam, possunt etiam afferri contra inculpatam, quae dicitur, tutelam, vel defensionem vitae, pudicitiae, rerumque suarum, saltem vitae conservandae necessariarum, cum nece insidiatoris, hostis, latronis, raptoris. Nam ex scriptura, AUGUSTINO, et asseclis obduxeris: non occides: diliges proximum sicut te ipsum: debemus animam ponere pro fratribus: noli resistere malo: ei, qui vult tunicam tuam tollere, dimitte et pallium: non vosmet ipsis defendite, sed id ei relinquere, qui dixit, mihi vindicta, et ego retribuam: Deus solus est dominus vitae: qui ergo eam aufert, arripit et violat ius divinum, adeoque committit exsecrabilis scelus. Christus Dominus, patriarchae, prophetae, apostoli, martyres non ita se defenderunt. Nullam esse divinam auctoritatem, quae Christianis in qualibet causa ius talis defensionis attribuat. Quod si qui aliquando ita se defenderint, [p. 165] aliosque occiderint, occulto iussu impulsuque Spiritus S. fecerunt.

Nusquam in sanctis canonicis libris nobis divinitus praeceptum permissumve, ut ullius carendi cavendique mali causa aliis necem inferamus. Exceptis his, quos iussit iubetque Deus occidi, neminem occidendum. Porro non sunt facienda mala, ut fiant bona. Vita est velut statio, in qua quisque est a Deo collocatus, ideoque non est inde depellendus. Qui hominem occidit, graviter peccat in Deum et societatem humanam. Eiusmodi defensio sui numquam potest revocari ad fortitudinem et magnitudinem animi. Nam fortiter est, qui ne alium occidat, patitur se spoliari, vulnerari, mutilari, immo si res ita tulerit, constuprari, et occidi. Haec vero et quaecumque huc afferri possunt, non nisi pro scrupulis hebetiorum habent eruditum, et solidioris iudicii viri. Cum aliis PUFFENDORF, instituitur, inquit, defensio nostri, vel sine laesione eius, abs quo malum nobis imminebat — — vel cum laesione eius, aut pernicie. Circa hunc posteriorem modum scrupulus moveri potest: quod parem iacturam videatur facere genus humanum occiso invasore, quam si ipse peream; et quod utique perdendus sit mei similis. — — Verum ista, addit, hoc defensionis genus haudquaquam faciunt illicitum.

Multo ergo minus hoc mortis voluntariae genus, quod tuemur. <sup>mh)</sup>

[p. 166] Quid? Quod quaedam ex superioribus, aut iis similia afferri possunt, contra eam quoque mortem, qua iussu magistratum afficiuntur scelerati: et praesertim contra quaestiones et tormenta. Certe magistratibus etiam imperatum, diligere proximum, non occidere, aliaque eiusmodi. Item in eos valet illud AUGUSTINI, nullam esse divinam auctoritatem, quae Christianis in qualibet causa ius torquendi homines attribuat.

Sed dixeris, longe aliam esse rationem mortis voluntariae, et eius, quae infertur insidiatoribus, aliisque eiusmodi hominibus, et cum primis illius, quae iussu magistratum plectuntur, scelerati. Fuerit: nihil minus vides, te eiusmodi quasi argumentis pugnare, quae, si proba et idonea essent, facerent et iustos sui defensores, et magistratus ipsis impios homicidas et tortores. Id solum nunc fuit ostendendum. Nihil autem obstat diversa quaedam ratio, quae occurrit etiam in nece hostis, quae fit privatim et a privato, atque in morte noxiiorum, quae publice imperatur a magistratu. Sufficit utramque tamen esse licitam saltem et permisam, irritis omnibus tuis argumentorum velut umbris, aut strepentibus larvis. <sup>nh)</sup> Porro nunc vel ex hoc loco instruemus novum ac

[p. 167]

### VIII. [p. 167–170]

Argumentum, idemque, ni fallor, validissimum, certe utilissimum ad cognoscendam vim et auctoritatem amplissimam rationis, quae adeo non cedit, ut superet etiam omnem omnium principum

ac magistratum auctoritatem. *Immo* haec ex se, praeter contraque rationem nulla est; nec nisi rationis viribus et auctoritate fulta pollet. Hic primum quaedam ex superioribus obiter repetenda. Significavimus, nos rationis nomine intelligere, non vanam illam vagamque, fatuam ac fallacem AUGUSTINI, et aliorum quandoque nominalem, ut ita dicam, rationem: quae re ipsa nihil aliud est, quam quae EPICTETO vocatur frigida et futilis opiniacula, ex verborum sutelis contexta, ex iisque tamquam tenuissimo filo dependens: apage istam: sed quam TULLIUS laudat, dicens fere, non corporis, non sensuum, nempe nudorum et velut separatorum, nec opinionum, etiam communium et vulgarium; sed rationis esse de rebus, bonisque et malis humanis iudicare, adhibita rerum divinarum humanarumque scientia, adiunctisque virtutibus: eam quae SENECA est ratio explicita, recta, et ad naturae voluntatem accommodata: eam, quae PLUTARCHO, et omnibus demum philosophis veris et accuratiis loquentibus, est sibi consentiens, firma, et inexpugnabilis.<sup>oh)</sup> Diximus [p. 168] quoque, ubi de statione, a qua iniussu Dei discedere non licet, Deum et rationem, quando de lege naturae, officiis humanis, vel de λογικῇ, ut ait apostolus, λατρείᾳ ab hominibus praestanda agitur, nomina tantum esse diversa, eandem rem, vim et auctoritatem supremam significantia. Itaque parere rationi, et eam sequi, idem esse ac parere Deo, et eum sequi. Itaque etiam in eiusmodi, in officiis, inquam, humanis nullius hominis, magistratus et principis, *immo* nec ipsius scripturae divinae, maior est, nec potest esse auctoritas. Nihil enim supra Deum et hanc rationem. Itaque rursus rationi semper, etiam contra iussa et interdicta imperantium, est parendum: imperantibus vero numquam parendum contra rationem. Quare SOCRATES iussus damnare decem illos praetores, apud Arginusas victores; et postea adducere Leontem Salaminium non paruit. Quid? Quod olim reges ipsi Aegyptiorum iure iurando obstrinxerunt iudices, ut rege ipso iniustam flagitante sententiam, ei morem non gerant. PLUT. in apoph. <sup>ph)</sup>

[p. 169] Sed ratio, inquis, potest errare, falli ac fallere. Tua illa vana, ut dixi, et futilis: concedo. <sup>qh)</sup> Quod ad alteram istam,

1. sufficit quod hac in re, de qua agitur, nempe in morte ob ingentes e.g. perpetuosque dolores, qui sensibus etiam percipiuntur, capienda, non erret.<sup>rh)</sup>
2. In universum, ut non obstat certitudini sensuum, quod visus, vel homo ipse, et forte lippus, atque obiter tantum, et remota, vel sibi non proportionata cernens erret: ita nec rationi.<sup>sb)</sup>
3. Si ratio quandoque erret, non potest corrigi et ad verum perduci per leves quasdam ratiunculas; easque rationi, naturae et sensui communi repugnantibus: quae solae potius [p. 170] eam decipiunt, in erroresque abducunt.
4. Ratione nihil maius certiusque homini datum, quod sequatur, saltem in officiis determinandis.
5. Ratione reicta, homo protinus degenerat in pecudem, vel feram bestiam.
6. Cum tot et toties omni aevo divinam mentiti auctoritatem, eam suis commentis et opinionibus audacter praestruxerint, miserosque mortales superstitione captos turpiter decepterint: hoc divinae auctoritatis, nedum aliarum rerum obtentu ne latum quidem, quod dicitur, unguem a ratione discedendum, nisi clarissime probetur Deum dixisse, et iussisse id, quod ratio improbat ac reicit: praesertim si sit ultra omnem modum grave, crudele, inhumanum, intolerandum; uti est haud dubie, si cogantur omnes homines invitissime vivere in quantiscumque malis, cruciatibus et flagitiis.<sup>th)</sup>
7. Ex iis, quae docet etiam apostolus Rom. 14. colligit, quidquid non fit ex ratione, vel ei convenienter, esse peccatum. Iam vero vel ex se, et quaestionibus ab initio propositis et digestis, magisque ex tot argumentis modo adductis ac mox adducendis, demum ex depulsione exceptiuncularum adversariarum luculentissime appetit et apparebit, eam mortem, quam toties certis casibus et circumstantiis adstrinximus, convenire rationi.<sup>vh)</sup>

[p. 171]

*IX. [p. 171–178]*

Eadem mors, vel εὕλογος illa ἔξαγωγὴ est communis tutela legum naturae, virtutum et officiorum: est columen libertatis, tranquillitatis et felicitatis, quanta hic ab homine in tanta levitate ac perturbatione rerum, vi et impotentia potentiorum, obtineri potest: est necessitas ipsius velut domina, turpibusque adeo, aut turpitudinis speciem habentibus, quae necessitate excusari solent, colore detracto, superstitionis, ignaviae et nimii amoris vitae genium ac effectus, latere volentes, prodit et profert.<sup>xh)</sup> Supra ex Epicuro et Seneca dictum, in necessitate vivere nullam necessitatem esse: patere undique ad libertatem vias multas, breves, faciles. Agendas Deo gratias, quod nemo in vita teneri potest: calcare ipsas necessitates licet.

Et ep. 51. ait SENECA:

Libertas proposita est: ad hoc praemium laboratur. Quae sit libertas, quaeris? Nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus: fortunam in aequum deducere.

De provid. in fine, facit Deum ita bonis viris loquentem:

Ante omnia cavi, ne quis vos invitatos teneret. — — — At tendite modo, et videbitis, quam brevis ad libertatem, et quam expedita ducat via. Ex PLUTARCHO quoque significarum, eum, qui adversis superantibus scit sponte intrepideque [p. 172] mori, non exiguum habere ad tranquillitatem animi in vita viaticum. Ex TULLIO, etiam, virtutem, qua mors fortiter et tempestive occupatur, quodcumque dedecus propulsare solere; adeoque impedire, ne lex ulla, ne fides, ne pudicitia, ne officium ullum violetur.

VALERIUS MAX. 7. 6. ubi de Numantinis, qui omnibus consumptis, ad ultimum humanorum corporum dapibus usi sunt, nulla est, inquit, in his necessitatis excusatio: nam quibus mori licuit, sic vivere necesse nos fuit.

Praeclare etiam EPICTETUS diss. 2. 1. post varia egregia monita, et inter ea, non mortem et aerumnam, sed timorem earum rerum esse pertimescendum. Non enim mori malum, sed timide, ignave, adeoque turpiter mori. Item morti et exsilio, atque de iis opinioni opponendum esse animum inflexibilem, vel ut ipse Graece loquitur, τὴν ἀνεπιστρεψίαν, τὸ ἀφειδὲς καὶ ἀδιαφορητικόν.

Item mortem et cetera, quae homines timent, esse, ut SOCRATES ea appellare solitus, larvas. Tum de dolore locutus, aspere, inquit, movetur caruncula, deinde rursus suavi sensu afficitur: id tibi si non profuerit, aperta est ianua. Si utile sit, fert. Ad omnia enim ianuam patefieri oportet, et molestia nobis exhibebitur nulla. Sed quinam, addit, decretorum talium est fructus? Is nimirum, quem par est haberri pro pulcherrimo, et qui maxime decet eruditos: nempe tranquillitas, fortitudo, libertas. Mox addit quoque, nullum timidum, aut alio perturbatum modo esse liberum, et pro libero habendum.<sup>yh)</sup>

[p. 173] Ceterum varios scrupulos moveri circa praecepta et officia, praesertim περιστατικά, vel ex ante dictis constat: uti circa defensionem sui cum nece hostis, et superius circa ablationem rei alienae in magna necessitate.<sup>zh)</sup> Deinde sunt utique leges, quae sine ulla etiam summae necessitatis exceptione obligant. Sine dubio numquam, nullaque ex necessitate Deum negare, contemnere, idola colore, aliaque eiusmodi facere licet.<sup>ai)</sup> Rationes forsitan plures sunt: nobis nunc sufficiunt duae.

1. Quia ista eiusmodi directe sunt opposita finiet felicitati hominis, ita, ut numquam cum ea conciliari coniungique queant. Res humanae numquam ita volvi, verti, mutari possunt, ut in ullius hominis verum bonum ac felicitatem cedat, Deum negare.<sup>bi)</sup> Hic pono denuo, amorem felicitatis esse a Deo ipso inditum, eundemque [p. 174] esse principium omnium actionum humanarum, atque velut frenum illud, quo Deus homines regit; ad ea, quae vere bona sunt, flectit et impellit, a malis repellit.

Felicitatem quoque, nempe veram, stabilem, homini propriam, esse finem a Deo constitutam, et propositum homini, quem constanter respicere, eoque actiones suas dirigere beat. Hunc finem, hanc felicitatem cum omnibus philosophis, etiam particulatim dissentientibus, dixeris, esse imitationem Dei, similitudinem, coniunctionem cum Deo. Itaque sine dubio absque iactura felicitatis numquam potest Deus negari, in quantacumque necessitate: praesertim quia

2. is ipse in tali necessitate positus, est dominus et arbiter eius necessitatis. Penes ipsum est, necessitatem istam sponte moriendo rumpere, aut finire. Ita alias quoque necessitates omnes, si tanti sunt, ut moriaris potius, quam perpetiaris; vel graviores, quam ut viriliter perpeti valeas, potes evadere.<sup>ci)</sup>

Hic utique repetis, non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Ast multo minus dicenda, repetenda, inculcanda sunt falsa, ut falsae opiniones defendantur.<sup>di)</sup> Falsum [p. 175] autem est, mala esse ea omnia, quae vulgo et plebeiis, ut TULLIUS ait, magistris videntur mala.<sup>ei)</sup> Falsum est, mala esse semper, quae pro ordinaria rerum hominumque condicione non licent.<sup>fi)</sup> Falsum est, non incidere quandoque tempora, cum ea, quae maxime videntur digna esse iusto bonoque viro, commutantur, fiuntque contraria.<sup>gi)</sup> Falsum est, malum semper esse, rem alienam auferre.<sup>hi)</sup> Falsum est, malum semper esse et vetitum, occidere.<sup>ii)</sup> Denique falsissimum est, malum semper esse, sponte mori.<sup>ki)</sup> Vita et mors, sicut alia extra virtutem et vitium, sunt ex se res indifferentes, quae nihil insitae, nec bonitatis sive honestatis, nec malitiae vel turpitudinis habent. Fiunt bona et mala, sicut homines se circa ea gesserint. Utraque nullam habent certam et necessariam connexionem cum felicitate vel infelicitate hominis, nedum eam efficiunt. Itaque [p. 176] potest esse miser et infelix, qui vivit: et sunt plerique:<sup>jj)</sup> contra ea potest esse felix et beatus, qui moritur et mortuus est.<sup>ii)</sup> Etiam vocula sponte ex se nec facit, nec impedit bonitatem et malitiam.<sup>mi)</sup> Falsissimum quoque est, quidquid sit infra summam et perfectissimam virtutem, fortitudinem, magnitudinem animi, esse malum. Paucissimi eam habent, et vel possunt habere.<sup>ni)</sup> Non nemo circa [p. 177] tolerantiam politicam (quam se fundare ait *in casu necessitatis*: quod mala dentur insuperabilia, maioraque saepius aliter vitari nequeant: *exempto legibus*) observat, eanon offendit regulam de non faciendis malis, ut inde eveniant bona. Non enim malum hic fieri, sed regi, ne abundet, peiusque fiat, et noceat magis.<sup>oi)</sup>

Denique observa, adversarios hic committere ordinarias suas in tota hac materia fallacias ignorationis elenchi, petitionis principii, et illius secundum plures interrogations. Nempe non quaeritur, quid in universum, sive rem absolute sine ulla insignioribus circumstantiis spectando, bonum sit vel malum; sed quid in iis, quas ab initio descriptimus. Illi vero hac posteriore quaestione ignorata, aut evitata, priori insistunt. Vel si illam norunt, et attingunt quandoque, idem probant per idem, sive ad probandum assumunt, quod nemo eis concedit, et id ipsum de quo quaeritur, et summa est controversia: nempe an id, quod ipsi dicunt esse malum, sit quoque malum. Repete quaestiones de nece aliorum et ablatione rei alienae, aliisque eiusmodi, in necessitate vel extra eam, tempore belli vel pacis, ex gravi causa vel absque ea, temere ex pravo aliquo [p. 178] affectu, et cum insigni damno societatis humanae; vel omnibus bene expensis, sine tali affectu et damno: atque res clare patebit: nimirum non omnia, quae extra necessitatem, in media pace, inconsulte, ex ira, furore, cupiditate turpis lucri, commissa, mala sunt, esse etiam mala, si fiant in necessitate, flagrante bello, et seclusis inhumanis illis rationique contrariis impetibus.<sup>pi)</sup>

#### X. [p. 178–300]

Mors voluntaria ex iis, quas indicavimus, causis oppetita, omnium populorum, Graecorum, Romanorum, Afrorum, Asiaticorum sensibus, moribus ac institis congruens, infinitis exemplis est probata. Tantus autem omnium totius orbis gentium consensus, cum alias lex naturae, certissimumque veritatis in rebus ingenio, captui, iudicioque humano accommodatis, argumentum censemur; cur hic erroris tantum er immanissimi sceleris velut conspiratio putabatur? Idque praecipue, ubi nihil praeter meras fere nugas, aut varias superstitione quandoque mixtas fallacias, in contrarium afferri potest. Nullius autem mihi notum est nationis nomen, (neque adversarii, omnia conquirentes, ullum afferunt exemplum, ex quo constet eam mortem, de qua quaeritur, id est, εὐλογον ἔξαγωγήν, fuisse ab ulla natione damnatam) apud quam per plus quam quattuor annorum millia, inde ab O. C. nefas fuerit, se ipsum [p. 179] sine maiori velut pompa, vel ἀτραγύδως, ut loquitur ANTONINUS, sine aliorum noxa et damno, ex honesta, gravi, et necessaria causa, e medio tollere. Immo qui fecerunt, inter magna, utilia, et publice laudata fortis, vitaeque ac mortis contemptoris, animi exempla sunt habiti: uti degeneres, timidi, ignavi, qui indignissima pati potius sustinuerunt. Plena est omnis historia eiusmodi exemplis, laudibus, et vituperationibus; uti noverunt omnes in ea versati.

Paucis SENECA ep. 24.

Non revoco te ad historias, nec ex omnibus saeculis contemptores mortis, qui sunt plurimi, colligo: respice ad haec tempora nostra, de quorum languore et deliciis querimur. Omnis ordinis bomines succurrent, omnis fortunae, omnis aetatis, qui mala sua morte praeciderant.

Quid? quod tota vita effeminatissimi paene mortalium omnium, Sardanapalus Assyrius et Otho Romanus, morte sua ab omnibus scriptoribus antiquis virilis et magni animi nomine meruerunt laudari. De Sardanapalo ATHENAEUS: Is, qui prodigiose voluptatibus deditus fuerat, quam potuit, generosissime vitam finiit. Othonis mortem commendat ac decorat extrema etiam eius oratio, cuius haec potissimum placent verba:

Plura de extremis loqui, pars ignaviae est. Praecipuum destinationis meae documentum habete, quod de nemine queror. Nam incusare Deos vel homines, eius est, qui vivere velit.

Commendat quoque ingens militum amor, eoque se interficientium numerus. Vide TAC. 2. hist. c. 49. Idem 13. ann. c. 30.

C. Aminius Rebius ex primoribus peritia legum et pecuniae magnitudine, cruciatus aegrae senectae misso per venas sanguine effugit: haud creditus sufficere ad constantiam sumenda mortis, ob libidines muliebriter infamis. Istis viris adde vita et morte similem [p. 180] feminam, Cleopatram. De hac. HOR. 1. 1. ode 37.

[...] generosius

perire quaerens nec muliebriter  
expavit ensem nec latentis  
classe cita reparavit oras,

ausa et iacentem visere regiam  
vultu sereno, fortis et asperas  
tractare serpentis, ut atrum  
corpore combiberet venenum,

deliberata morte ferocior,

[...]<sup>vv</sup>

Paucioribus VELLEIUS 1. 2.

Cleopatra frustratis custodibus, illata aspide, morsu sane eius, expers muliebris metus, spiritum reddidit.

Idem de Antonio:

Antonius se ipse non segniter interemit, adeo, ut multa desidia crima morte redimeret.

De Sophonisba, capti Syphacis uxore, vide APPIANUM in Punicis. Hanc dilectam sibi coactus Masanissa tradere Romanis, clam convenit, venenum afferens, optionemque dedit, utrum bibere mallet, an Romanis ultro servire. Illa postquam nutrici oftendisset poculum, rogavit, ne defleret honeste mortuam: moxque venenum ebibit. Duae autem Mithridatis filiae, Aegypti Cyprique desponsae regibus, enixe rogabant patrem, ut ante ipsum potionem venenatam sumere concederet. Idem in Mithrid. Zenobia Armenia, alterius Mithridatis filia, et coniux Rhadamasti gravida, cum primam utcumque fugam ob metum hostilem et mariti caritatem tolerasset, post festinatione continua, ubi quatì uterus et viscera vibrantur, orabat, ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur. TACIT. 12. annal. c. 51. <sup>q*i*</sup>)

[p. 181] Haec in principio notes velim, praecipue ob hebetes quosdam et ignavos censores, atque contra eos omnes, qui cum aliorum animos ex suis aestiment, putant dictitantque, neminem sponte sua mori posse, nisi vel per ignaviam, vel [p. 182] cum ingenti indignatione et perturbatione animi; immo nisi ex desperatione, furore et insania. <sup>ri)</sup> Itaque etiam cum ANTONINUS alicubi suasisset, ultro et

<sup>vv</sup> Hor. carm. 1, 37, 21–29 ed. Shackleton Bailey.

placide nonnumquam e corpore, tamquam e molesto ac fumoso cubiculo, excedere: censor quidam et annotator ait, id fieri non posse sine ira, rabie, furore, vel aliis turbulentissimis affectibus. Diogenes haec audiens, dixisset utique, ut olim fere, se audire voces stultae ignaviae se ipsam damnantis. Scilicet vero, si censor noster et eiusdem opinionis omnes possent quaecumque mala et tormenta, ac quamcumque mortem violentam aequo, placido et tranquillo animo tolerare; non posset quisquam pari animo ea effugere, et sponte, longeque facilius ac lenius mori. <sup>si</sup> Deinde, ut modo demonstratum, mors [p. 183] voluntaria in tanta levitate et incertitudine rerum humanarum, et in tanta imbecillitate generis humani, est certissimum ac tutissimum tranquillitatis animi praesidium et firmamentum. <sup>ii</sup> Itaque absque eius, dum necesse est, capienda [p. 184] consilio animoque ne vivere quidem tranquille potest quisquam hominum prudentiorum. Praeterea ARISTOTELES cum suis iram et paene furem quandam fortitudini admiscet, aut adiungit. In fortibus, inquit, 3. Nicom. 8. esse videntur etiam ii, qui ira concitati feruntur: quomodo beluae in eos irruunt, qui eas vulnerarunt: quoniam, qui fortes sunt, iidem etiam iracundi. Maximum enim ad pericula adeunda calcar admovet ira. <sup>vi</sup> Sed his aliisque nunc missis, mendacii et stultitiae ignavum istud censorium pecus, convincunt innumera exempla, quorum aliqua mox prioribus hic adiungo. <sup>xii</sup> Eminet feminae rursus, [p. 185] Arriae, exemplum, PLINIO l. 3. ep. 16.iudice, immortale et paene divinum. Nisi historiae et scriptorum verbis manifesta vis inferatur; adeo nullus furor, desperatio, insania, nedum ignavia, aliave vitia et dedecora ex ultimis dictis factisque Arriae exprimi possunt, ut magna tranquillaque animi diu mortem meditati virtus ac constantia undique elucescant.

Praeclarum, inquit PLINIUS, illud eiusdem, ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac paene divinam, Paete non dolet.

Paulo post ex iis, quae dixit uxori Scriboniani, manifestum esse ait,  
ei consilium pulcherrimae mortis non subitum fuisse. Et cum Thrasea gener eius deprecaretur ne mori pergeret, et inter alia dixisset: Tu vis ergo filiam tuam, si mihi pereundum fuerit, mori mecum?  
respondit: Si tamdiu tantaque concordia vixerit tecum, quam ego cum Paeto, volo.

Laudat hanc feminam MARTIALIS quoque noto epigrammate:  
Casta suo gladium cum traderet Arria Paeto etc.

Laudat eandem, atque supra omnes etiam antiquitatis heroas extollit, LIPSIUS in quadam epistola: una Arria nata in hanc immortalem laudem, et cui fasces omnes illi Graeci Romanique viri et heroes submittant. <sup>yii</sup> Geminum [p. 186] exemplum, sed minus celebre, Sextiae, quae Scauro viro suo incitamentum mortis et particeps fuit. TAC. 6. ann. [p. 187] c. 29. <sup>zi</sup> Utrique, Arriae et Sextiae, in hoc genere laudis pares, et tempore superiores fuerunt Porcia Bruti, et Servilia Lepidi, Iunia Bruti sorore nati, uxores: quae vivo igni devorato praematuram mortem immortalis nominum suorum memoria pensarunt. Vide VELLEIUM l. 2. p. m. 194. ubi meminit denuo Calpurniae, coniugis Antistii, quae iugulato viro se ipsam gladio transfixit. <sup>ak</sup> Uxor vero Albini, cum se percussoribus obtulisset, simul cum marito imperfecta est. TAC. 2. hist. c. 59. Arriam filiam temptantem mariti suprema, et exemplum Arriae matris sequi, monet Thrasea retinere vitam, filiaeque communis subsidium unicum non adimere. Idem 16. ann. c. 34. De uxore regis Sidoniorum, Stratonis, infra dicemus.

Adde nunc et lege, si lubet, ea, quae scribit PLINIUS de morte Silii Italici l. 3. ep. 7. de Corellii Rifi l. 1. ep. 12. <sup>bk</sup> [p. 188] et Titi Aristonis ep. 22.

Corellum quidem, inquit, summa rario, <sup>ek</sup> quae sapientibus pro necessitate est, ad hoc consilium compulit, quamquam plurimas vivendi causas habentem, optimam conscientiam, optimam famam, maximam auctoritatem, praeterea filiam, uxorem. —— Sed tam longa, tam iniqua valetudine conflictabatur, ut haec tanta vivendi pretia mortis rationibus vincerentur.

De Tito haec:

Mirareris, si interesses, qua patientia hanc ipsam valetudinem toleret, ut dolori resistat, ut sitim differat, ut incredibilem febrium ardorem immotus operatusque transmittat. Nuper me paucosque

mecum, quos maxime diligit, advocavit rogavitque, ut medicos consuleremus de summa valetudinis, ut si esset insuperabilis, sponte exiret e vita.

Nihil utique naturae, prudentiae, virtuti humanae convenientius: quidquid etiam ignaviam et cupiditatem [p. 189] superstitione, dominio Dei et verbis, *non occides*, tegentes dixerint. <sup>dk)</sup>

Porro de famoso illo Catone <sup>ek)</sup> vide, praeter alias multos, VALER. MAX. 3. 2. de fortitud. Ibid. de P. Crasso, a Thracibus partium Aristonici capto, <sup>fk)</sup> et Q. Metello Scipione [p. 190], Pompeii socero: <sup>gk)</sup> item de Theagene Numantino, <sup>hk)</sup> et T. Iubellio Campano. Huius vero non fortiora fere fuerunt opera, quam dicta:

**Quoniam**, inquit, Fulvi, cupiditate tanta hauriendi sanguinis nostri teneris, quid cessas in me cruentam securim distringere, ut gloriari possis, fortiorum aliquanto virum, quam ipse es, tuo iussu esse interemptum.

Et mox:

Aspice oculis tuis quidem gratum, [p. 191] animo vero tuo maius opus edentem:

protinusque gladio incubuit, interfectis prius coniuge ac liberis. <sup>ik)</sup> Idem scriptor l. 9. cap. 12. de mortibus non vulgaribus, celebrat acres et animosos vitae exitus Q. Catuli; <sup>kk)</sup> L. Cornelii Merulae, <sup>lk)</sup> Herennii Siculi, <sup>mk)</sup> C. Licinii Macri, <sup>nk)</sup> et Comae. <sup>ok)</sup> Hic, torqueant se, addit, miseri, quibus extingui, [p. 192] quam superesse utilius est, trepido et anxi consilio, quanam ratione vita exeant quaerentes. Ferrum acuant — — tamquam magno apparatu, aut exquisita molitione opus sit, ut corporis atque animi infirmo vinculo cohaerens societas dirimatur.

De egregio quodam viro TAC. 5. ann. 6. et 7.

Non crudelitatem, non clementiam cuiusquam experiar, sed liber, et mihi ipsi probatus, antibo periculum. Vos obtestor, ne memoriam nostri per maerorem quam laeti retineatis, adiciendo me quoque iis, qui sine egregio publica mala effugerunt.

Tum singulos, ut cuique adsistere, adloqui animus erat, retinens aut admittens, partem diei absumpsit, multoque adhuc coetu, et cunctis intrepidum vultum eius spectantibus, cum superesse tempus novissimis crederent, gladio quem sinu abdiderat, incubuit. Neque Caesar (Tiberius) ullis criminibus aut probris defunctum infectatus est.

Ceterum memorabile est cum primis priscorum Massiliensium institutum, apud quos venenum cicuta temperatum publice custodiebatur, et dabatur ei, qui causas senatui exhibuisset, quare mors sibi expetenda esset:

cognitione, inquit denuo VALERIUS 1. 2. c. 6. ex. 7.

virili benevolentia temperata, quae nec egredi vita temere patitur, et sapienter excedere cupienti celerem fati viam praebet.

Addit hanc consuetudinem non in Gallia ortam, sed ex Graecia translatam, atque illam se in insula Ceo servatam in femina [p. 193] quadam nobilissima. Confer AELIAN. V. H. 3. 26. Consuetudo est apud Ceos, ut, qui senio plane confecti sunt, tamquam ad convivium se invitent, aut ad quoddam solemne sacrificium convenient, et coronati cicutam bibant: cum sibi ipsis consciit sunt, se ad promovenda commoda patriae amplius esse inutiles, animo iam ob aetatem delirare incipient. <sup>pk)</sup> Memorabile etiam, quod de Troglodytis, simplici et innoxia gente, refertur: maximum eos arbitrari malorum, ab eo vitam diligi, qui nequeat aliquid agere dignum vita. Itaque cum alios quosdam, tum praesertim morbo incurabili correptos, morte afficiunt. AUBAN. de morib. gentium l. 1. c. 6. <sup>qk)</sup>

[p. 194] Sed Graecis omnibus mortis nostrae genus probatum, immo laudatum, ac quandoque admirationi et venerationi fuisse, demonstrabimus, <sup>rk)</sup> profligaturi simul calumniam adversariorum (hit alium argumentorum ope suam opinionem tuentur) abutentium verbis nonnullis ARISTOTELIS, ac si is dixisset, passim receptum esse, ut ignominia afficiantur, qui sibi mortem consivissent: nempe iustis et necessariis de causis. Id enim quaeritur. <sup>sk)</sup> ZWINGERUS [p. 195] ad verba Nicom. 5. 15. Διὸ καὶ ἡ πόλις ζημιεῖ:

An civitatem, inquit, Atheniensium intelligit, quae manu, qua quis sibi absque legitima NB. causa mortem intulisset, ignominiae ergo, seorsim a reliquo corpore sepeliebat. — — At qui causam mortis haberent legitimam, maioris scilicet mali fugam, eos saltem venia dignos iudicabant, multos et iam laude. — — Sic milites Romani mortem Romanam censebant, sibi ipsis potius manum inferre, quam in hostium venire potestatem.

Haec ille. <sup>tk)</sup> Sed de Graecis et [p. 196] Atheniensibus CICERO T. Q. I. in fine, clarae vero, inquit, mortes pro patria oppetitae, non solum gloriosae rhetoribus, sed etiam beatae videri solent. Repetunt ab Erechtheo: cuius etiam filiae cupide mortem expetiverunt pro vita civium: Codrum, qui se in medios immisit hostes. Sed non se interfecerunt ipsi, inquis. Sufficit, quod mortem cupide expetiverint, quod se ei obtulerint, quod sibi mortis causa fuerint. <sup>vk)</sup> Sit vero, ut voles. Athenienses autem [p. 197] adeo non multasse, aut ignominia aliqua affecisse eos, qui sponte quidem, sed εὐλόγως excesserunt e vita, luculentissime appetitae <sup>xk)</sup> ex iis, quae fecerunt Zenoni Stoico. Res nota [p. 198] est ex LAERT. 1. 7. <sup>yk)</sup> Post Zenonem Cleanthes, <sup>zk)</sup> et, si LACTANTIO <sup>al)</sup> credimus, Chrysippus <sup>bl)</sup> quoque sponte [p. 199] mortui Athenis; nec ideo ignominia ulla affecti, immo publice honorati celebratique. PLUTARCHUS in Nicia post initium refert, Pachetem, cum Lesbum cepisset, iussum rationem gestae rei in iudicio reddere, stricto gladio se interfecisse [p. 200], sine ulla, quod constat, ignominiae nota. <sup>dl)</sup> Et sub finem, Demosthenem ducem, cum in potestatem hostium pervenisset, sibi ipsis ictum intulisse, sed non letalem. Postea vero eum et Niciam custodis unius opera mortem sibi conscivisse. <sup>dl)</sup> IUSTINUS autem 4. 5. ita scribit:

Demosthenes [p. 201], amissso exercitu, a captivitate gladio et voluntaria morte se vindicat: Nicias autem ne Demosthenis quidem exemplo, ut sibi consuleret admonitus, cladem suorum auxit dedecore captivitatis.

Etiam celeberrimus ille orator Demosthenes veneno tandem se extinxit. <sup>el)</sup> Themistoclis vero mater laqueo vitam finisse traditur: <sup>fl)</sup> Themistocles [p. 202] autem ipse hostiae sanguine. <sup>gl)</sup> Complures alii Athenienses, utriusque sexus et variae aetatis, vita se privasse leguntur [p. 203], dextra et honore salvo. <sup>hl)</sup> Omnim autem exemplorum, non apud Athenienses modo, sed omnes etiam nationes [p. 204], illustrissimum est Democles, de quo PLUT. in Demetr. Cum Demetrii multa munera, multas preces, multas minas ab emissariis eius allatas sprevisset, atque ad extremum palaestras et gymnasium fugiens, lavandi causa in privatum balneum intrasset; Demetrius, observato eo tempore, ad ipsum solum intro accessit. Hic puer solitudinem circa se, et necessitatem imminentem cernens, aheni operculo amoto, in aquam ferventem insiluit, et immerito quidem periiit, patria tamen sua formaque digna ausus. An hic quoque dixeris, exsecrabilis esse scelus sic perire? An timidi saltem et ignavi esse, ita, et tam cito mori, nec pigre ire ad mortem? An repetieris illud, non sunt facienda mala, ut eveniant bona? An iusseris in statione manere, donec Deus revocet? An exspectare perfectam purgationem? Quin Democles te iussisset abire Morboniam vel Anticyram, et bene purgare cerebrum tuum helleboro. <sup>il)</sup>

[p. 205] Spartanis vero mortem voluntariam receptam ac probatam fuisse liquet, vel Lycurgi exemplo: <sup>kl)</sup> item Cleomenis regis sociorumque eius, de quibus infra. <sup>ll)</sup> [p. 206] Agis vero, Archidami filius, interrogatus, qua quis ratione liber permaneat, respondit, si mortem despiciat. <sup>ml)</sup> [p. 207] Itaque puer quoque Spartanus captus et venditus, omnibus in rebus empori morem gessit, quas libero convenire putabat: iussus autem matulam afferre, recusavit, servitum se negans, ac, urgente domino, tectum concendit, fatusque, scies quid emeris, praecipitem se inde dedit, ac vita decessit. PLUT. in apoph. Lacon. <sup>nl)</sup> De hoc puero, vel alio, vide etiam SEN. ep. 77. Puella quoque eiusdem gentis dum venderetur paeconi, quid nosset quaerenti, libera, inquit, esse novi. Cumque empor quaedam ei iniungeret non decentia liberam: hoc fata, flebis, qui tibi talem possessionem invideris, mortem sibi ipsa conscivit. PLUT. in instit. Lacon. fin. ol)

Porro facile patieris, Alexandrum M. Graecis accenseri: certe in exercitu eius plerosque fuisse, variosque Graecos, Athenienses, Corinthios, Thessalos, alios, non infitiaberis [p. 208]. Praetereo nunc Alexandrum ipsum: quem, occiso Clito, ad moriendum obstinatum aegre sui precibus permoverunt, ut vivere cibumque capere vellet; posteaque in extrema vi morbi ac doloris ferrum in remedia poscentem:

<sup>p<sup>l</sup></sup> praetereo Dioxippum Atheniensem, qui furti [p. 209] calumniam non ferens se interemis, honestum egregiumque virum desiderante Alexandro. <sup>q<sup>l</sup></sup> Calanum dumtaxat produco, Indum quidem, sed Alexandro, Macedonibus, Graecis, omnibus denique nationibus repraesentantem, velut in publico orbis theatro, mortem suam: nullo tamquam ignominiosum ac nefarium scelus prohibente, aut impediente; cunctis autem et Alexandro ipso cum stupore intuentibus. Et hic antea neminem sibi virtutis ac fortitudinis [p. 210] laude aequari passus, nunc ultiro Calanum longe se fortiorum ipse praedicavit. <sup>r<sup>l</sup></sup> GROTIUS de I. B. et P. 2. 19. ait, Megasthenem notasse, ab Indorum sapientibus reprehensum [p. 211] Calani factum. Neque enim eorum placitis probari talem exitum. Nihil id quidem ad rem praesentem, nempe ad placita et sententiam Graecorum: verum tamen vel sapientibus istis, aut haereticis quasi; vel omnibus aliis scriptoribus tamquam ex conspiratione quadam placuit mentiri, <sup>s<sup>l</sup></sup> quippe referentibus, hanc fuisse eius gentis sapientum [p. 212] consuetudinem. Diserte PLUTARCHUS in Alex. Calanum more eius regionis sophistarum antiquo se ipsum sacrificasse, scribit. CURTIUS I. 8.

Apud hos (sapientes Indorum) occupare fati diem, pulchrum: et vivos se cremari iubent. Quibus aut segnis aetas, aut incommoda valetudo est, exspectatam mortem pro dedecore habent. Nec ullus corporibus, quae senectus solvit, honos redditur. Inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. <sup>t<sup>l</sup></sup>

PHILO [p. 213] IUDAUS dicit, Indorum gymnosopistas etiam num senectute, morbo illo diurno et insanabili, ingruente, antequam plane ingravescat, se ipsos rogo incenso comburere. Fortissimus ille Eleazar, de quo infra, suis suadens mortem, ita disserit apud IOSEPHUM de B. I. 7. 28. Si ab alienigenis etiam rei fides petenda sit, Indorum videamus sapientes. [p. 214] Illi enim, cum sint boni viri, vitae quidem tempus, quasi quoddam necessarium vitae munus, inviti sustinent: properant autem animas corporibus solvere. — Facilius illos ad mortem amicissimi prosequuntur, quam ceterorum hominum quisquam suos cives, in longinquam peregrinationem ituros. Et se quidem ipsos deflent, illos autem beatos dicunt.

LUCANUS I. 3. v. 240.

Quique suas struxere pyras, vivique calentes  
Conscendere rogos. Proh! quanta est gloria genti,  
Inieccisse manum satis, vitaque repletos,  
Quod superest, donasse deis. —

Apud CLEMENTEM strom. 5. gymnosophista ille rogatus ab Alex. Quo usque bene sit homini vivere? Quo usque, respondit, non existimat esse melius mori, quam vivere. <sup>v<sup>l</sup></sup> Praeterea PLUTARCHUS, locutus de Calano, addit: hoc idem multis annis interiectis Indus quidam Caesaris assecla Athenis fecit, cuius hodie etiam ostenditur monumentum, ac Indi sepulcrum dicitur. Est utique Zarmanochegas ille, quem alii quoque ex NICOLAO DAMASC. referunt, Athenis se, cum satis fortunatus fuerit, cremasse, eo quod abunde vixisset, in eiusque tumulo ita scriptum fuisse:

Zarmanochegas Indus ex Bargoa, iuxta patrios Indorum mores, se ipsum immortalem faciens, hic iacet.

Itaque frustra est, GROTIUS mentitur et fallit, ut solent hic plerique adversariorum, cum suo uno Megasthene, aut sapientibus etiam insipientibus, sive nescientibus patros mores ac instituta, assiduis exemplis feminarum quoque, aut uxorum notissima. PROPERT. I. 3. eleg. 12.

[p. 215] Et certamen habent leti, quae viva sequatur  
Coniugium: pudor est, non licuisse mori

Et PLUTARCHUS denuo, ubi an vitiositas ad infel. sufficiat: apud Indos castae maritorumque amantes uxores de igne litigant atque certant: victricem, quia cum marito mortuo comburitur, reliquae ut felicem laudibus vehunt atque decantant. <sup>x<sup>l</sup></sup> Addit de sapientibus rursus: nempe qui sapientes ibi sunt, nullus eorum dignus admiratione, nullus beatus habetur, nisi vivus etiam num, et animo ac corpore valens, animam a corpore igne discernat, purusque a carne discedat, eluta mortalitate. Quid? quod

Porus, rex Indorum, ab Alex. victus adeo propterea doluit, ut neque cibum sumere voluerit, neque vulnera curari passus sit; aegreque ab eo obtentum, ut vellet vivere. IUST. 12. 8.<sup>y1)</sup>

[p. 216] Prioribus adiungam hic Peregrinum philosophum. Eumne, quaeris, quem LUCIANUS tamquam parricidam, omnibusque flagitiis coopertum acerrime infectatus est? Illum nempe ipsum. Non enim Peregrinum omnemque eius vitam describere ac defendere proposui; sed quid de morte voluntaria, praesertim philosophorum, Graeci senserint [p. 217], ostendere. Deinde mors interdum a vita dissidet: uti Sardanapali, Othonis, Cleopatrae, aliisque exemplis modo patuit. Fortassis sufficeret quoque, pro defensione Peregrini, egregium testimonium GELLII, qui ipsum Athenis praesens viderat et audierat; et quod LUCIANUS promiscuae in omnes, praesertim philosophos, maledicentiae rabie sit notissimus; hic vero singulatim invidiae, irae, odii manifestus; demum quod non Peregrinum fere magis quam Christianos, eorumque fidem et mores, fideique auctorem ipsum calumnietur acirrideat. Sed de Peregrini vita nunc non agitur. Is vero, Indorum, ut videtur, exemplo Olympiae se in celeberrimo totius Graeciae concilio publice combussit, nemine rursus vetante, nemine impediente, nemine poenam, infamiam, ignominiam quandam minante; ingenti autem hominum numero deducente, cunctisque admirantibus et laudantibus, praeter unum, quod constat, LUCIANUM. Sed et parum abfuit, quin is omnis dicacitatis, maledicentiae ac irrisionis suae ultimas poenas daret, atque canis hic tandem latrare et mordere desineret.

Ego, inquit ipse, propemodum a Cynicis disceptus essem, velut Actaeon a canibus.

Sed quomodo tu a Cynicis, eorum facile princeps, certe eos omnes latrandi mordendique impudentia vincens? Utique te non cognoverunt, sicut nec Actaeonem canes sui. Deinde an a Cynicis solis? Forte nullus eorum te ne audivit quidem vidiisque in tanta hominum turba. Vel an ingentes confluxerant velut copiae Cynicorum, quibus nec qui neutrarum forte partium aderant moderatores, nec Lucianistae omnes, id est, tecum sentientes, maledicentes, ridentes et irridentes resistere, ducemque suum furentium hostium [p. 218] manibus eripere potuerunt? Velinde colligo, Peregrinum eiusque mortem omnibus probatam fuisse.<sup>z1)</sup>

Itaque satis nunc superque constare arbitror de sensu atque consensu Graecorum et Indorum.<sup>am)</sup> Quod ad Romanos denuo, id quoque notum est, et fortassis singulare, quod crudelissimi etiam, quos censemus et vocamus, tyranni, quandoque omnis supplicii loco necessitatem mortis denuntiasse, eiusque liberae capienda facultatem dedisse leguntur. Ipse Nero compluribus eorum, qui in caput quoque suum coniuraverant, aut alias sibi suspectis et invisis [p. 219] liberum reliquit mortis arbitrium. Itaque quidam velut iocantes, et cum amicis confabulantes, lenissimo, quod elegerant, mortis genere se ipsos exanimarunt. Hic de Lucani morte vide TACIT. ann. 15. 70. et de PETRONII l. 16. c. 19. Inter graviores meditationes et sermones, sed simili fere electae mortis genere, magno et tranquillo animo occubuerunt Seneca, Thraseas, Bareas Soranus.<sup>bm)</sup> Quid ergo [p. 220] Deum velut cogimus, ut sit semper in extinguis hominibus, vel Nerone ipso truculentior; atque Tiberio, Caligulae, ceteris crudelitatis monstris similior? Ille cuidam, roganti mortem, respondit: nondum tecum in gratiam redii. Et cum alias mortem et gratiam hanc non rogans arripisset, iste, inquit, me evasit. Idem, vel successor Caligula iussit homines ita occidi, et in ipsa morte velut moderari ac temperare cruciatus, ut sensim mori se sentirent. An Deo placet, et nobis in Deo, quod ipse utique odit, et nos detestamur in tyrannis? Horum haec propria certissima nota est, mori volentibus vim adhibere vivendi. Sueton. Tib. c. 61. Inde ille apud SENEC. in Herc. fur. Qui morte cunctos luere supplicium iubet; nescit tyrannus esse: diversa irroga: miserum veta perire, felicem iube. Et AEGISTHUS in Agam. Electrae dicenti, concede mortem, respondit: si recusares, darem. Rudis est tyrannus morte qui poenam exigit. Hic vides denuo, adversarios opinione sua, integre cum omnibus suis partibus et appendicibus accepta, graviter infamare Deum, multisque eum tyrannis crudeliores facere; omnium vero saeviendi libidinem patiendi necessitate iussa, idque severissime et cum minis aeternarum poenarum, sustentare. Sed vetuit, inquis, tyrannos saevire. Quid ad rem ipsam hanc refert, dum tyrannis manet sua saeviendi libertas, et innocentibus omnia sine ullo effugio patiendi necessitas?<sup>cm)</sup>

[p. 221] Adice nunc publicas caedes integrarum civitatum. Hic memorandi in primis Cappadoces, de quibus IUSTIN. 13. 6.

Hostes ab acie in urbem recepti, occisis coniugibus et liberis, domos quisque suas cum omnibus copiis incenderunt. Eodem congestis etiam servitiis et semet ipsos praecipitant, ut nihil hostis victor suarum rerum praeter incendii spectaculo frueretur. <sup>dm)</sup>

Deinde Saguntini: ne, ut ait PLUTARCHUS [p. 222], in potestatem acerbissimi hostis venirent. <sup>em)</sup> Tum Numantini. De his FLORUS:

Macte fortissimam, et meo iudicio [p. 223] beatissimam in ipsis malis civitatem! —— quae nullam de se gaudium hosti reliquit. Unus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur. —— Triumphus fuit tantum de nomine. <sup>fm)</sup>

Idem postea, ubi de bello Cretico:

Metellus totam insulam igni ferroque populatus —— victor rediit, nec quicquam amplius tamen de tam famosa Victoria, quam cognomen Creticum reportavit.

Plerique enim captivorum veneno se consecerant. <sup>gm)</sup> De Xanthiis a Medis primum, deinde longo post tempore a Bruto obsessis. vide PLUTARCHI Brutum. <sup>hm)</sup> De Norbanis [p. 224], dominante Sulla, APPIAN. l. 1. de b. civ. Pars sua manu, pars mutuis vulneribus ceciderunt, alii praefocarunt se laqueis, aut obturatis foribus ignem tectis subdiderunt. De his et aliis, eadem hac tempestate, LUCANUS l. 2. v. 154.

Hic laqueo fauces elisaque guttura fregit.

Hic se praecipi iaculatus pondere dura

[p. 225] Dissiluit percussus humo: mortesque cruento

Victori rapuere suas: hic robora busti

Exstruit ipse sui, nec dum omni sanguine fuso

Desilit in flamas, et dum licet, occupat ignes. <sup>im)</sup>

Bene multos eorum sibi consuluisse, Praenestinorum, et Marii cum primis Gratidiani crudelissima fata declarant. Vide denuo LUCANUM l. alleg. et alias passim. Illarum, quas dixi, civitatum exempla imitati sunt superiori saeculo, fervente iam bello illo fatali, Magdeburgenses: si credimus scriptoribus, qui cives potius, quam hostes, immani stragi et excidio inscribunt. <sup>km)</sup> Certe secuti sunt, vel praeiverant [p. 226] etiam complures Carthaginiensium, et eorum, qui se partibus illis adiunxerant, urbe iam expugnari et incendi copta a Scipione iuniore. Eminet vero plus quam virilis animi femina, Asdrubalis uxor. Eius factum et laudes audiamus etiam ex APPIANO in Punicis ante finem: ut inde quoque agnoscas, quis fuerit olim omnium, praesertim prudentiorum, sensus de morte voluntaria ex gravi et honesta causa. Fertur, inquit APPIANUS, dum accenditur ignis, uxorem Asdrubalis ornatam pro tempore constitisse ex adverso [p. 227] Scipionis cum duobus filiis, et clara voce dixisse: Tibi quidem, Romane, dii sint propitii. —— Deinde ad Asdrubalem versa, scelestae, ait, perfide, effeminatissime virorum omnium, me quidem et hos meos filios ignis sepeliet: tu vero, ad quem triumphum servaris? <sup>lm)</sup> Antiquius Imilconis exemplum vide apud IUST. 19. 3. <sup>mm)</sup> Primum et antiquissimum [p. 228] in ea gente Didonis, vel Elissae, quae Carthaginem condidit, infra referemus. <sup>nm)</sup> Feminis pares animo, et veterum scriptorum laudibus, iungamus feminas: [p. 229] nempe uxores Cimbrorum.

De his FLORUS:

Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quam cum ipsis, fuit.

Et mox:

Perinde speciosa mors earum fuit, quam pugna. Nam cum missa ad Marium legatione libertatem ac sacerdotium non impetrassent —— suffocatis elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo e crinibus facto, ab arboribus iugisque plaustrorum pependerunt. <sup>om)</sup>

De mulieribus Scytharum, quae partim ferro, partim suspendio vitam finierunt, vide IUST. 2. 5. <sup>pm)</sup> [p. 230] De Bracaris eorumque uxoribus APPIAN. de bello Hispan. et de Cantabris FLOR. denuo l. 4. c. 12.

sub fin. Hic in notis FREINSHEMIUS,  
exempla, inquit, propemodum infinita reperias eorum, qui libertatem vita redemerunt. <sup>qm)</sup>

De devotis illis Solduriis, quorum multa milia Sertorium comitabantur, et de hoc Hispanico se  
devovendi more, PLUT. in Sertor. Confer. VALER. MAX. 2. 6. n. 11. <sup>rm)</sup>

Celtiberi nefas [p. 231] fas esse ducebant, proelio superesse, cum is occidisset, pro cuius salute  
spiritum devoverant.

Eiusmodi Soldurii erant quoque apud Gallos, aut certe Sotiates Aquitanos, quorum princeps  
Adcantuanus cum DC. devotis, ait CAESAR de B. G. 1. 2. c. 22. quos illi Soldurios appellant: quorum  
haec est condicio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiae dediderint.  
Si quid iis per vim accidit, aut eundem casum una ferant, aut mortem sibi consiscant. Neque adhuc  
hominum memoria repertus est quisquam, qui eo interfecto, cuius se amicitiae devovisset, mori  
recusaret. Non valde abhorret, quod de comitatu principis apud Germanos refert TACITUS de mor.  
Germ. c. 14. <sup>sm)</sup> De Thracibus idem 4. ann. c. 49.

His ditionem [p. 232], aliis mortem et mutuos inter se ictus parantibus. --  
C. 50.

Iuventus Tarsam inter et Turesim distrabebatur. Utrique destinatum cum libertate occidere: sed Tarsa  
properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus clamitans dedit exemplum, demisso in pectus  
ferro, nec defuere, qui eodem modo oppeterent. Turesis sua cum manu noctem operitur.

De Britannis statues, vel ex Boudicea regina, apud TACIT. 14. ann. c. 35. et 37. Ante pugnam hortata  
suos, vincendum illa acie, vel cadendum esse, ait. Id mulieri destinatum. Nec fefellit. Victa enim  
veneno vitam finivit. Idem in Agric. c. 37. quidam inermes ulti ruere, ac se morti offerre. Gallis vero  
in Etruria ab Aemilio cos. profligatis, POLYBIUS tradit, omnes, qui cum rege in propinquum locum  
fugerant, mortem sibi consivisse. Idem complures Gallos, miris casibus ab oppugnatione templi  
Delphici repulsos, fecisse credibile est. Certe dux ipse Brennus pugione vitam finivit. IUST. 1. 24. fin.  
Cativulcum quoque Eburonum regem, et Drapetum ducem rebellantium Gallorum, illum taxo, hunc  
abstinentia cibi sese extinxisse, notum est ex CAESARE de B. G. 1. 6. c. 31. et 1. 8. c. 48. De Iulio  
Floro et Sacroviro vide TAC. 3. ann. c. 42. et 46. De suis CAESAR deceptis et circumventis ab  
Ambiorige 1. 5. c. 37. Alii aegre ad noctem oppugnationem sustinent: noctu ad unum omnes, desperata  
salute, se ipsi interficiunt. De aliis et pluribus infra; atque apud scriptores passim. <sup>tm)</sup>

[p. 233] Sed omnes, inquis utique, isti et viri, et mulieres, et civitates, et populi, male, impie et  
crueliter fecerunt. <sup>vm)</sup> Ast

1. Eiusmodi censurae et voces nudae nihil a theatalibus illis apud Plautum probris differunt:  
Fraudulente, Scelesti, Legirupa, Bustirape, Sacrilegi. <sup>xm)</sup>

2. Non vides, quo demum exeat, quantamque in te quoque ipsum det licentiam haec temeritas  
iudicandi loquendique? Non vides, inquam, licere maledicta tua in [p. 234] te ipsum, idque maiore ac  
liquidiore iure, convertere, dicereque te male, impie et crudeliter agere, qui tanta tot hominum  
populorumque, nullis naturae rationisque dotibus te hic inferiorum, et ad recte de sua salute et  
commodis iudicandum defectorum, consensione damnata, unus cogis omnes crudelissima quaeque, ac  
saepe turpissima pati? <sup>ym)</sup>

3. Id nunc praecise non quaeritur, rectene in rigore philosophico, aut theologico etiam, an secus  
egerint. Neque id necesse est. <sup>zm)</sup> Sufficit factis et exemplis ipsis clarissimis monstrasse, quis fuerit  
divisorum, longe et temporibus [p. 235] et locis a se discretorum, ac plerisque aliis rebus differentium  
populorum, item philosophorum et scriptorum omnium antiquorum communis sensus de morte  
voluntaria: <sup>an)</sup> sicut sufficit, si ex moribus et institutis omnium paene gentium, atque ex iudiciis et  
sententiis omnium prudentiorum ostendero, licere ex gravibus et necessariis causis bella gerere. <sup>bm)</sup>  
Neque causeae meae quicquam officit, si dixeris ac demonstraveris etiam, multos temere, sine iusta  
causa bella coepisse, aut quaedam in illis contra ius, fas ac morem belli fecisse. <sup>cn)</sup> Deinde ex tuo  
moroso, et, [p. 236] ut videtur, supersticioso capite ac cerebro audacter damnas protinus, quidquid tuis

tuorumque opinionibus, vel quidquid regulis ordinariis et generalibus minus convenire videtur: nihil autem clarae solidaeque rationis singulatim affers, contra singulares, inquam, casus et circumstantias, in quibus rem quamque fieri necesse est.<sup>dn)</sup>

4. Ponamus nunc alios et adversos, qui, iuxta tuam, piam scilicet fortemque, opinionem, pie, honeste, fortiter, prudenter egisse existimabuntur, quia hostium libidini se permiserant. De Cremonae excidio TACIT. hist. 3. 33. Quadraginta armatorum milia irrupere. — Non dignitas, non aetas protegebat, quo minus stupra caedibus, caedes stupris miscerentur. Grandaevos senes, exacta aetate feminas, viles ad praedam, in ludibrium trahebant. Ubi adulta virgo, aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapientium divulsus, ipsos postremo direptores in mutuam perniciem agebat. — — — Quidam obvia aspernati, verberibus tormentisque dominorum, abdita scrutari, defossa eruere. Faces in manibus: quas, ubi praedam egesserant, in vacuas domos et inania templa per lasciviam iaculabantur. Huc adde et cogita similia fere, quae cum aliis temporibus, tum in expeditionibus cruciatis, sive bellis sacris, praesertim expugnata Edessa, et demum Ptolemaide contigerunt. De legionibus apud Vetera obsassis idem l. 4. [p. 237] c. 60. Obsessos hinc fides, inde egestas inter decus ac flagitium distrahebant. Cunctantibus solita insolitaque alimenta deerant — — miseriarum patientiaeque documentum fuere: donec egregiam laudem sine turpi macularent, missis ad Civilem legatis vitam orantes. — Tum pactus praedam castrorum. — Ad quintum fere lapidem coorti Germani incautum agmen aggrediuntur. Pugnacissimus quisque in vestigio; multi palantes occubuere. Ceteri retro in castra profugiunt. — Direptis castris faces iniciunt (hostes). Cunctosque, qui proelio superfuerant, incendium hausit. — Ferebatur (Civilis) parvulo filio quosdam captivorum sagittis iaculisque pueribus figendos obtulisse. De aliis legionibus deditis, et a Novesio Bonnaque in Treviros abductis, postea vero pro Vespasiano in Mediomaticos abscedentibus idem c. 72. Convertit inde animos accitarum e Mediomaticis legionum miserabilis aspectus. Stabant conscientia flagitii maestae, fixis in terram oculis. Nulla inter coeuntes exercitus consalutatio. Neque solantibus hortantibusve responsa dabant, abditi per tentoria et lucem ipsam vitantes. Nec perinde periculum aut metus, quam pudor ac dedecus obstupefecerant. En istos tibi egregios et fortes viros, qui, ut postea Augustinus, aerumnosam et turpem vitam magis ferre potuerunt, quam moriendo fugere.<sup>en)</sup>

[p. 238] Denique si tu fallacissima spe vitae et gratiae victoris mavis capi et servire, quam ultro mori, non sequitur, idem omnibus eligendum faciendumque esse.<sup>fn)</sup> Nam et incident tempora et hostes, a quibus capi, cruciari, necari sit idem. <sup>gn)</sup> Exemplum memorabile dat POLYBIUS l. 1. ubi [p. 239] de bello stipendiariorum et Carthaginensium. Illi Gisconem et reliquos captivos extra vallum producunt, singulorum manus praecidunt, membra dilacerant: et ad extremum fractis cruribus adhuc vivos in scrobem quandam coniciunt. Ad haec caduceatoribus et legatis ad se missis ad repetenda cadavera, non tantum ea denegant, sed denuntiant quoque ne redeant, aut alii mittantur: secus idem de illis, quod de Giscone supplicium sumptum iri. Quod reliquum est, sese unanimi consensu constituisse, fixumque animis tenere, ut quicumque Carthaginensium in potestatem suam venirent, duris affecti suppliciis necentur. Hic non praetereunda singularis illa Hannibal, instante pugna Ticinensi, milites hortandi ratio, quam explicat idem scriptor l. 3. Nempe Hannibal, collecta multitudine, captivos Alpinos in medio vinctos constituit. Hi partim diurno labore viae squalidi erant, partim ducis opera macie supra modum affecti. Postremo detractis tunicis caedi loris miserabiliter iusserat. Deinde arma ante pedes eorum proicit, addit equos: hinc captivos rogat, qui eorum singulari certamine contendere velint. Victori munera proponit: victo, ut vita defunctus praesentium malorum angustiis liberetur. Cum omnes ad unum paratos se ad pugnam magna voce proclamarent, sortes deici, et duos forte lectos in pugnam descendere iubet. Id audientes captivi, elevatis quisque in caelum manibus, deos, ut se in id certamen legerent, precari. Deiectis igitur fortibus, ii, quos fortuna legerat, incredibili efferri laetitia, ceteri maesti esse. Ubi vero pugnatum, qui supererant ex captivis, non minus morientis, [p. 240] quam victoris fortunam laudabant. Idem habitus animorum inter Carthaginenses erat. Addidit praeter alia Hannibal: quod si victi cupiditate diurnioris vitae, se fugae committerent, vel alio modo sibi vivendum statuerent, omne genus miseriarum experturos. Hanc eandem fere rationem secutus, demum ipse veneno vitam finiit. VALERIUS MAX. l. 9. c. 2. tradit, eum captivos Romanos oneribus et itinere fessos, infima pedum parte succisa reliquisse. Quos vero in castra perduxerat, paria fere fratrum et

propinquorum iungentem ferro decernere coegisse, donec ad unum victorem omnes redigisset. I nunc, et patere similia, ne videaris ignavus, nec sponte moriaris, futurus fortassis alias immortalis.<sup>hn)</sup>

[p. 241] Superioribus omnibus adice duces et milites, qui, desperatis rebus, pertinacissime pugnarunt, quandoque in confertissimos hostes se proiecerunt: non ut vincerent, sed ut perirent et perderent. Complura rursus exstant eiusmodi exempla in omni historia. Hic mihi, post Leonidam et fortissimos illos Lacedaemonios, cunctis notissimos (quibus adde Locrenses, qui, ut refert IUST. 20. 3. omissa spe victoriae, indestinatam mortem conspirarunt) placet Gisdares Epiota, qui invitatus magnis promissis et gravioribus minis ad dedendam Cephaleniam, alacri vultu, gratias, inquit, vobis agimus, quod nobis, aut vivis, aut mortuis, eximiam constantiae gloriam parituri estis. Nos nullis hominum minis terremur, cum omnibus media in fronte vitae exitum fortuna praescriperit. Dixit et fecit. Nam postea cum omnibus suis (trecenti demum superfuerunt) in summa mortis contentione cecidit. Ita IOVIUS in vita Consalvi l. 1. Idem fecit Nicolaus Serinius a. 1566. a Turcis obsessus Sigeti, et a. 1453. Constantinus Palaeologus, ultimus imperator Graecorum, nisi quod pluribus acceptis vulneribus adhuc vivus, timensque ne in potestatem veniret Turcarum, lamentabili voce exclamasse tradatur, nullumne Christianorum habeo, qui mihi caput amputet?

De Antonianis in pugna Actiaca breviter VELLEIUS l. 2. Illis etiam detracto capite (iam enim fugerat Antonius) in longum fortissime pugnandi duravit constantia; et desperata victoria in mortem dimicabatur.<sup>in)</sup>

[p. 242] Adice demum et separatim, qui ante omnes fere commemorari merentur, eos iuvenes, virgines, matronas, quae, ut pudicitia sua vel illaesa servaretur, vel laesa vindicaretur, vel ne amplius laederetur, similemve ob causam, se aut eos qui laeserant, aut voluerant, interfecerunt.<sup>kn)</sup> De Democle supra dictum. De Lucretia et aliis passim diximus quoque. Miles ille, qui C. Luscium, Marii ex sorore nepotem, de stupro compellantem, occiderat, Mario ipsi probabatur. Ex PLUT. de virt. mul. varia seligi possunt [p. 243] exempla. Micca Elea, ut erat generosa indole magnoque animo, patrem amplexa supplex obsecrabat, pateretur potius mori ipsam, quam turpiter et iniuste virginitate spoliari.

Camma, Sinati Galatiae principis uxor, coacta interfectori mariti nubere, iamque tamquam sancte ad aram Dianaë nuptura, partem mulsi veneno infecti ipsa babit, reliquum scelesto sponso dedit eibendum.

Chiomara capta, et per vim stuprata a centurione Romano, ipsum occidendum curavit, caputque occisi ad maritum pertulit. Timoclea quoque violatam pudicitiam morte fortiter callideque ulta, et ad Alexandrum adducta, mori, inquit, non recuso. Potius enim hoc est, quam viventem aliam talem experiri noctem.

His affines sunt, qui, ut de Spurina VALERIUS, oris decorem vulneribus confuderunt, deformitatemque sanctitatis suae fidem, quam formam irritamentum alienae libidinis esse maluerunt. Infra dicemus de virginibus, quae deformitate tali accersita irritaverunt hostes, sicut destinaverant, ad se trucidandas. Sed pauca sunt, inquis forte, eiusmodi exempla. Quomodo non essent pauca magnae virtutis exempla in tanta cupiditate vitae, in tanto furore libidinis utriusque sexus, in tam levi pudicitiae pretio, in tanta demum et communi fere omnium ignavia, et Christianorum superstitionis formidine?<sup>ln)</sup>

[p. 244] Transeamus nunc ad alia luculentissima exempla voluntariae mortis, eiusque honestae et probatae, apud Iudeos et Christianos, praesertim veteres: qui ambagibus et argutiis relictis, quod natura rectum est, perspiciori iudicio mox deprehendisse, ac firmiori animo complexi videntur. Hic haerent cum novo auctore et duce suo communes magistri; et cum nec damnare ausint, nec iuxta suam opinionem probare possint, audacia et temeritate paene incredibili configunt ad revelationes et iussa Spiritus sancti occulta.<sup>mn)</sup> Sed sic quoque, si non aliud, produnt et fatentur ipsi, opinionem suam esse revelationibus et iussis occultis Spiritus sancti contrarium. Id quod videtur turpe satis et impium. Sed hac de re alibi, ubi pluribus dicetur de Samsone. Interim obiter hic annotabimus, IOSEPHUM antiq. 5. 13. ubi res gestas et mortem illius commemorat, nullo verbo ne suspicionem quidem, non magis quam scripturam ipsam et librum Iudicum, praebere ullius revelationis, aut praecepti divini singularis, quo se

occiderit. Non solet autem IOSEPHUS tacere, quae ad gloriam magnorum suaे gentis virorum augendam faciunt: neque hic tacet ea, quibus vere laudari potuit Samson. Nam dignum est, inquit, laudare virtutem, et fortitudinem, et magnanimitatem huius viri, etiam circa mortem et iram, quam usque ad finem sui contra hostes exercuit.<sup>nn)</sup> Idem l. 6. c. 14. [p. 245] referens ultima Saulis regis, ea in immensum extollit. Armigerum vero Saulis, viso domino ex~~s~~tincto, cui paulo ante petenti supremam operam denegaverat, ipsum se occidisse, [p. 246] notum est.<sup>on)</sup> Porro de Ratzia haec leguntur 2. Machab. 14. Cum iam comprehenderetur, gladio se petit, eligens [p. 247] nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis iniuriis agi. Idem deinde se praecipitavit, et vivens adhuc intestina complexus utrisque manibus proiecit.<sup>pn)</sup> Et 1. Mach. 6. Dicitur Eleazar dedisse [p. 248] se, ut liberaret populum, et acquireret sibi nomen aeternum. Et ivit sub pedes elephantis, et supposuit se ei.<sup>qn)</sup> Mentio huius Eleazari in mentem revocat insignia illa pietatis in patriam exempla, de quibus scriptores passim, et summatim VALERIUS MAX. 5. 6. Huc spectat in primis M. Curtius, qui se in vastum illum terrae hiatum in media parte fori Rom. praecipitem cum equo egit.<sup>rn)</sup> Deinde [p. 249] uterque Decius:<sup>sn)</sup> tum Codrus:<sup>tn)</sup> denique Philaeni fratres,<sup>vn)</sup> qui se vivos obrui passi sunt. His adde Aegisteum [p. 250], vel Anchurum, Midae filium,<sup>xn)</sup> Bulen et Sperchen Lacedaemonios,<sup>yn)</sup> Agesilaum, Themistoclis fratrem [p. 251]:<sup>zn)</sup> de quibus ex variis STOBAEUS serm. 7. de fortitud. Sed haec obiter.

Iam ante sub ipsa initia motuum, et velut certaminum cum crudelitate et atrocibus minis Antiochi Epiphanis, complures Iudeorum mortem simplicem et facilem occuparunt, ut variam vel longam cum tormentis evitarent. Clare IOSEPHUS l. de Machab. sive de imperio rationis, decretis Antiochi commemoratis, sed haec, inquit, parvi pendebat multorum mens pura credentium; ita, ut mulieres circumcisio parvulis suis in praeceps se demitterent: quippe quae vitantes longiora tormenta celerem halitum ingestae mortis oppeterent. Videns ergo e Antiochus legis timore haec ab eis fieri non posse, cum omnes ad exitium sponte properarent etc.<sup>ao)</sup> Ante haec quoque Hircanus [p. 252], vir egregius et magnahimus, filius Iosephi, (hic Oniae sacerdotis ex sorore nepos erat) timens tamen, ne comprehensus ab Antiocho tormentis afficeretur, ob ea, quae contra Arabas egerat, vitam, ait IOS. antiq. 12. 5. propriae manus internectione concluserat.<sup>bo)</sup>

[p. 253] Sed magnam eiusmodi exemplorum copiam dedit vel solum bellum Iudaicum. Ac primum quidem in obsidione Iotapatae multi ad extrema redacti morti ulti se, solo moriendi animo obiecisse videntur. Mox expugnata urbe et multitudine omni occisa, cum Iosephus ipse in puteum eique adiunctum specum descendisset, ibique biduo cum XL. strenuis viris latuisset, a muliere captiva indicatur. Tum Vespasianus missis duobus chiliarchis, et tertio Nicanore, saluteque et venia data Iosephum evocat. Dum is talibus blandimentis evictus in eo erat, ut se traderet Nicanori, reliqui omnes circumfusi clamare, obiectare ei imprudentiam, inconstantiam, simulationem, cum multis antea persuasisset pro libertate mori; ignaviam, defectionem a legibus patriae, immo ab ipsa quasi natura Iudeorum, quippe quibus Deus mortem contemnentes animas indidisset. Demum, sed quamvis te, inquiunt, Romanorum fortuna oblivione tui perfuderit, nos tamen patriae gloriae consulentes, et dextram tibi et gladium commodabimus. Tu vero, si quidem sponte moriare, dux Iudeorum; si vero invitus, proditor morieris. Neque hic paucorum tantum Iotapatanorum, sed communis omnium Iudeorum, et praecipue Hierosolymitanorum sensus erat: ita quidem, ut fama rei secutae ad eos perlata, odio IOSEPHI, tamquam ignavi legis praceptorum proditoris, eo [p. 254] acrius in Romanos accenderentur. Interea nunc Iotapatanii, intentatis Iosepho gladiis, protinus se eum occisuros minabantur, si Romanis se traderet. Hic deprehensus, longam satis ad eos orationem habuit: quam, quia invictas contra omnem mortem voluntariam continere rationes dictitatur, totam infra repetemus, hic monuisse contenti, eum ne verbulo quidem tetigisse, aut vel subindicasse praceptum, *non occides*; neque aliud ullum scriptura comprehensum: id quod compendiosissimum et efficacissimum fuisset utique argumentum, protinus rem totam conficiens, et Iosephum invidiosissimo saltem crimine proditionis praceptorum divinorum absolvens: per multa vero, quae praesens necessitas suggestit, partim levia et inania, partim aliena et falsa frustra vagatum, atroci tandem et inaudita fallacia, vel arte se expedivisse. Quoniam mori, ait, decretum est, agite, caedes mutuas sortiamur: et cui obtigerit, manus sequentis occumbat, atque ita omnium fortuna perambulet. Sic omnibus imperfectis Iosephus cum uno

promissis delinito evasit. Inde certissimum denuo, nec vulgus Iudeorum, nec sapientes et sacerdotes eorum, nec Iosephum ipsum novisse ullam legem praceptumve divinum, quod omnes et singulos homines semper et ubique obligaret ad servandam vitam, quantumcumque miseram, turpem ac probrosam. *Immo* contraria sententia fuit adeo recepta universim probataque, ut Iosephus ne in ultimo quidem discrimine, in quo tamquam proditor legis divinae versabatur, ausus sit ullum tale praceptum allegare, nec nova audacique explicatione pervertere, ac verba quaedam quomodocumque detorta ignaviae, vel opinioni suaे prae texere.<sup>eo)</sup>

[p. 255] Brevi post expugnatam Iotapatanam capta quoque aut recepta Ioppe, cum oppidani ad naves confugissent, exorta tempestate pars fluctibus hausti, pars a Romanis trucidati. Nonnulli autem ferro se interficienes, veluti satius esset ultro mori, praeveniebant.<sup>do)</sup> Expugnata quoque demum Hierosolyma [p. 256] plus quam duo milia, alii manu sua, plures mutuis ictibus se interfecerunt.<sup>eo)</sup>

[p. 257] Prae omnibus memorabiles sunt nongenti illi et sexaginta fortissimi Massadani, sive Iudei Massadae a Romanis obsessi. Hi in pari necessitate par idemque consilium, quod olim Saguntini, Numantini, aliique ceperunt et exsecuti sunt, acerime et facundissime dicente duce eorum Eleazaro. Laudaverunt et admirati sunt raram fortitudinem, mortisque ac vitae contemptum hostes ipsi.

Orationem istam sive Eleazari, sive Iosephi, una cum priore memorata suo loco reddemus.<sup>fo)</sup> Interim obiter denuo observandum, nullam uspiam fieri mentionem pracepti illius divini, tamquam necem sui perpetuo vetantis: neque ab Eleazaro suadente, qui ante omnia tantum obstaculum videre ac removere debuisse; neque ab omnibus illis, quibus [p. 258] is rem omnium difficillimam, et naturali vitae amori valde repugnantem, tam feliciter persuasit, ut cuncti laetissimo animo mortem oppeterent.<sup>go)</sup>

Inde manifeste consequitur, sensum istum et explicationem nunc vulgarem toties dictorum verborum, *non occides*, a posterioribus Christianis, quocumque demum, certe malo exemplo excogitatam.<sup>ho)</sup> Profecto introducto [p. 259] semel more trahendi verba scripturae in eum, qui cuique, aut partibus collibuit, sensum Christiani infinitis se ipsos ac numquam finiendis implicuerunt quaestionibus et controversiis, atque inde tot quoque, ut necesse erat, perturbationibus, furoribus ac malis, quae in humanam vitam umquam incidere possunt; quibusque rem Christianam olim amplissimam ac florentissimam indies labefactarunt, ad easque demum angustias et miseras, in quibus nunc versatur, redegerunt. Ex eodem fonte promanant ingentia illa et sempiterna dissidia circa mores et officia, circa honestatem ac turpitudinem multarum actionum humanarum: dum quod hi ex scriptura bonum, sanctum, pium, iustum; illi ex eadem malum, impium, superstitiosum, sceleratum esse demonstrare conantur. Confer theologiae morales Catholicorum ac Protestantium; et non dubitabis. Hic memento saltem sacrificii Missae, et circa id officiorum: memento cultus sanctorum et imaginum: memento eorum, quae Pontifices Romani, inde a Gregorio VII. praesertim, auctoritate vel specie verborum, pasce [p. 260] oves meas, partim temptarunt, partim perfecerunt. Cogita, quid de his cunctis aliisque similibus iudicent Catholici, quid Protestantes.<sup>io)</sup>

Ceterum ex Christianis quoque, praesertim priscis illis, aut Augustino saltem antiquioribus, magnus occurrit numerus eorum, qui mortem sibi conciverunt, partim accelerarunt, partim, cum latere et effugere potuissent, morti se ultro obtulerunt, eius utique cupidi, et quantum in ipsis erat, eam in se attrahentes: demum id egerunt, ut humanitus ipsis pereundum esset.<sup>ko)</sup>

[p. 261] An id fortasse non vocas occidere, quia non suis manibus, et quia mors quandoque non est secuta? Loquimur autem de animo et proposito moriendi, quod si turpe sit vel honestum, nihil interest tuis an alienis manibus utaris; et mors sequatur, an non.<sup>lo)</sup> Commemorari vero et laudari legas a patribus ipsis haud paucas feminas, matronas et virgines, quae sola aut praecipua servanda pudicitiae causa se ipsis varie peremerunt: vel gladium in viscera adigendo, vel ex alto se deiciendo, vel in fluvium vicinum se immergendo.<sup>mo)</sup> Apollonia vero ultro se in [p. 262] praeparatos ignes coniecit, ac sancta, ut quidem ait, impatientia mortem praevenit. Fecit utique, ne oculis (nam hi in talibus primi vincuntur) vel conspectu diuturniore ignis nutaret, ut fit, ac debilitaretur animus.<sup>no)</sup> Eandem [p. 263] ob causam trecenti Valeriano Imp. se praecipites iecerunt in fornacem calcariam: qui in pulverem redacti, *massa candida* fuerunt appellati.<sup>oo)</sup> In vitis vero sanctorum Ioannicius quidam, cum turpibus

urgeretur cogitationibus, draconi se devorandum obiecissem; <sup>po)</sup> et Martinianus in ignem primum, deinde in mare se coniecssisse traditur. <sup>qo)</sup> CHRYSOSTOMUS hom. 4. in Matth. ait veri simile, aut naturae et rationi consentaneum videri, ipsam b. virginem, nisi prius ab angelo edoctam, pudore ignominiae, ac si ex illicitae [p. 264] Veneris usu concepisset, sese interfectoram fuisse: ἐπὶ βρόχον ἔλθεῖν, καὶ ἐπὶ ξύφος, οὐ φέρουσαν τὴν ἀισχύνην. Hic vides saltem consilium et impetum naturae proprie humanae, indolisque et animi erectioris, famam ac honorem pluris quam vitam aestimantis. <sup>ro)</sup>

[p. 265] Cum primis vero hic memorandum illud in universum martyrum genus, qui *Professores* dicti: nempe, qui mortis et immortalitatis desiderio ipsi se profitebantur, et occisuris offerebant. De his TERTULLIANUS ad Scapulam:

Arrius Antoninus in Asia, cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia eius se manu facta obtulerunt, cum ille paucis duci iussis, reliquis ait, ὁ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. Hoc si placuerit et hic fieri, quid facies de tantis milibus hominum, tot viris ac feminis, omnis sexus, omnis aetatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi?

Haec ille. <sup>so)</sup> Iam quaeras quaecumque velis ac possis effugia, id certe constabit, et ratum fixumque manebit: si nemo sit dominus vitae sua; si absque ulla exceptione semper et ubique nefas se ipsum emittere, vel interficere; nefas quoque erit interfectoris [p. 266] ultro se offerre, et id agere, ut interficiaris. Non est ea iustitia, quae sui violationem votis expetit: nec pudica est, quae libidini aliorum se offert, et quasi rapi cogiue ad stuprum desiderat. Immo turpius, licet speciosius aut occultius est impudica, quae simulat se cogi ad id, quod ipsa vult et cupit. <sup>to)</sup> Sed et difficilius ac fortius est, atque a cupidine gloriae remotius, tacite et secreto se ipsum ac solum e medio tollere, quam facere ac velle, ut id fiat ab aliis, et publice, inter multa aliorum exempla, et ad fortiter moriendum incitamenta ac solacia. <sup>vo)</sup> Sed hunc quidem moriendi [p. 267] et se educendi modum minus probatum fuisse nonnullis Christianorum, sed molioribus fere, easque vitae et salutis expediendae rationes secutis, quas alii vicissim damnabant, <sup>xo)</sup> mox dicam: nunc prius dicendum de *Parrhesiastis* illis, qui professores ipsos superarunt fere, quique ferocia quadam, quandoque, ut saltem videri potest, intempestiva, praecipi, abscissa, loquendi, irridendi, insultandi, accusandi, damnandi a fide alienos, eorumque instituta et mores, mortem sibi accelerarunt. <sup>yo)</sup> Horum [p. 268] agmen ducere videtur S. Stephanus, in actis Apost. qui obiter percursa vetere gentis Iudeorum historia, adductoque demum loco prophetae, caelum mihi sedes est, ex abrupto intonat: dura cervice et incircumcisi corde et auribus. <sup>zo)</sup> De S. Laurentio refertur, quod rogatus ubi essent [p. 269] thesauri ecclesiae, adduxerit greges pauperum, hi, inquiens, sunt thesauri. <sup>ap)</sup> Mennas miles, natali Diocletiani die, quo populus celebri spectaculo tenebatur, e solitudine, in quam fecesserat, in theatrum progressus, superstitionem insectatus narratur. <sup>bp)</sup> Iisdem temporibus Marcellinus [p. 270] papa, cum prius simulacra ture adolevisset territus, deinde resipisset, Diocletianum adisse fertur, et graviter accusasse, quod se ad tantam impietatem impulisset. <sup>ep)</sup> Eundem [p. 271] imperatorem Sebastianus quoque liberius ob iurgasse traditur. <sup>dp)</sup> Sub Decio <sup>ep)</sup> autem Venantius toties tortus [p. 272] et pro mortuo habitus, toties se vivum mox praesidi Camerini, tamquam crudelitatem eius subsannans, obtulit. Eadem [p. 273] tempestate Porphyrius quidam presbyter somnium quoque aliquod praesidi narrasse dicitur: nempe se per visum noctu populos, quos Venantius aqua tingebat, clarissima luce fulgentes, ipsum vero praesidem obscurissima caligine opertum vidisse. Multis ob hanc haud facile, in talibus praesertim, tolerabilem loquendi libertatem ora lapidibus prius contusa fuerunt: uti XL. militibus illis, quorum martyrium celebrat ecclesia Rom. 10. Martii. <sup>fp)</sup>

Nunc redeamus ad illos, se profitentes et morti offerentes, ideoque minus Christianorum quoque nonnullis, nedum exteris probatos. <sup>gp)</sup> Neque id mirum. Nam cum unaquaque res habeat, ut ait EPICTETUS, duas ansas: alteram [p. 274], qua apprehensa vituperari; alteram, qua laudari, aut excusari saltem possit: id magnis praesertim exemplis commune, laudari ab his, culpari ab illis. Magno ad ea vel impetu, vel animo et virtute opus est, quae plerisque deest. Itaque haud facile probant, quae imitari praestareque nequeunt. Deinde nec omnibus eadem, et iisdem semper modis agenda sunt. Honeste, ac rationi convenienter agendi, vel virtutis multae species sunt, quae pro varietate vitae, vel pro discrimine personarum, temporum ac locorum explicantur. <sup>hp)</sup> Ex Christianis vero, quibus displicant

professores nostri, est CLEMENS, qui strom. 4. τούτους, inquit, ἐξάγειν αὐτοὺς ἀμαρτύρως λέγομεν, καὶ δημοσίᾳ κολάζονται. Sed Clemens erat in molliore illa Christianorum secta et sententia, TERTULLIANO graviter damnata, de qua mox. Interim nota Clementem diserte dicere eos, se educere ipsos, quamvis ab aliis occiduntur: nec ideo tamen damnare tamquam sceleratos et impios homicidas, violantes legem divinam et praeceptum, *non occides*; sed de negare tantum eis martyrii veri gloriam. Eundem in universum probare εὑλογον ἐξαγωγήν, infra dicemus. Porro Mensurius quoque, episcopus Carthaginiensis, fertur eos, qui [p. 275] gravi Diocletiani edicto iussi tradere sacros libros, hos se habere, sed minime tradituros esse, professi erant, martyrum numero exclusisse. Hac tempestate, lapsorum nominibus aliquot distinctorum: uti *sacrificatorum*, *turificatorum*, *idololatrarum*, *libellaticorum*, qui libellos impunitatis emerant: ordinibus accesserat novum genus, quod a traditis libris *traditorum* nomen accepit. Et ex hoc genere putatur fuisse Mensurius ipse; ideoque professis illis iniquior. Sed nec Mensurius traditor, nec illi vere martyres fuerint: nihil ad rem, de qua agitur. Nihilo enim secius appetet, posteriorem AUGUSTINI de morte voluntaria, et sensu verborum, *non occides*, opinionem, non fuisse prioribus Christianis agnitam et receptam; sed factis potius exemplisque variis luculenter damnatam.<sup>ip</sup>

In transitu hic monebo, vel lapsos ipsos, et moderationia de illis recipiendis decreta, nostram de facultate sponte moriendi quandoque sententiam solidissime confirmare, Augustinianam vero penitus subvertere. Nam et ex lapsu, et ex restitutione lapsorum, ad hoc ex causis restitutionis evidentissime appetet, esse ac contingere quaedam, quae alioquin fortes etiam et constantes viros subigunt, et partim ad desperationem, partim ad turpia quaeque compellunt [p. 276], aliterque vitari nequeunt, quam per mortem tempestive et fortiter occupatam. Itaque vel licebit quandoque sponte mori, adeoque falsum est id verbis, *non occides*, semper vetari; vel necesse erit, deficiente animi et virtutis robore, malis succumbere, desperare, fidem, pietatem, virtutem prodere et perdere.<sup>kp</sup>

Nunc paucis de molliore, quam significavi, apud priscos Christianos secta et sententia dicam. Annotavit autem BARONIUS, ad A. C. CCV. et ex illo auctor epitomae Baron. atque illud, inquit, nequaquam est dissimulandum, plerosque insignes viros non solum intemperata vita pericula aliquando vitasse, sed etiam pecunia redemisse; neque privatim tantum, sed totius quoque coetus Christiani nomine [p. 277] collato aere, ut pie licet vivere, tributum penfittasse. Hunc morem quamvis divina lege permisum — — TERTULLIANUS, ex Montani haeresi anterior factus, pro sua dicendi facultate acriter insimulat, et Catholicos, quod, ut ait, inter tabernarios, lanios, fures balnearum, aleones ac lenones, vectigales scriberentur, mire traducit.<sup>lp</sup> De [p. 278] fugientibus, et mortem, tormenta, pericula labendi fuga vitantibus dicetur inferius. Hic velim obiter observes

1. Morem istum dici divina lege permisum: cum tamen vix uspiam in omni scriptura existet lex, quae eius rei vel mentionem ullam faciat; nedum eam probet aut permittat. Immo TERTULLIANUS, variis scripturae locis, indeque, et ex ratione depromptis argumentis, ostendit, esse illicitam et dishonestam. Ita quidam ex script. extorquent, faciuntque, eam damnare, probare, permettere quidquid voluerint; adeoque utuntur scriptura interdum tamquam mantelo mendaciis et superstitionibus, aut certe mendacio similibus [p. 279] opinionibus. Dicitur autem legatus Venetus aliquando per risum iocumque rogatus a pontificio, ubi existaret donatio, qua Alex. III. papa concesserit Venetis dominium maris Adriatici, argute respondisse: quaere donationem Constantini, alteraque pagina invenies donationem Alexandri. Ita hic fere dixeris eis, qui nesciunt et negant lege divina permisam mortem voluntariam honestam: quaerite primum legem diu. quae permittit Christianis sub pecunia et tributo latere inter fures, ganeones et lenones: ea vero inventa mox invenietis alteram illam legem, quae in magna necessitate permittit mortem sine dubio honestiorem emendicata quasi, aut vili tributo redempta vita.<sup>mp</sup>

[p. 280] 2. No id semper verius et melius esse, quod est speciosius, aut austrius asperiusque. Audis hic Montani, vel Tertulliani [p. 281] disciplinam, Psychicorum, quos ipse vocat, instituto, adeoque veritate, ut vis, et virtute ipsa austriorem fuisse. Igitur fuerit quoque speciosius, austrius, gravius et constantius, perferre quoscumque dolores, cruciatus, contumelias, deliria etiam et furores, denique stupra et adulteria, quam ultiro mori: non ideo sequitur, verum esse, quod alterum semper fieri debeat,

alterum vero grande sit nefas. Adde quod plerumque magis respiciendum et sequendum id, quod est cautius et tutius, quam quod animosius ac fortius videtur. <sup>np)</sup>

[p. 282] 3. Oratoriam vel declamatoriam illam pompam, et disserendi, etiam ex scriptura, rationem, non Tertulliano soli, sed cunctis fere patribus familiarem, veritati saepe numero obstare ac nocere: quia eam reddit suspectam, deformem, invisam, et, ut ille modo de Tertulliani facundia dixit, mire traducit. <sup>op)</sup>

Itaque habemus hic consensum omnium gentium ad ea usque tempora, quibus post quattuor amplius milia annorum auctoritate solius Augustini invaluit nova et contraria opinio: habemus etiam magna exempla Iudeorum et Christianorum ipsorum, qui sophismatibus, quae non nemo vocat, animi timidi contemptis, vel communi ignavia, cupiditate vitae, credulitate proculcata, altius animum erexerunt [p. 283], et eam, quae se offerebat, mortem, arripuerunt, aut ei se obtulerunt. <sup>pp)</sup>

His aliisque addideris demum eos, qui proprio velut nomine aut cognomine *Donatistae* vocabantur. <sup>qp)</sup> Hic, nisi me valde genius et mos tuus fallunt, exclamas statim, et irridens egregium, inquis, veritatis symbolum, quod a schismaticis, nisi haereticis etiam, confertur. Ac si falsum et malum esset quidquid isti omnes, quos eiusmodi nominibus infamas, dixissent et egissent; verum autem bonumque quidquid novi saltem in philosophia, ratione et natura schismatici ac haeretici temere credere sub senium quasi mundi coeperunt: sed nullus utique omnium horum certis et conspicuis factis ac exemplis in hunc usque diem demonstravit, se omnia, ob quae permissam dicimus mortem voluntariam, pati potuisse, nedum alios omnes pati posse ac debere. Est vero Donatistarum eo maior hic auctoritas, tot aliorum, nihil fere praeterea commune cum ipsis habentium, immo ipsis ignorantium auctoritati coniuncta; quo et ipsi alioquin dissentientes, nec in aliorum sibi hic consentientium gratiam, nec in schismatis, ex pertinaci Caeciliani [p. 284] ambitione nati, nullam cum eo cognitionem habente morte voluntaria, privatum commodum aut stabilimentum aberrasse, vel aberrare voluisse, ulla cum ratione existimari possunt. <sup>rp)</sup> Rursus eo maior est hic Donatistarum auctoritas, quo illi proprius ad priscos illos Christianos accesserint, et eorum vestigia presserint. <sup>sp)</sup> Ne repetam, iam inde a Constantino posteros a maiorum suorum virtutibus praecipi fere cursu descivisse: ideoque non mirum, si antiquorum morum et exemplorum imitatores vituperent invidi, ac fortasse dominandi saeviendique licentiae, quam [p. 285] mors sponte capta coercet, cupidi. <sup>tp)</sup> Praeterea non agitur nunc, vel de uno alterove verbo aut adverbio: ut puta ὄμοούσιος, θεοτόκος, ἀσυγχώτως: ad quod ex scriptura eruendum aliquot centenis episcopis ex toto orbe Christiano post quaedam temporum intervalla congregatis opus est: vel de obscuro et abstruso quodam fidei Christianae capite, quod non nisi acutissimi praesules recte intelligere et explicare, atque illi soli, qui in unum aliquod doctrinae systema, ex scientia vel simplicitate, sponte vel vi, spe vel metu, rite credere tenereque possint. Ad haec cum Donatistae neverint utique istud omnibus et lippis, ut dicitur, et tonsoribus notissimum, *non occides*; aeque etiam ac hostes sui legerint scripturam: itaque si deprehendissent exstare, (uti necesse videtur, si clare exstaret) praeceptum aliquod divinum, quo poena mortis aeternae vetaretur, omnis mors voluntaria: incredibile est, ipsis hanc mortem decretis firmaturos, atque factis occupaturos. Donatistas autem, vel Donatum saltem ipsum fuisse amentem et insanum, credat, qui volet et poterit, vel atrocitate ac ipsa narrationis serie incredibilia et sibi repugnantia fingentibus. <sup>vp)</sup>

[p. 287] Praeter alia, Caecilianum dicunt, Mensurii diaconum, fuisse A. CCCVI. legitime electum. Omitto Mensurium non fuisse adeo bonae notae, et integrae famae: nec decorum fortassis, et huic tempori conveniens, subito diaconum, praeteritis omnibus, tamquam vilibus et indignis, antistitibus facere primatem et episcopum Carthaginis, in tantoque dignitatis fulgore collocare. Sed haec sinamus. A quibus vero sivit Caecilianus electus? Scilicet a vicinis, inquiunt, episcopis cum consensu cleri et populi. Ast eodem hoc anno LXX. vicini episcopi, atque Carthagine quidem collecti, re haud dubie, nec ea valde ardua, examinata, electionem Caeciliani, aliquorum insuper criminum rei, illegitimam, nullo iure moreque bono factam declararunt, et Maiorinum episcopum crearunt, plerisque, quantum appareat, e clero populoque Carthaginiensi eum recipientibus, atque ipsi, et successori Donato, aliisque, postea constantissime adhaerentibus. <sup>xp)</sup> Ubi nunc episcopi electores, clerusque [p. 287] et populus Caeciliani? Cur ipsum sibi probatum et placentem non sunt tuiti? Cur passi sunt alienigenas in ipsa

sede episcopali dominari, pastoremque suum in ipso recentis [p. 288] studii ardore infamare ac pellere? Cur alium sibi in visum obtrudere? An paucis inermibus episcopis totus ingens populus Carthaginiensis resistere nequiiit?<sup>a<sup>p</sup></sup> Rursus A. CCCVIII. episcopi CCLXX. Carthagine congregati Caecilianum damnasce traduntur. An ne id quidem in tam levi et facili causa satis est?<sup>b<sup>p</sup></sup> Quod si Lucilla quaedam Hispana opibus suis partes episcopales contra factiunculam diaconi iuverit; nihil id mali, nec quicquam ad rem.<sup>a<sup>q</sup></sup> Sed videtur [p. 289] fabula et inane commentum, quale alias quoque frequenter, tamquam adornandae scenae, interseri solet.<sup>b<sup>q</sup></sup> Sed sit verum: profecto id, quod supra dictum confirmat: nempe episcopos, nedum alios Christianos, his pacatis laetisque Constantini temporibus, penitus degenerasse a maioribus suis, magistrosque et exempla variorum potius vitiorum, quam virtutum fuisse: ceu ex Caeciliano saltem ipso factisque eius patuit. Putemus enim, eum fuisse innocentem: putemus, bene legitimeque electum, cum vero nunc famam, honorem, dignitatem suam sine ingentibus malis, ecclesiaeque ac imperii civium dissidiis defendi non posse videret: quomodo non, vel hoc ipso nocens et improbus, certe ambitione multis ethnicis, sanctis, ut de Iunio Blaesio singulatim Tacitus, inturbidis, nullius repentinae honoris appetentibus, immo oblatum ingestumque recusantibus, deterior ille, qui privatum qualecumque commodum ac decus publicae quieti, concordiae et saluti anteposuit; et Carthagine dudum causa cognita a tot episcopis damnatus, anxia, turpi, nova, vel numquam per septem quoque octove annos intermortua cupidine flagitavit in alia orbis parte, Romae et Arelati, coram alienis et remotis tribunalibus, quibus vix licuit retractare hanc causam, alioquin etiam ex se nihili (quid enim rei publicae vel ecclesiae interfuit, Caecilianusne, an aliis esset episcopus Carthaginis?) absolvit et restitui, vel obtrudi? Porro, si quid prudentiae, [p. 290] aut sanae saltem mentis iudiciique habuisset, qui potuit sperare, ut postquam ipse solus, vel cum paucis, duorum conciliorum, et CCCXL. episcoporum, civium ac propinquorum, certe Africanorum sententias sprevisset, tot episcopi, et maior utique pars Africæ Christianæ exterorum opinionibus ac libidinibus acquiescerent? Et quid aequius, utrum ipsum tot episcopis, an tot episcopos aliquos ipsi cedere ac succumbere? Quid etiam credibilius? Utrum ipsum non fuisse legitime electum, an tot episcopos fuisse caeos, stultos, avaros, iniustos, sceleratos? Itaque schismatis non alia potior causa fuerit, quam pertinax ambitio Caeciliani, sive nocentis et obrepentis, sive innocentis et a nonnullis quocumque modo electi. Certe magna hic latent, immo patent Christianorum, etiam praesulum et episcoporum, atque vel Africanorum, vel Romae et Arelati congregatorum, vel utrorumque vitia, ob quae merito contempnendi.<sup>c<sup>q</sup></sup>

[p. 291] Sed Donatus, inquiunt, fuit insanus, tumidus, superbus. Qui magis saltem quam Caecilianus? Fuerit is denuo innocens, et iniuste proturbatus: nulla est Donati culpa, qui non nisi aliquot post annis Maiorino rite successit, episcopis, clero et populo supra modum addicto devotoque, ut traditur, approbantibus. Deinde, si nihil aliud, certe Donatus fuit homo ratione praeditus: fuit Christianus, et inter Christianos [p. 292] natus et educatus: fuit sacerdos et episcopus: fuit doctus et eloquens, ceu vel hostes ipsi fatentur: fuit tanta apud suos et intimos, qui optime eum noverant, vitamque et mores eius perspicerant ac probaverant, sanctitatis opinione, ut ipsum omnis peccati purum et immunem credidisse narrentur. Reliqua, quae nugatores potius quam scriptores addunt, exaggerant et fingunt utique, referenda sunt ad Palaephati incredibilia.<sup>d<sup>q</sup></sup> Credita vero vergunt ad communem omnium Christianorum infamiam, faciuntque, ut credi possit, nihil esse illis stultius, et facilius ad quaevis credenda.<sup>e<sup>q</sup></sup> Sed de his satis, praesertim quia schisma istud, cum sua origine et causa, nihil ad nostrum propositum [p. 293]: et quia nostris praecipue temporibus ex concertationibus et diversis historiis Catholicorum et Protestantium notissima est singularis illa proterve mentiendi calumniandi libido. Itaque hac ego crediderim Baronum et alios insanire, qui Donati asseclas, insanum, ut loquuntur, ductorem doctoremque secutos, eo dementiae devenisse dicunt, ut praepostero martyrii desiderio ac studio praincipites se ipsos dare, aliove mortis genere perire gloriosum putaverint. Dempo his verbis mendacio, veneno et fuko, id re ipsa dicitur, Donatistas imminentे gravi necessitate, qua aut hostibus demum consentiendum et succumbendum, aut probrosa et amara mors subeunda, aut vita morte peior trahenda, elegisse mortem voluntariam: idque iuxta sanam utique rectamque rationem, quae sine dubio dictat mortem subitam ac minus acerbam, suo cuiusque arbitrio electam, esse preferendam cunctis et eculeis, et scorpionibus, et cratibus ferreis, et ignibus, et omnibus demum tormentorum generibus:

praeferendam quoque vitae inter ista aliaque eiusmodi, quae constantes quoque viros fregerunt, toleratae: denique praeferendam, vel famae ac opinioni maioris fortitudinis, vel manifesto periculo conscientiam laedendi, et sive occultae fraudi, sive apertae violentiae hostium cedendi. <sup>fg)</sup> Patuit autem compluribus magnisque exemplis, [p. 294] etiam sub principibus Christianis, leviores longe et breviores molestias terruisse, concussisse ac subruisse ipsas quoque, ut dicunt, columnas fidei et ecclesiae, ipsos quoque heroas, ut iactantes vocant, Christianos: Liberum papam, Osium, et omnes paene episcopos Ariminii congregatos (ut taceam, quos in impatientiam, iram, et furorem fere, indeque in turpissima contra principes ipsos convicia, et velut latratus impulerunt mala quaedam, ut dixi, leviora) quo tempore totus orbis, ait S. Hieronymus, miratus est se subito factum Arianum. Sive autem episcopos istos inscientiae, aut simplicitatis, qua ab Arianis decepti dicuntur; sive ignaviae et timiditatis, qua minis Tauri, et paene umbris larvisque malorum vulgi fracti sunt; sive demum utriusque potius damnaveris: et ingenio, providentia, cautione; et animo, fortitudine ac constantia a Donatistis vincuntur. <sup>gq)</sup> Credulitas vero et supersticio, quibus magis quam [p. 295] Arianorum fraude capti ac decepti putaverunt, nefas sponte mori potius, si ea fuisset necessitas, quam falsa et impia dogmata recipere ac probare, quaeque mox minis sibi timentes revocasse feruntur, simplicitatem, aut stultitiam potius et ignaviam adeo non minuit, nedum omnem tollit, ut aggravet etiam. <sup>hq)</sup> Stultum est, immo impium, facere Deum, vel verbum eius praeceptumve ignaviae sua velamen. <sup>iq)</sup> Stultum est, vitia sua aliis hominibus, aut rebus [p. 296] externis imputare, ac velut obtrudere. <sup>kq)</sup> Stultum est, heroem se putare, et iactare omnia se passurum, cunctorumque conscientiam eo obstringere, atque levioribus tamen malis, aut minis dumtaxat succumbere. <sup>lq)</sup> Stultum est alligare, more Pharisaeorum, onera importabilia, saltem quae ipse ostendis te portare non posse, eaque umeris [p. 297] omnium hominum imponere. <sup>mq)</sup> Stultum denique, exspectare, ut Deus sine te faciat, quod ipse per te honeste facere potes. <sup>mq)</sup> Vides honestum ei vile esse, cui corpus nimis carum. <sup>oq)</sup> Vides, quantum malifaciat cupido vitae, et rerum ad eam pertinentium. <sup>pq)</sup> Vides, quanta flagitia et immortalia vitae dedecora morte caveri ac vitari possint. <sup>qq)</sup> Vides vitam, si moriendi virtus abest, servitutem esse. <sup>rq)</sup> Denique vides, quo his et insequentibus temporibus prolapsa descenderit prisca Christianorum virtus et fortitudo. <sup>sq)</sup> Itaque dum de hac agitur, nullius minus [p. 298] quam posteriorum doctorum verbis et exemplis est fidendum. Ipsi enim heroes fidem prodiderunt, ne minas et levissima quaedam incommoda paterentur. Quid ergo ipsos, nedum alios, rudes et infirmos, facturos fuisse verisimile est, si inter tormenta veterum, et ubi fortiores mortem arripuerunt, constitissent? <sup>uq)</sup>

Porro de Donatistis haec refert epitome Baron. ad A. C. CCCXIV. Novum adversus Donatistas Honori rescriptum legitur, quo et hereditates capessere er testari sunt vetiti: tum eorum antistites facultatibus exuti, deportari iussi. His auditis, coacto propere eius sectae episcoporum coetu, omnium NB. calculo decretum est, deportationes, et si quae alia a praefectis ingruerent, morte voluntaria anticipanda. Hic effundas licet consumasque omnem maledicendi rabiem, et ad ravim usque dementiam esse vocifereris; numquam efficies tamen, ut Donatistae credantur non intellexisse verba, *non occides*: <sup>vq)</sup> numquam sagacioribus [p. 299] persuadebis commentum interpretationis Augustinianae, cum tota ei superstructa opinione non fuisse his temporibus novum, et Christianis ipsis antea ignotum, nec receptum: numquam rationem ita vinces, ut generosiores non probent et laudent decretum, consilium, animumque praesulum istorum, dicantque: id quidem est iniquitati temporum et fortunae invidiam facere: id est, ostendere, prudentes et fortes viros per ea ipsa, quibus illos circumveniri, includi et capi putas, elabi; atque dum alia omnia sunt in aliena potestate, conscientiam et vitam esse in sua: solos quoque eos esse invictos et liberos, qui sciunt suo arbitrio mori, dum necesse est, subsannantes quodammodo, ut de Demosthene PLUTARCHUS, crudelitatem, ea se omnia effecturos putantium: nihil demum referre quam diu, sed quam bene honesteque vivatur. <sup>xq)</sup>

Ceterum, qui superius rescriptum Honori probant, üdem alia, vel Honori ipsius, vel aliorum principum omnium iussa et leges, si vel minimum commodis, aut libertati dignitatique suae impedimentum attulerint, calumniantur, damnant, protinusque Deum ultorem armantet immittunt: quidquid adversi postea acciderit, istuc trahentes, ut insanam superstitionem, qua nihil hominibus rebusque Christianis perniciosius, confirmant et augeant. Itaque [p. 300] ea Theodosius quoque iunior, ex melioribus licet et doctioribus principibus Christianis, circa haec tempora in tantum occupatus,

animoque, mente et ratione deiectus erat, ut cum monachus eum inscium excommunicasset, ut dicitur; re postea intellecta, monachoque diligenter, sed frustra quaesito, ad episcopum pro absolutione miserit. Sed neque hic stetit superstitionis. Negante enim episcopo, opus esse absolutione, Theodosius testatus se cibum non sumpturum, antequam vinculo solveretur, monacho iterum perquisito, ab eo demum invento, solutus fuit. Ac si antea, nisi opinione et superstitione dumtaxat sua, ligatus fuisset. Hanc vero pudendam, in magno praesertim principe, anilem, vel puerilem ridiculamque superstitionem, non pudet Baronum, et qui earum sunt partium, pietatis singularis nomine commendare. Cum vero clarissimo in exemplo perspiciatur, quae qualisque istis hominibus sit pietas; nemo ineptis istis morum alienorum censoribus, virtutis ac vitii discrimina et fines adeo ignorantibus, ut altera alterorum vocabulis appellant et laudent, in posterum crediderit? Sed apud hos potissimum, saepe alios quoque, non valde hic dissimiles, auctoritatis praeiudiciis pleraque aestimantes iudicantesque, reliqua vi agentes et cogentes, necesse est vel credere ac consentire, vel varie affligi et premi. <sup>ya)</sup>

**XI. [p. 301–306]**

Hic interfero, et ex dictis colligo (idque novi et undecimi argumenti loco fuerit) nisi liceat, gravi causa id exigente, arbitrio suo mori, exiguum, aut nullum etiam fore emolumentum vitae, et cui parandae vivendum est, sapientiae ac virtutis.<sup>zq)</sup>

Egregie SENECA N. Q. 1.

Nisi ad haec admitterer, non fuerat operae pretium nasci. Quid enim erat, cur in numero viventium me possum esse gauderem? An ut cibos et potionē percolarem? Ut hoc corpus causarium ac fluidum peritumque, nisi subinde impleatur, farcirem, et viverem aegri minister? Ut mortem timerem, cui omnes nascimur? Detrahe hoc inaestimabile bonum, non est vita tanti, ut sudem, ut aestuem.

Probas utique. Ergo vita solum, aut praecipue ob sapientiam eiusque studium in pretio, ac pro beneficio habenda.<sup>ar)</sup> Nosti autem [p. 302] paucos omni aevo fuisse vere sapientes, infinitum vero semper numerum stultorum, et ex his eorum quoque, qui sapientes affectatoresque sapientiae indignissima quaeque pati coegerunt. BOETIUS quaedam attingit exempla, ipse magnum huius rei exemplum, Graeca et Romana, Socratem, Zenonem, Anaxagoram, Canium, Soranum, Senecam. Porro nosti, magnas fuisse semper, praesertim inter Christianos, de rebus divinis, et quae eo, vel vi, trahuntur, contentiones: nosti principes, magistratus, plebem, episcoporum, theologorum, monachorum, contionatorum vocibus, velut mare ventis et procellis, agitatam, saepe horrendo impetu se effudisse in opprobria, cruciatus et inhumanas caedes dissentientium. Hic cogita in primis lanienam Parisiensem A. MDLXII. Nosti quoque inquisitionem, quam Hispanicam vocant, per quam ne tacere quidem licet, et conscientiae suae secreto consulere: immo vix innocentī esse tuto licet. Nosti huius quoque inhumanas, barbaras, et fortassis quandoque sceleratas artes, captiones et quaestiones. Inter complura exempla cogita hic Thomam Campanellam, ex ipso etiam inquisitorum ordine et societate. Iam tota licet vita diligentissime quaesieris, ideoque nunc teneas, aut prudenter videaris tibi exploratam et velut comprehensam pro humano modo tenere veritatem; ea tamen tibi, quantumcumque ratio et conscientia repugnant, eicienda animo, damnanda et eiuranda est, penitusque cum [p. 303] opinatoribus sentiendum.<sup>br)</sup> Sin minus, et eorum libidine variis malis exercitus et cruciatus, tandem combureris: apud alios, et aliis temporibus, paulo aliter et mitius, atque iuxta rescriptum fere superius Honorii tractaberis. In his vero angustiis deprehensus sapiens, ut ponimus, aut sapientiae veritatisque per omnem vitam studiosus et tranquillus amator, quid faciet? Proicetne conscientiam et veritatem? Non probas, ut puto.<sup>cr)</sup> Permittet ergo se stultorum, vel errantium, quos solide recteque, ut denuo ponimus, et ut homo iudicat, libidini et furori, atque imbecillitati suaे, et in universum humanae diffidens exponet sese (id quod alias peraeque ac peccatum ipsum damnari solet: et non immerito; quia, ut ait Ecclesiasticus, ni fallor, qui amat periculum, ideoque non evitat dum potest, peribit in illo) manifesto, ac tot funestis exemplis ipsorum etiam, quos supra diximus, heroum Christianorum comperto periculo cedendi et succumbendi demum.<sup>dr)</sup> Fiat ita, quia tibi [p. 304] Sed nonne vides id, quod dixi, nullum fore vitae et sapientiae emolumentum: immo fore eas noxias et perniciosas, atque stultorum, vel opinatorum et errorum ludibriū dumtaxat, saeviendique materiam ac incitamentum?<sup>er)</sup> Hic forte

1. Iubes aeternitatem spectare, eique velut prodesse dicis et vitam, et sapientiam, etiam calamitosissimam. Nunc minus, quam alias, nugari videris: et hac parte posset tibi concedi, si ipse posses interea, vel praestare animum semper infractum et invictum, ac pro eo spondere; vel demonstrare luctuosissimam sibi, ut laetissimam hostibus, tyrannis et carnificibus vitam (idque per ignaviam, nimium vitae amorem, mortis horrorem, atque per superstitionem, sive vanam credulamque formidinem) trahenti, tandemque infami et crudeli morte pereunti: huic, inquam, tali homini potius quam prudenter, fortiter citoque, suo arbitrio et opera morienti aeternae felicitatis ianuam patere. Immo hunc caelo excludi, illum recipi solum. Cum vero neutrum possis, stultus utique fuerit, qui opinioni superstitionique tuae confisus tantae rei aleam subeat, tantaque gratis patiatur: cum Deus, ratio, et tot nationum virorumque [p. 305] priscorum, eorumque sapientissimorum consensus, et exempla, facultatem dederint faciliore morte defungendi, conscientiam suam, ne dicam libertatem

quoque, illibatam servandi, denique inimicorum voluptati, insaniae ac crudelitati se subtrahendi. Sufficiat illis furem suum effundere in corpus, quod illis exanime totum relinquitur. Quid amplius, nisi feris beluis ipsis sint crudeliores, desideraverint?

Egregie denuo SENECA in consol. ad Marc. c. 20.

Haec (mors) est, quae efficit, ut nasci non sit supplicium: quae efficit, ut non concidam adversus minas casuum, ut servare animum salvum ac potentem sui possim. Habeo, quo appellam. Video istic cruces — sed video et mortem. — Contra iniurias vitae beneficium mortis habeo.<sup>fr</sup>

[p. 306] 2. Iubes forte plures sequi, et id solum rectum putare, quod turbae communium doctorum placet. Est ubi hoc quoque valet; sed nec semper, nec apud omnes, praesertim eos, de quibus nunc loquimur. Quid vero, si doctores isti communes a communiore aliorum, etiam doctiorum fortassis, sententia prius recesserint? Quid si infirma, vana, frivola, falsa allegare comperiantur? Quid si non probant, demonstrant, convincunt; sed vi cogunt, et more inquisitorum concludunt, ergo combureris? Vel ut supra contra Donatistas, ergo facultatibus exutus in exilium deportaberis? Quid hic remedii, aut effugii, certi et securi, nisi vitam et omnia sponte relinquere? Immo ferre, inquis. Quid? Ignem? Id ipsum quoque est mori, comburi, in cineres redigi .Quid? Nuditatem et rerum omnium egestatem? Id etiam est mori, sed lentius et miserius.<sup>gr</sup>

XII. [p. 307–319]

Superioribus cunctis adde demum, mortem voluntariam esse sapienti ac forti viro magnum ad praeclarissimas actiones incitamentum: quemadmodum vita, quam alii qualemcumque retinere cogunt, est eiusmodi actionum velut sufflamen, remora et repagulum. Numquam superstitionis, aut pavidi verbis suis, commentis, interpretationibus ac minis vincent communem naturam hominum, efficientque ne plerique prospicientium longam, probrosam ac aerumnosam vitam, cuius finem exspectare tantum, non facere licet, tergiversentur et retroagantur. Sed ne frustra hic sim prolixior, expende superiora exempla Samsonis et aliorum. Utique gloriosissimum Samsonis opus est extremum, cuius splendor omnes totius vitae actus obscurat: ceu videtur indicare scriptura ipsa, dum morientem, quam viventem, plures occidisse praedicat. Veta vero, et tolle mortem voluntariam: et omnis haec supremaque gloria Samsonis, hostium caedes et luctus, amicorum gaudium, patriae salus tollentur.<sup>hr)</sup>

[p. 308] Sed hic obduxeris, eam mortem in contrarium quoque valere: certe videri, sceleratis posse stimulos addere ad immanissima quaeque scelera perpetranda. Hos igitur universos superstitione tua occupa, infice, totoque penetra, atque stupefactos et attonitos ad suppliciorum tormentorumque tuorum patientiam compelle. Mirum autem est, cum adeo sis acutus longeque prospicias, tam quoque sollicitus, ne quis sceleratorum per mortem voluntariam elabatur, te non animadvertere:<sup>ir)</sup>

[p. 308] 1. Si sceleratis ullus esset aeternorum apud inferos cruciatuum metus, eos non ab immanissimis modo, sed ab omnibus sceleribus sese cohibituros. Quod si vero spernant inferos, et omnes scripturae minas, etiam apertissimas ac certissimas; quid futurum putas, si tali eos syllogismo aggrederis et perterrere paras? Qui se occidit, occidit hominem: qui vero hominem occidit, peccat contra quintum praceptum: ergo. Hoc est id quod dicitur, lactibus agninis alligare canes.<sup>kr)</sup>

2. Magistratus, lictores et carnifices ipsos infirmissimam putare inhibenda morti sceleratorum voluntariae opinionem vulgarem; ideoque atrociores praesertim meritis [p. 310] ac timentibus poenas auferre omnia, quae possunt, mortis faciendae instrumenta. Norunt enim et sentiunt cuncti, validorem esse instinctum impetumque naturae, quam, ut a superstitione, aut debili opinione in universum vinci possit.<sup>lr)</sup>

3. Affinia sunt, quae garrit LUCIANUS supra, ubi de Peregrino. Sed enim aiunt, nempe defensores et laudatores Peregrini, haec ipsum hominum gratia facere, ut eosdem mortis contemptum doceat, ac in rebus arduis tolerantiam.

Ego vero, inquit, perlubenter interrogarem, non illum, sed vos, numquid etiam maleficos et facinorosos eius discipulos fieri cupiatis in eiusmodi tolerantia perdiscenda, ac morte contemnenda, tum afflictionibus et ceteris terroribus preferendis?

Bella ratio! Sis autem bono animo: haec non tam facile a quovis discuntur. Si quis vero didicerit, quid vis ipsum amplius pati, quam vivum comburi?<sup>mr)</sup>

[p. 311] Porro

1. ut facundia et variarum rerum utilium scientia, quamvis ea polleant quandoque mali, scelerati, impii, Luciano similes; ex se tamen est semper bona et laudabilis: ita quoque patientia ac constantia.<sup>nr)</sup>

2. Pessimi etiam mortalium quaedam interdum probanda et dicunt, et faciunt. Saepe, inquit SENECA, de facto [p. 312] bene existimamus; de faciente, male. Agesilaus malefico quodam constanter tormenta perferente, quam valde, ait, malus hic homo est, in res malas ac turpes tolerantiam perseverantiamque impendens.<sup>or)</sup>

Nunc eo reversi concludamus, firmissimum illud ex omnium gentium consensu argumentum, verbis fere LANGII, eodem utentis ad demonstrandam immortalitatem animae humanae. Dogma de εὐλόγῳ ἔξαγωγῇ, sive morte sponte, prudenter, opportune, in nonnullis casibus et circumstantiis, oppetita, universalis et perpetuo omnium populorum antiquorum consensu comprobatur; ideoque pro vero habendum est, donec non solum dissensu, sed aliis etiam rationibus idoneis, probetur contrarium.<sup>pr)</sup>

Explicit et declarat, se populorum nomine intelligere potissimum gentes cultiores omnes, atque in his praecipue attendendos esse philosophos.<sup>qr)</sup> Item quod erectiorum, inquit [p. 313], plurimorum ac meliorum est, hic sufficit ad sensum universalitatis: si quidem alias non facile ulla veritas dici posset universalis. Et adductis verbis TULLII: omni in re consensio populorum lex naturae putanda est: speciatim id valere dicit, si consensionem intellegas talem, cui contrarium nulla idonea ratione possit opponi. Haec ille.<sup>rr)</sup>

Adde, quod maximam et insuperabilem consensus illius, quem ostendi, vim agnoscant adversarii ipsi; ideoque vel omnes, vel aliquos saltem veterum philosophorum ac populorum sibi consensisse, omnemque eam, de qua agitur, mortem damnasse dictitant. Sed qua fide, quo iudicio, qua vel specie veritatis, aliquoties vidimus.<sup>sr)</sup> Ex iis, quae demonstravimus, consensum illum nobis in solidum vindicamus.<sup>tr)</sup> Adde quoque, quod omnis ille [p. 314] posteriorum Christianorum dissensus non maioris est ponderis, quam auctoritas unius Augustini. Nam quod de Epicureis SENECA ep. 33. Apud istos quidquid Hermachus, quidquid Metrodorus dicit, ad unum refertur. Omnia quae quisquam in illo contubemio locutus est, unius ductu auspiciisque dicta sunt: idem hic de Christianis Augustinum secutis, et continuo ad eum eiusque explicationem verborum, *non occides*, provocantibus, verum est. Certe omnis ille dissensus non maius hic robur habet, quam si unica gens, simplex pleraque et credula, eadem religione, institutis, moribus utens, atque dominantium vi, iussis, minis, poenis, uti coacta, a reliquis gentibus cunctis dissentiat.<sup>vr)</sup>

Denique superiorum consensui, aut consentientium numero adiunge TERTULLIANUM, qui in apolog. sub finem, praeter alios, laudat Empedoclem, quem, dicit, se totum Aetnaeis incendiis donasse: laudat Carthaginis conditricem, quae rogo se dederit: et illi quidem acclamat, o vigor mentis! huic, o praeconium castitatis! Paulo post, omitto, inquit, qui cum gladio proprio, aliove genere mortis mitiore de laude pepigerunt.<sup>xr)</sup> Ad Scapulam [p. 315] vero, ut supra, praedicat eos Christianos, qui ingenti numero se profitebantur, et ulti se morti offerebant. Hos [p. 316] CLEMENS quidem non ut veros martyres recipit; strom. tamen 2. probat et laudat dictum Cratetis; amorem aufert fames; sin minus, tempus: si vero his uti non possis, laqueus. Strom. 4. locutus de animae ad divina conversione, iam etiam, inquit, viro bono permittunt philosophi, ut liceat iusta de causa animam educere, si quis ab agendo adeo fuerit remotus, ut nulla ei spes amplius reliqua sit actionis: εὖλογον ἐξαγωγὴν τῷ σπουδαίῳ συγχωροῦσι καὶ οἱ φιλόσοφοι. Hic nisi istud καὶ sit superfluum et nugatorium, significat utique CLEMENS, Christianos sui temporis consensisse philosophis, et hos illis circa εὖλογον ἐξαγωγὴν.<sup>yr)</sup> [p. 317] Sed CLEMENS, inquis, diserte de gnostico suo dicit strom. 6. non esse ei permissum, se ipsum e vita educere. Bene. Itaque id aliis permittit: nisi denuo putetur nugari, et excipere, ubi nihil excipiendum. Quid novi, miri, et singularis est, si gnostico Clementino non sit permissum, quod nulli mortalium esset permissum? Rursus bene. Nam Clemens loquitur de tempore, quo Gnosticus corpore suo uti potest, nec desunt vitae necessaria. Patet ex iis, quae subiungit. Praeterea non sit Gnostico (utpote qui sit iuxta ideam Clementis omni etiam sapiente Stoico longe superior, fortior, et constantior, ipsis quoque Stoicorum εὐπάθείας carens) permissum, se e vita educere: non ideo sequitur, nec ulli alii id permissum.

[p. 318] Denique S. HIERONYMUS, ex epistula quadam S. Ignatii Martyris, haec refert libro de scriptoribus ecclesiasticis:

Utinam fruar bestiis, quae mihi sunt praeparatae: quas et oro mihi velocius esse ad interitum, et ad supplicia, et allici ad comedendum me, ne, sicut et aliorum martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, vi devorer. Ignoscite mihi, filioli, quid mihi prosit, ego scio. **zr)** [p. 319] An vero sibi vim facere, se urgere, irritare bestias ad se devorandum, non est ulti, sua ope operaque mori?<sup>†</sup>

Finis.

[index rerum](#) [p. 320–339]

2. [1753]

IOHANNIS ROBECK

CALMARIA - SVEDI

DE

MORTE

VOLVNTARIA

EXERCITATIO

SIVE

EXAMEN CALVMNIARVM NVGARVM

ET FALLACIARVM

QVIBVS

TANQVAM ARGVMENTIS VTVNTVR

ΕΥΛΟΓΟΥ ΕΞΑΓΩΓΗΣ

CONSENSVS GENERIS HVMANI SALVTIS

ET GLORIAE BONORVM VIRORVM

honestarvmqve feminarvm

HOSTES ET OPPVGNATORES.

PERPETVIS ANIMADVERSIONIBVS NOTAVIT

PRAEFATVS EST

ET

INDICEM RERVM ADDIDIT

IOHANNES NICOLAVS FVNCCIVS

MARBVRGENSIS.

MARBVRGI

APVD PHILIPP. CASIMIR. MÜLLER.

MDCCLIII [1753]

VIRO  
SVMME REVERENDO  
ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
CONRADO FRIDERICO  
ERNESTO BIERLINGIO  
S. THEOLOGIAE DOCTORI

ET PROFESSORI ORDINARIO  
CELEBERRIMO  
SOCIETATIS TEVTONICAE GOETTINGENSIS  
MEMBRO HONORARIO  
RINTELIENSIS ACADEMIAE ORNAMENTO  
INCOMPARABILI

COLLEGAE AC FAVTORI SVO

D.  
IOHANNES NICOLAVS FVNCCIVS  
MARBVRGENSIS.

## DEDICATIO.

Saepius ego Tecum, Vir Summe Reverende, num libellus de tristi Stoicorum decreto suspectus, ipsaque auctoris calamitate famosus, nostris vero etiam animaduersionibus notatus, vero ac pietate non minus, quam doctrina inclito Theologo, qui de instituto recte velit ac possit iudicare, consecrandus, an sine cuiusquam praesidio maleuolorum calumniis aut liuori permittendus, deliberatum iui. Nec defuisti vnquam consilium expertenti, pro insigni sapientia et amore erga me Tuo: atque monuisti, ut memet in consilium adhibeam: nec fore, Te quidem iudice, quem illius, vtut minus probatae commentationis pudeat. Haecce vero Tua liberalitas ingenii, et incredibilis in me benevolentia, quam, per quinque nunc prope lustra, quauis occasione, et quoouis modo, priuatim ac publice testatus fuisti? Optime de Academia meritis Proceribus me prorsus nihil merentem, nullius auctoritatis hominem, annumerare dignatus es, quibus beati Fratris elegantem libellum de caussis a Luthero impugnatarum indulgentiarum dicare instituisti.

[p. 2\*] Et publice nuper mihi natalem LXI. splendida et eruditissima dissertatione epistolica, de Reinhardi Koenigii, primi historici et politici Rintelensis, vita et meritis, gratulari ex animo, et laudibus, ex amoris abundantia, ut beneficiis semper me cumulare voluisti: quorum si per vitam immemor, profecto ingratissimus essem. Tua vero nostri memoria et incomparabilis fauor quam me delectet, dicere nequeo. Pro viribus equidem mereri de literis cupio, parum de laudis gloriola solicitus: a tui similibus tamen et amari, et laudari, iam ita placet: ut studium et flagrans desiderium ab ipsa natura videar accepisse. Hoc mihi bonum, i. e. amicitiam tuam, cum tua ultiro detulerit humanitas: quam a me putas illi felicitatem praeferri? Est igitur, cur et ipse mihi gratuler, et maximas Tibi agam gratias. O si quid referre fuerit olim mihi concessum! Libelli, illius quidem alieni, dedicationem non aegre feres: quam nemini prorsus fore molestam gravemque, dixti. Amor certe animusque gratus errare non potest. Aut si quis errat, vel bene merendi studio ductus, vel gratificandi voluntatem secutus, veniam sibi paratissimam promittit: nec [p. 3\*] fuerit facile quisquam iudex tam iniquus, qui hominem obsequentissimum non laude potius, quam reprehensione dignum, habeat. Tibi certe non illud pestiferum arridebit Stoicorum de morte voluntaria decretum: nostra si Tibi placebit doctrinae pridem explosae refutatio: ineptas aliorum rideo susurrationes atque columnias. Forsan et bonis omnibus antidotum eius videbitur esse modi: ut non me quid dicendum iudicent, quod noceat, sparsisse veneni. Satis ego quidem dissertatione illa priori molestum ac triste puto confutatum esse ἀλόγου ἔξαγωγῆς, velut ex orco revocatum, dogma: ne quid tamen ex auctoris mente in ea desideretur; alteram eiusdem argumenti exercitationem, quam ipse calumniarum examen inscripsit, adversus εὐλόγου ἔξαγωγῆς oppugnatores, ex autographis protrahere consultum existimavi; iisdem vero etiam insistens vestigiis, cum alioqui ante victoriam sibi triumphum adscripserit, veritatem luculenter vindicare, et omnem caluniae suspicionem animadversionibus nostris abstergere studui. Nec adeo quemquam credo pervicacem aut stupidum fore, qui non liquido cognoscat, ex hac parte fidem pugnare, [p. 4\*] illinc perfidiam; hinc amorem, pietatem, atque constantiam, illinc odium, ferociam, atque desperationem; hinc patientiam et obsequium, illinc indignationem et pervicaciam; hinc veritatem, illinc scelus cum omnibus vitiis semet prodere: ut pulcherimam atque certissimam, apud bonos dubio procul, virtuti possimus promittere laurum, atque decentem quorumque sapientiae studiosorum applausum. Nostra qui legere volunt, eliguntque deteriora, sibi habeant, ac tribuant stultae pertinaciae aut impiae curiositati, quod longe maximum est, animae detrimentum: ut sua sponte, non mea culpa, in exitium ruant. Nosti, Vir Summe Reuerende, quibuscum vitiis et erroribus quotidie dimicandum virtuti: quot haereses non docendae, sed refutandae, quam callide serpentibus aliquando et clandestinis malorum persuasionibus occurrendum: veritas fidesque ne penitus vel per cuniculos atque insidias opprimantur. Novi, Amicorum Suavissime, Tecum, vetus et obliteratum esse illud Stoicorum de morte voluntaria decretum: illud vero etiam haud difficulter, credo, concedes mihi: ubi vetera, non dicam in persuasionem, sed in [p. 5\*] usum, revocantur: antiquatis pridem saniorum sententiis, iterum iterumque novis, si qua veritas, quae antiquissima, dici potest nova, demonstrationibus subveniendum illis, et omni cura, solitudine, opera, contentione id agendum ne quid ecclesiastica, literaria, et publica res detrimenti capiat. Et hoc ipse agis. Servet Te Deus, ad ecclesiae et academiae decus ad Matris Optumae solatium, illustris Familiae florem, ac notabile scientiarum augmentum quam

diutissime salvum, felicem, atque laetum. Evidem non ultimus, quoad vivam, me eos ero, qui operam Tibi praebent assiduam, Tuisque potissimum commodis et honori maximo Tuo serviunt. Studio certe, si minus re potero, quam maxime in id emitar, ut amici et collegae officium accusari nequeat. Vale, Vir Summe Reverende, et mihi favere, ut facis, perge.

Rintelii a.d. XVI. kalend. Maii MDCCLIII [16. April 1753]

## Dissertatio praeleminaris de causa mortis voluntariae minime naturali, sed affectuum adscribenda tyrannidi.

### Praefatio

Decimus sextus iam agitur annus, quo primum doctissimi, sed infelicis Suedi, Johannis Robecii exercitationem philosophicam de morte voluntaria, animadversionibus quidem perpetuis, in lucem edidi: meamque utut satis probarim bonis et illustribus viris opellam; hominum aliquot κριτικωτάτων, vel invidorum expertus sum voculas, qui id inprimis non aequo se dicebant ferre animo, librum de [p. 2] summo scelere vulgari suspiciosissimum, atque confutatione mea nihil aliud agi, quam pestiferum aliquali cum antidoto venditari venenum. Id vero genus hominum, ut suam nimis pudendam cum malitia prodiderunt ignorantiam, si legissent primas dissertationis meae paginas: clare satis legere et discere potuissent, me, ut standum erat promissis, non agere pro lubitu, causamque plures eandem sine fraude iam pridem ante me agitasse: ut nullum fere nunc videatur proferri dictum, quod non fuerit dictum prius. Longo Scriptorum de autocheiria catalogo, dissertatione praeleminari de morte voluntaria pag. 11. seq. addi possent plures alii, si operae visurn fuerit esse pretium, beneulo demonstrare lectori, me nihil mihi tribuere, quod non ante me et doctissimi, et prudentissimi viri memoriae prodiderint.

ANDREAS CELICHIUS, Marchiae veteris Superintendens, lingua vernacula, Magdeburgi 1578. 8. edidit *einen nützlichen und nothwendigen Beweiß von denen Leuthen, so sich selbst aus Angst, Verzweiffelung, oder andern Vrsachen, entleiben und hinrichten.*

Patavinus philosophus, FRANCISCUS PICCOLOMINEUS, Senensis, 1583. Patavii edidit universam philosophiam de moribus, et gradus sexti cap. 16–21. p. m. 475–483. negantium et affirmantium, homini pro vitanda miseria, vitio, aut feritate, aliquando preelegendam esse mortem, argumenta examinat.

Liber cum comite politico prodiit apud heredes Eustadii Vignon. 1596. 8. FRIDERICUS WINEKER, consiliarius Ecclesiasticus et concionator aulicus Brunsii. Luneburgensis, vernacula quoque dedit *einen gründlichen und warhaftigen Bericht von Ioh. Balthasar Kelterborns, Cantzley Fiscalis, Leben und jämmerlichen Ende.* Braunschweig 1660. 12.

Equidem [p. 3] malevolorum calumniis non respondere soleo, neque laudari, nisi a laudatis cupio: quibus si mea quocumque modo probare possum, ridicula me nihil movent omnia barbarorum molimina. Tantumque abest, ut huius Examinis, velut de morte voluntaria partis, editionem prohibere valuerint. Quam fidelissime philosophi suo male pertinacissimi praestat respondere argumentis, examen examinare, atque adeo veritatis confutationem refutare. Quod antequam auspicato aggrediar opus, paucis operae fuerit pretium demonstrare, causam voluntariae mortis non esse naturalem, sed affectuum tyrannidi adscribendam. Quod inter omnes constat, ac sole meridiano clarius eluescit, mors finis est vitae, vel transitus potius e perbrevi aerumnosa ad aeternam beatissimam vitam, qui non a nostro, sed numinis aeterni, creatoris et conseruatoris nostri, arbitrio dependet. Vel est imperantis summi iussu, natura mediante, hominis a statione sua dimissio: ut non tam erepta nobis vita, quam mors esse donata videatur, quae piis vita potior, nec viro forti potest accidere tristis, nec misera sapienti. Numquam enim invitus eam excipit, tamquam ad felicitatem aeternam transitionem, naturae necessitatem, atque laborum vel miseriarum finem, divinitus mortalium cuique constitutam: ut ipsa virtus mortis, quam natura proposuit omnibus, crudelitatem atque dedecus propulsare videatur. Fuerunt tamen aliquando homines adeo immemores sui, ut rationem non audientes, immo penitus obruentes affectum procellis, instinctu extincto naturali, atque humanitate omni exuta, semetippos enecare non dubitarint. Scelus nefandum, quod longe tristissimo decreto suis tantum Stoici commendant, cum alii, [p. 4] tum Aristoteles in primis, damnarunt: ut satis mirari nequeam, illum peripateticorum principem in ipsa hominis natura, quae plane contra naturam esse dixi, et

saepius quam clarissime demonstratum ivi, actionis stultissimae causam et fundamentum quaerere, nusquam profecto quam in desperatione, furore extremo, et affectuum tyrannide inveniendum. Ita philosophus problematum sectione 30. oper. tom. 2. p. m. 1014. seq.

Aristoteles et corpus Aristotelicum, Problemata.

[Melancholicus] si ultra modum frigidus fit, molestiae anxietatesque sponte sine ulla ratione nascentur, ex quo mortem laqueo sibi consiscunt, maxime quidem iuniores, interdum tamen et seniores. Multi etiam vinolenti sese interimunt. Nonnulli vero ex melancholicis, ubi abunde potarunt, dolent, et animo vehementer succumbunt. Calor etenim naturalis a calore vini extinguitur.

Quibus, calore nativo emarcescente, oritur aegritudo, ii sibi laqueum potius petunt: quare iuuenes potius, quam senes, laqueo se interimunt. Alteris enim calor per aetatem marcescit, quod naturae agitur ordine. Alteris per vim ipsius affectis: quod contra naturam est. Quibus autem calor extinctus subito est, ii repente se interficiunt, ut omnes mirentur, eo quod nullum indicium praecesserit.

Accidit vero, ut calor subito causis quoque externis extinguitur, quemadmodum quae praeter suam naturam carent, ceu carbones, aqua super infusa extinguuntur. Unde fit etiam, ut sedata ebrietate nonnulli se ipsos enecent. Calor enim ex vino adiectus est, quo extincto, usu evenit illa perniciosa affectio.

Λ. ὅσα περὶ φρόνησιν καὶ νοῦν καὶ σοφίαν<sup>ww</sup> ψυχρότερα μὲν γὰρ οὖσα τοῦ καιροῦ δυσθυμίας ποιεῖ ἀλόγους· διὸ αἱ τ' ἄγχοναι μάλιστα τοῖς νέοις, ἐνίοτε δὲ καὶ πρεσβυτέροις. πολλοὶ δὲ καὶ μετὰ τὰς μέθας διαφθείρουσιν ἔαυτούς. ἐνιοι δὲ τῶν μελαγχολικῶν ἐκ τῶν πότων ἀθύμως διάγουσιν· σβέννυσι γὰρ ἡ τοῦ οἴνου θερμότης τὴν φυσικὴν θερμότητα.

[954 b 34–39]

ὅσοις μὲν οὖν μαρατομένου τοῦ θερμοῦ αἱ ἀθυμίαι γίνονται, μᾶλλον ἀπάγχονται. διὸ καὶ οἱ νέοι ἡ καὶ οἱ πρεσβῦται μᾶλλον ἀπάγχονται. [...] ὅσοις δὲ σβεννυμένου, ἔξαιφνης οἱ πλεῖστοι διαχρῶνται ἔαυτούς, ὥστε θαυμάζειν πάντας διὰ τὸ μηθὲν ποιῆσαι σημεῖον πρότερον.

[955 a 7–13]

συμβαίνει δὲ σβέννυσθαι ἔξαιφνης ὑπό τε τῶν ἐκτὸς αἰτιῶν, ὡς καὶ παρὰ φύσιν τὰ πυρωθέντα, οἷον ἄνθρακα ὕδατος ἐπιχυθέντος. διὸ καὶ ἐκ μέθης ἐνιοι ἔαυτοὺς διαχρῶνται· ἡ γὰρ ἀπὸ τοῦ οἴνου θερμότης ἐπείσακτός ἐστιν, ἡς σβεννυμένης συμβαίνει τὸ πάθος.

[955 a 18–22]

Videamus ergo, quid natura velit. Corpus humanum homogeneum non est, ac diversis constat partibus: ut temperamentum [p. 5] totius ex pluribus coalescat humoribus, videlicet sanguine, pitvita, bile flava seu cholera, et bile atra seu melancholica: qui humores vi quadam ingenita vulgo seu qualitate distinguuntur. Ita **sanguis**, quod per venas et arterias fluit, dicitur esse calidae ac humidae indolis; **pitvita** frigidae ac humidae; **bilis flava** calidae et siccae; **bilis atra** siccae et frigidae. Quibus ergo quisque humoribus abundat, dicitur esse huius temperamenti, atque varium induit corporis habitum: ut homines sint, pro humorum abundantia, ad alios atque alios animi motus propensi. Ne quid de aliis dicamus, melancholici, in quibus dominatur atra bilis, segnius vulgo quidem effervescunt, quam cholericci; quam primum vero ad furem adacti, tenaciores sunt irae et odii: ut furor irritatus semet vix moderari possit, iniuriaque maneat alta mente reposta. Hinc difficillime placantur, numquam non offensae memores. Sunt fere pulsu tardo et exiguo, venis arctioribus, vultu pullo, truci tristique aspectu; peculiaribus etiam morbis, videlicet scirris, varicibus, quartanis febribus, hemorrhoidi, splenicis affectionibus subiecti. Variam humorum commixtionem et admirandam hominis structuram, quoad vivit, artissimo et vix cuiquam perscrutabili nexu, rationalis et immortalis comitatur anima, quae in corpore est, quod sol in orbe, rex in imperio, dux in exercitu, gubernator in civitate, nauclerus in navigio: atque adeo corporis quascumque actiones instituit ac dirigit consortio indissolubili, ut communis utrimque fit dolor atque voluptas. Mirabiles inde oriuntur affectus, qui et animae passiones appellantur: a quibus ut plurimum hominis maxima calamitas felicitasve dependet. Nostrum nunc non est, membrorum [p. 6] functiones et motus, totamque corporis machinam examinare illius rationalis

<sup>ww</sup> I. Bekker, *Aristotelis opera*, vol. 2, Berlin: Reimer, 1831 (repr. Berlin: De Gruyter, 1960): 859a1-967b27.  
Retrieved from: <http://stephanus.tlg.uci.edu/Iris/Cite?0086:036:479043>

animae sociam: cuius, ut quisque haud difficulter intelligit usu perpetuoque sensu, cogitationes sunt propriae: ut divinitatis quandam prae se ferat imaginem, eamque dignitatem, quae una rerum creatarum omnium divinitus indita nobilissimae, ad numinis aeterni et creatoris benefici gloriam summis laudibus evehendam. Sunt vero animae sive mentis aliae actiones, aliae passiones sive affectus. Actiones intellectus atque voluntas producit cum ipsa ratione convenientes. Passiones sunt qualescumque perceptiones ex rebus illi repraesentatis ope sensuum, et ipsa humorum dispositione. CARTESIUS inde passiones in genere voluit definiri,

perceptiones aut sensus, aut commotiones animae, quae ad eam speciatim referuntur, quaeque producuntur, conservantur, et corroborantur per aliquem motum spirituum.<sup>xx</sup>

Constat enim, ut supra dictum, corpus et animam agere in se invicem. Hominis ergo ratione praediti est, semetipsum non minus, quam creatorem atque seruatorem suum cognoscere, sapientiae et virtutibus studere, in rebus et actionibus quibusque suis optimam vitae magistram rationem audire, perquam solicite in animae passiones inquirere, et, quod vulgo nobilissimum dicitur esse vincendi genus, vincere semetipsum: ut lubentissime possit esse sua forte contentus, atque summi boni possessione perenni gaudere. Quod qui faciunt, naturae profecto vivunt convenienter, suisque affectibus adeo numquam succumbent, ut mortem sibimetipsis consciscere velint. Natura enim sui conseruatrix est, ac vehementissime, nisi gratia intercesserit divina, semper a dissolutione abhorret. Affectibus autem qui nimium [p. 7] indulgent suis, rationem suffocant, suique immemores plane summam istorum ipsi vel imprudentes sentiunt tyrannidem: ut in scelera quaevis nefanda exitiumque ruant. Ecquid magis pestiferum mortalibus, quam aegritudo, illa mentis crux perpetua, et atrae bilis, ad corpus macerandum, tristissima comes? Infaustus ille dolor animi miserrimos homuncionum enecavit non paucos, suamque in affectum mancipia saeuam exercuit tyrannidem. Obruitur spiritus et ratio, non dicam tristitia perenni, sed inconsolabili desperatione: ut homo, rerum humanarum pertaesus, saevas in semetipsum non vereatur convertere manus. Nec ab re saeculi XIII. doctor Christianissimus IOH. GERSON, Academiae Parisiensis Cancellarius, de passionibus animae scribit, operum tom. 3.

Tenebrosas spiritum in imaginativa virtute suspiciones mirabiles excitat, ita ut quidam credant se quaeri ad mortem, vel ad incarcerationem vel spoliationem, et inde fugiant, nemine persequente, trepidantes timore, ubi non est timor. Cognovi talem tempore meo, qui ingeniosissimus erat, et peritus valde in medicina, qui tandem fudit in nemora occulta, nec ultra apparuit.

Confer. FRID. WINEKER, theologi, contionatoris aulici et consiliarii ecclesiastici Brunsuicensis et Luneburgensis *gründlicher und warhaftiger Bericht von Joh. Balthasar Kelterborns, Cantzley Fiscalis, Leben und jämmerlichen Ende.*

Furiōsi, et quorum affectibus suffocata est ratio, scriptam non audiunt legem, nec illam mortalium quorumque cordibus inditam de non occidendo. Quam exosi fuerint omnes sua semet interimentes manu apud moratores gentes, dictum praeliminari dissertatione de morte voluntaria p. 19. seqq.

Istos Hebrei abiecerunt insepultos. vid. IOSEPHUS [p. 8] de bello Iudaico l. 3 c. 14. Graeci manum abscissam a corpore seperatim sepeliri voluerunt. Lex ita se habet:

yy	
έάν τις αὐτὸν διαχρήσηται, τὴν χεῖρα τὴν τοῦτο πράξασαν χωρὶς τοῦ σώματος θάπτειν.	Qui sibi violentes manus intulit, manus, quae id perpetravit, praeciditor, neque eodem cum corpore tumulo sepelitor.

<sup>xx</sup> Passiones animae, I, 27 (articulus XXVII: definitio passionum animae), URL:  
[https://www.unicaen.fr/puc/sources/prodescartes/consult/descartes/Oeuvres/Oeuvres\\_Posthumes/passiones\\_animae.xml/passiones\\_article\\_27](https://www.unicaen.fr/puc/sources/prodescartes/consult/descartes/Oeuvres/Oeuvres_Posthumes/passiones_animae.xml/passiones_article_27)

<sup>yy</sup> cf. Aischines, In Ctesiphontem 244.

vid. ANTON. THUSII collatio Atticarum et Romanarum legum, apud IAC. GRONOVIVM thesauro Graecar. antiq. vol. 5. p. 1390. edit. Venet.

Et hoc passim usu receptum, ARISTOTELES moral. ad Nicomachum l. 5. c. 15. memoriae prodidit. Romanorum, nisi qui Zenonis infecti veneno, scelus abhorrentium, leges vulgo notissimae sunt, neque huc referenda. Affectuum, quibus miseri homunciones succumbunt, longe maximus tyrannus est **metus**, qui vicit plurimos, victosque, ut maior istos incesseret stultitia, enecavit.

LUCRETIUS:

[...] saepe usque adeo, mortis formidine, vitae  
percipit humanos odium lucisque videndae,  
ut sibi consiscant maerenti pectore letum  
[LUCR. 3, 79–81 ed. Bailey]

SENECA epist. 24.

tantam hominum imprudentiam esse, immo dementiam, ut quidem timore mortis cogantur ad mortem.  
[SEN. epist. 24, 23]

Et epist. 70.

[...] etiam si certa mors instabit et destinatum sibi supplicium sciet, non commodabit poenae suaे manum: [...] stultitia est timore mortis mori: [...]  
[SEN. epist. 70, 8]

Arcesilaus apud PLUTARCHUM consol. ad Appollonium:

[Plutarchus, Consolatio ad Apollonium, 110 A 8–10]	
[...] πολλοὶ διὰ τὴν οὐδένεταν καὶ τὴν πρὸς τὸν θάνατον διαβολὴν ἀποθνήσκουσιν, ἵνα μὴ ἀποθάνωστ.	Multi, ob vilitatem ingenii et criminationes mortis moriuntur, ne moriantur.

Nimirum, ut Diogenes aiebat, adeo difficilis et mala res metus est, ut multi anteceperint ipsum factum, quod timebatur. Ut qui in navi tempestate iactantur [p. 9] et periclitantur, navis non exspectata submersione, semetipsos interficiunt. Vel, ut LUCANUS loquitur,

[...] multos in summa pericula misit  
venturi timor ipse mali. [...]  
[LUC. 7, 104–105]

Cicero de finibus bonorum et malorum lib. I. cap. 15.

[...] mortis metu omnis quietae vitae status perturbatur, [...] succumbere doloribus eosque humili animo imbecilloque ferre miserum est, ob eamque debilitatem animi multi parentes, multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem se ipsos penitus perdiderunt, [...]  
[CIC. fin. 1, 49]

Est animi quasi ligamentum et perturbatio, ut omnis proiciatur sapientia, exstirpetur memoria et ipsa ratio, interea temporis, quo malum futurum exspectatur, ne tunc existens quidem, aut tantum certe non ad exitium imminens. Vnde Aeschinus apud TERENTIUM adelph. A. 4. S. 4. init.

discrucior animi!

hoccine de improviso mali mi obici tantum  
ut neque quid me faciam nec quid agam certum siet!  
membra metu debilia sunt; animus timore obstipuit.  
pectore consistere nil consili **quit**. [...]  
[TER. Ad. 610–613]

Quinquaginta Spartanae virgines, cum, ex foedere, sacrorum causa, ad Messeniorum urbem essent profectae, ac in Venerem a iuvenibns Messeniis solicitarentur, neque vim aliter effugere possent, mortem oppetierunt.

Pausania Boeoticis vel Graeciae lib. 9. cap. 13. p. m. 736.<sup>zz</sup> et Diodoro Siculo biblioth. histor. lib. 15. cap. 54. p. m. 699. seq.<sup>aaa</sup> testibus,

Scedasi Leuctris domicilium habentis duae fuerunt formae egregiae et nobiles; filiae Molpia et Hippo. Has, ut et Leuctri eius, a quo [p. 10] campus nomen sortitus est, filiam, eodem virginitatis flore constitutas, Spartanorum legati, Parathemidas, Phrudarchidas, et Parthenius, per vim stupraverunt. Nobiles puellae, tam insignem contumeliam et sceleris foeditatem minime ferentes, diras patriae, quae tam nefarios misisset legatos, imprecatae, laqueo vitam finierunt. Ipse pater Scedasus, cum Spartae indicium frustra postulasset, Leuctra reversus, vitam sibi suis manibus praecidit. Alia Hippo, Graeca mulier, a nautis capta, cum intelligeret, stuprum sibi et insidias parari, noctu semet in aquas precipitem dedit.

VALER. MAX. I. 6. c. 1. extern. n. 1. Eodem referente loc. cit. n. 3.

Teutonicae mulieres, coniugibus acie trucidatis, ne quid captae uvlerius paterentur, Marium vittorem per sacra omnesque virtutes rogarunt, ut Vestalibus dono mitterentur virginibus, affirmantes, aequa se omnes, atque illas, virilis concubitus expertes futuras. Cum voti non compotes fierent, omnia timentes, sibi proxima nocte spiritum laqueis eripuerunt.

Tristitia, ex casu funesto ac recenti concepta, multis praefertim sequioris sexus coniugibus, voluntariae mortis causa fuit. Quid Porciae, Catonis Uticensis filiae, post obitum Bruti, coniugis dilectissimi, acciderit, legimus apud PLUTARCHUM in vita Bruti. VAL. MAX. I. 3 c. 2. l. 4. c. 6. DIONEM CASSIUM. I. 47. APPIANUM de bello civili I. 4. Unde MARTIALIS I. 1. epigr. 43.

Coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti,  
et subtracta sibi quereret arma dolor,  
'nondum scitis' ait 'mortem non posse negari?  
credideram fatis hoc docuisse patrem.'  
dixit et ardoris avido bibt ore favillas.  
i nunc et ferrum, turba molesta, nega!

[Mart. 1, 42]

[p. 11] Quantus fuerit Pantheae erga Abradatam coniugem amor, tristis exitus probavit. Cum Cyro is mille adduxisset equites, atque in proelio ipse occisus esset: Panthea vidua, pro munib[us] a Cyro in solacium missis, petuit tantum, ut sibi mortuum videre liceret. Quod cum facile impetrasset, coniugem deploratum suaे gentis more ornauit et cum sepeliendus esset, acinace iugulauit se ipsam, et imposito capite super coniugis pectore mortua est, vid. XENOPHON Cyri paediae lib 7. p. m. 127.

<sup>zz</sup> Σκεδάσω γὰρ περὶ Λεῦκτρα οἰκοῦντι θυγατέρες Μολπία γίνεται καὶ Ἰππώ· ταύτας ἐξ ὥραν ἥδη προηκούσας Λακεδαιμονίων ἄνδρες βιάζονται παρὰ θέμιδα[ς καὶ] Φρουραρχίδας καὶ Παρθένιος. καὶ αἱ τε παρθένοι παραντίκα—οὐ γάρ σφισιν ἀνεκτὰ ἐφαίνετο εἶναι τὰ τῆς ὑβρεως—ἀπάγχουσιν αὐτάς· καὶ ὁ Σκέδασος, ὃς ἐξ Λακεδαιμονία ἐλθόντι οὐδεμίᾳ ἐγένετο αὐτῷ δίκη, οὕτως ἐξ τὰ Λεῦκτρα ἐπανήκων αὐτὸν διεργάζεται.

[Pausanias, Graeciae descriptio, 9, 13, 5]

<sup>aaa</sup> Λεῦκτρος ἦν, ἀφ' οὗ τὸ πεδίον τοῦτο ἔσχε τὴν προσηγορίαν. τούτου θυγατέρας καὶ Σκεδάσου τινὸς ὄμοιώς κόρας πρέσβεις Λακεδαιμονίων ἐβιάσαντο· αἱ δὲ ὑβρισθεῖσαι τὴν συμφορὰν οὐκ ἐνέγκασαι, τῇ πατρίδι τῇ πεμψάσῃ τοὺς ὑβριστὰς καταρασάμεναι τὸν βίον αὐτοχειρίᾳ κατέστρεψαν.

[Diodorus Siculus, Bibliotheca historica, 15, 54, 3]

Neque mens alia Paulinae fuit, quae et ipsa Stoica philosophi Senecae uxor, cum marito mortis a Nerone oblatum esset genus, ac venae in balneo sectionem elegisset, eodem modo decrevit cum illo mori, quamuis id illi Seneca valde dissuaderet. Qua de re cum certior factus esset Nero, misit, qui sanguinem sisterent, atque matronam servarent: quae, quod sanguinis iam multum emisisset, quoad vivere ipsi licuit, pallida semper mansit, atque fidei scelestae, vel amoris insani signa, vel desperationis notam in vultu retinuit. Confer, comment. de imminentia Latinae linguae senectute cap. 10. §. 20. pag. 655.

Demotionis Areopagitae filia, Leosthene sponso mortuo, se alteri nupturam negavit: quod adulterum, non maritum, acciperet. Illum enim iam defunctum, sibi tamen vivum superesse maritum. Et brevi post, ad secundas nuptias ne compelleretur, semetipsam enecavit. Recens dolor atque miseria invicibilis non paucas mulieres aut virgines commoverunt, ut semetipsas enecarent.

Atheniensium triginta tyranni, cum interfecissent Phaedonem in convivio, filias eius, formosas virgines, iusserunt ad se venire, scortorum more nudari, superque pavimenta, patris commaculata sanguine, gestibus ludere impudicis [p. 12]. Virgines, dissimulato paulisper doloris habitu, cum temulentos cernerent convivas, egredientes quasi ad requisita naturae, semet invicem complexae, ut virginitatem voluntaria morte servarent, aut patris obitum repentinum potius sequerentur, in puteum praecipitarunt.

Simillimum feminae in regno Fingo Japoniae casum BERNHARDUS VARENUS Iaponiae descriptione cap. 14. p. 97. exponit. Nobilis quidam, superiori saeculo, in Iaponia uxorem duxerat formosissimam: cuius amore flagrans ipse rex enecavit maritum, paucisque post diebus ad se vocans mulierculam expertus est eius castitatem. Haec vero, cum sciret, quae marito fuerit mortis causa, dies a rege petit triginta, quibus defunctum lugere, iusta que illi solvere posset: postea sibi permittat in arcis regiae turri consanguineis et amicis parare convivium, atque adeo luctus et lacrumarum facere finem. Annuit rex. Et coena, ut dixerat, parata, cui rex ipse laetus suisque inhians voluptatibus intererat, in turris pergula residens femina, quasi aedium et agrorum aspectu pasceret oculos, in regis et amicorum, nihil suspicantium praesentia tandem se dedit praecipitem, ac misere illisa terrae, ut pudicitiam servaret, animam efflavit.

Cum in feminis ex amore fit naturalis quidam et vehemens ad concubitum instinctus: ex odio contra et indignatione tanta oritur aversatio: ut enecari malint, quam commisceri cum illis, a quibus velut pessimis naturae monstros abhorrent. **Brasilla Dyrrachina**, illustris virgo, cum ab improbo milite capta vim passura esset, promisit militi et hosti suo, si virginitatem ipsi relinquoret illibatam, incomparabilis praemii loco, herbam illi daturam, quam si manducaret, nullo telorum genere vulneratum iri. Placet [p. 13] militi conditio, ut virginem in hortos comitaretur: ubi virgo herbam, quae proxima erat, decerpit, eaque manducata, odioso dixit comiti, ne quid de vi et efficacia istius herbae dubites, in me periculum facito: et iugulum illi ferendum praebuit. Sic miles fidem habens verbis puellae, stricto gladio petivit iugulum, et Christo devotam castamque virginem invitus ac subiratus vita privauit. Ita rem ex HIERONYMO LUDOVICUS VIVES narravit de institutione feminae Christianae lib. 1. Eandemque pervicaciam in regina Cocorae notamus, cuius triste fatum ex Caronii relatione BERNHARDUS VARENUS, de regno Iaponiae describit cap. 14. p. 95. seq. Maluit illa cum suis se conclavi eodem conscremare, quam in Caesaris Fiderii, cuius obses erat arcem transire: cum eius nullum a marito praeceptum habuisse.

In mulierculis Christo, caelesti sponso, nuper devotis, cum persecutionibus horrendis attonitae sibimetipsis consulere non possent, ac plura, quam instabant, mala timerent, cum sexus imbecillitate religio, vel supersticio, pudor atque formido, ad desperationem usque concurrebant: ut, vehementioribus istis affectuum procellis, effugia quaererent, ubi nulla reperiuntur, atque adeo semetipsas enecare non vererentur. Adeo suis affectibus succumbentes, eorum non possunt non persentire tyrannidem, atque, ut OVIDII metamorph. 1. 7. v. 340. alio quidem casu, verba faciam mea,

His, ut quaeque pia est, hortatibus impia prima est,  
et ne sit scelerata, facit scelus. [...]

[Ov. met. 7, 339–340]

Ita Pelagia, virgo Antiochena, ut AMBROSIUS de virginibus lib. 3. et epist 7. ad Simplicianum memoriae prodidit, cum matre et sororibus, in flumen se dedit praecipitem [p. 14]: ne forsitan a persequenti milite violaretur. Et EUSEBIO teste lib. 1. de vita Constant. c. 28. et Nicephoro hist. eccles. lib. 7. cap. 21. Romana mulier nobilissima et castissima, quam RUFINUS **Sophroniam** vocat, semet occidit, ne vim a Maxentio imperatore pateretur. Cum enim perducenda esset ad impium et lascivum Caesarem, iamque pro foribus adstare videret satellites atque ministros libidinis: maritus etiam, metus causa, istis coniugem permisisset abripere: paululum temporis poposcit, ut corpus decenter ornaret. Cubiculum ergo ingreditur, et, cum sola esset, ense transfigit semetipsam. Legitur apud EUSEBIUM quoque l. 8. hist. eccles. c. 24. historia de muliere quadam Antiochiae nobilissima, quae, cum filias duas virgines haberet, aetate integra et corporis forma praestantes, atque timeret, ne satellites impii, ad nefariam libidinem explendam, illis abuterentur, ad medium vix venit iter, atque necessitatis causa paululum de via, decedendi veniam a ducibus invisus petivit. Ea vero impetrata, cum filiabus derepente ad ripam fluvii prolapsa in gurgitem profluentem semet uno impetu praecipitarunt. Sunt illae fortassis eadem, de quibus CEDRENUS fol. 220. testatur, Adaucti martyris coniugem atque filias fuisse, ac semet, ne pudicitia violaretur, in amnem dedisse praecipites. Sic quoque, FULGOSO referente, Dugna, virtutibus et nobilitate insignis matrona ab Attila, Hunnorum rege, expugnata iam Aquileia, quod barbaros audiverat istos in diripiendis urbibus avare et crudeliter agere, nec a mulierum pudicitia abstinere, ut eam vim non experiretur, domum in amnis ripa positam habitans, in eum a fenestra se praecipitem dedit.

[p. 15] Vindictae cupido in feminis semper ad insaniam usque longe maxima fuit. PLUTARCHO teste in Alexandri M. vita, captis ab Alexandre Thebis, in direptione illius urbis, Thraciorum militum praefectus **Timocleam**, nobilem feminam, bonis a militibus iam ereptis, coegit, ut secum misceretur. Ea re peracta, sibi amicam credidit esse factam, et petiti a femina stuprata, offenderet, si domi conditum haberet thesaurum. Respondit confestim mulier, se magnum habere, sed in puteo aquarum vacuo depositum. Eo deductus avarus hostis, sine alio comite, ne quis in partem veniret lucri, cum diligenter et avidissime intueretur, Timoclea, pedibus sublatum praecipitavit in putei fundum, atque lapidibus obruit. Alexander ut rem gestam cognovit, capitis ream absolvit, direpta illi restituit bona, quod commota iusto semet dolore viraginem praestiterit, et una cum liberis matrem immunitate donavit. Historiam simillimam VAL. MAX. l. 6. c. 1. extern. n. 2. narrat. Gallo Graecorum copiis a Cn. Manlio consule in Olympo monte partim deletis, partim captis, Orgiagontis reguli capta uxor, mirae pulchritudinis, a centurione, cui custodienda erat tradita, stuprum pati cogitur. Postquam ventum est in eum locum, in quem centurio, nuntiis missis ad redimendam mulierem, eius necessarios pretium afferre iusserat. Centurione aurum expedente, eiusque in pondus intento, suis lingua vernacula imperavit, ut hostem occiderent. Occisi caput abscissum ipsa manibus ad coniugem suum detulit, eiusque ante pedes abiecit, iniuria et ultionis iustae ordinem exponens. Hoc virtutis erat; multoque laudabilius, quam si utraque virago semet, ad iniuriam vitandam, enecare voluisse, pro scelerato innocentem. Sed maiori cum scelere coniuncta [p. 16] erat Cammae vindicta, quae, teste POLYAENO strat. l. 8. c. 39. Sinati in Gallia tetrarchae coniux propter formam ab altero Galliae tetracha Erasinorice perdite amabatur. Hic, ut mulierem in matrimonium ducere posset, dolo necavit Sinatum, nec longe post viduae ambivit nuptias. Illa constanter renuit, tandem vero, coniugium suadentibus amicis, simulavit assensum. Magno Gallorum comitatu venientem sponsa perhumaniter exceptit, in Diana templum ad aram duxit, ipsaque ex aurea phiala partem bibens, illi partem reliquam ebibendam dedit. Ponus autem erat mulsum veneno mixtum. Cum bibissent, Camma deam, in genua procumbens, adoravit, et gratiam, dixit, tibi habeo, veneranda Diana, quod mihi concesseris in templo tuo supplicium exigere pro marito, mea causa imperfecto. His dictis, confestim exspiravit, simul atque sponsus cum ea vitam reliquit.

Pudor ipse, qui virtutis custos esse deberet, atque turpitudinis cuiusque acerrimus hostis, aliquando visus est homines ita perturbare, ut, ne mentis quidem et rationis compotes, quam aliorum vivere ludibrio, in exitium ruere maluerint. Hunc novimus immodici pudoris non raro in mulierculis effectum fuisse: ut ventri crepitus, quod valde miramur, etiam tristis legatur causa fuisse voluntariae mortis. Apud BERNHARDUM VARENII Iaponiae descriptione c. 14. p. 98. puella quaedam in gynaeceo magnatis alicuius in Iaponia, saeculo superiori, ad mensam ministrabat, genibus pavimento insidens, adversus dominum, ut mos erat gentis, ad vinum ero et matrifamilias infundendum. Cum autem patinae cum cibis quaedam ante dominum positae essent, supra quas brachium extendere debebat infundens puella: ventre compresso non sine [p. 17] sonitu flatum emisit. Quod tanto pudore afficit misellam, ut neque surgere, neque semet extra conclave proripere posset; verum in eodem loco permanens manus et brachia intra stolam absconderet, caput vero intra sinum, oreque ad dextram mammam applicato, dentes ei tanto cum impetu immitteret, ut ipsa infelix puella mox animam efflaret.

Superbia, fastus, et nescio quae gloriola, vel insolens ambitio, multos ad voluntariam necem adegit: ut fortitudinis post fata famam relinquenter posteris. Et eos MARTIALIS ridet libr. 1. epigr. 9.

Quod magni Thraceae consummatique Catonis  
dogmata sic sequeris salvis ut esse velis,  
pectore nec nudo strictos incurris in ensis,  
quod fecisse velim te, Deciane, facis.  
nolo virum facilis redimit qui sanguine famam,  
hunc volo, laudari qui sine morte potest.

[Mart. 1, 8]

Taedium vitae quem cepit, sui ipsius immemorem plane, pervicacem atque furentem reddit, ut instinctu plane diabolico excitatus in rabiem vertatur, et morbo quasi pestifero et insanabili corruptus, sine mora, quocumque modo in semet ipsum saevire non erubescat. Cuius paulo ante facta est mentio, Uticensis Cato, quantumvis sibi sapere videretur, quam ferro non emiserat, animam manu extraxit. Indignam SENECA quoque de providentia cap. 2. indicavit, quae ferro contaminaretur. Anima vero contaminata ad numen Sanctissimum accedere nequit; nedum ferro sibi quisquam parare falutem. Quibus pro arbitrio, mortis instrumenta praesto non erant, obvia quaeque rapuerunt, et, quae natura non erant noxia, vi sua tela fecerunt. SENECA teste epist. 70. ex illis, qui ad bestias damnati vel auctorati, quidam, [p. 18] cum ad matutina spectacula et publicos ludos servaretur, ad corpus exonerandum secessit: nullum enim illi dabatur sine custode aliud secretum: ubi lignum, quod ad emundanda obscaena adhaerente spongia positum est, in gulam infarsit totum, et, vi preeclusis fauibus, spiritum elisit. Quod certe morti est facere contumeliam: ut melius postridie, sic volente magistratu, ni vicerit ipse, horrendis alicuius bestiae unguibus lacerari potuerit. Factum Seneca tamen laudat, quod semet quocumque modo enecare maluerit. Alius, eodem teste loc. cit. cum inter custodias ad matutinum spedaculum, a quodam provinciae praeside missus, veheretur, tamquam somno premente nutaret, caput eo usque demisit, donec radiis infereret: seque tam diu tenuit in sedili suo, donec cervicem rotae circumactu frangeret. Sic poenam sumere de semetipso non dubitarit per idem vehiculum, quo, ad poenam aliis dandam, deducendus erat. Etiam hoc narrat loc. cit. idem Seneca furoris et desperationis exemplum, quod, pro stulta hypothesi sua, censem admiratione dignum esse.

Cum Nero secundum Naumachiae dederit spectaculum, e barbaris unum lanceam, quam in adversarios accepert, totam iugulo suo immersisse. Quaestionem vero, semet enecanti adscriptam, subiungit philosophus ipse:

“Quare [...] non omne tormentum, omne ludibrium iamdudum effugio? Quare ego mortem armatus expecto?”

[SEN. epist. 70, 26]

Sibi suisqie affectibus nimium indulgens non potest non rationis perdere usum, et insaniae, ad ludibrium usque, poenas dare. Non dicam avaritia et plus habendi cupiditate, sed egestatis forsitan imminentis timore semet trucidarunt multi.

De Apicio dictum in commentario de imminente Latinae linguae senectute p. 675. Qui mortalium omnium gulosissimus cum aliquando, rationibus [p. 19] perquisitis, intellexisset, maximam patrimonii partem **absumptam**, et sibi tantum CXXV. florenorum **milia** superesse: ne forsitan interiret fame, semetipsum veneno enecavit.

Epigrammatum Graecorum primo ANTIPATER auctor est, Aristidem, rusticum pauperem, amissa ove et vacca, semetipsum de tugurio suspendisse.

LUCILIUS apud STOBAEUM sermone 10. de iniustitia et avaritia aut gravis in re plus habendi cupiditate pag. m. 127. scribit, Hermocratem avarum morientem in testamento semetipsum rerum suarum heredem scripsisse: Decubuisse autem calculantem, quantum a morbo liberato sibi dadum esset medicis, et quid insumeret aegrotans: et invenisse, unicum sibi restare denarium, si convalesceret. Praestat, ergo dixisse, mori, et diriguisse. Iacuisse nihil habentem praeter obolum: heredes autem eius libenter pecunias diripuisse.

Homines aliquando fuam deplorantes miseriam omnibus votis optant mori, aut suam sibi adimere vitam promittunt. Nisi vero extrema desperatio et summus furor accedat: suis in semet manibus saeuire nequeunt. Quod pluribus demonstratum ivimus fabellis.

Sic CICERO multis imposuit ipse, qui academicus fuit, ac totus a voluntaria morte abhorrebat, ut sibi persuaserint, illum miserable Stoicorum approbare decretum. Familiar. l. 4. epist. 13 n. 4 ad P. Nigidium Figulum scribit:

[...] saepius [...] mihi veniebat in mentem queri quod ita viverem quam gaudere quod viverem. [...] iis conficio curis ut ipsum quod maneam in vita peccare me existimem.

[Cic. fam. 4, 13, 1-2]

Lib. 5. epist. 15. n. 7. ad L. Lucceium:

[...] [litterae] excludere me a portu et perfugio videntur et quasi exprobrare quod in ea vita maneam in qua nihil insit nisi propagatio [p. 20] miserrimi temporis.

[Cic. fam. 5, 15, 3]

Ita passim. Ecquis vero non videt, eum ista scripsisse, non ex rei veritate, et quod Stoicorum approbarit sententiam: sed ut desperationis exponeret magnitudinem: cum et ipse, omnium longe miserrimus, non sine tremore ac timore sicariis tandem caput suum porrexerit? Confer. ibid. observationes nostrae et comment. de virili aetate L. L. part. 2. c. 2. p. 71. Atqui etiam ad Atticum l. 15. epist. 20. scribit:

[...] ex hac nassa exire constitui, non ad fugam sed ad spem mortis melioris.

[Cic. fam. 15, 20, 2]

Quorumque affectuum nimia vehementia, nisi ratio istis ponat obicem, homines plurimum indulgentes sibi, neque rationem audientes, in furorem agit eosque impetus, ut, ne salutis quidem habita ratione, in Deum ingrati, in homines iniurii, in semet ipsos quam maxime crudeles, animam e corpusculo miserrimo propellant. Notat egestie PROCOPIUS Gothicorum lib. 4.

Procopius, De bellis, 8, 12, 11–12 <sup>bbb</sup>	
[...] βίου μὲν καταστροφὴ ἄχρηστος ἀνοια προπετής, τὸ δὲ εἰς θάνατον ἀνόητον θράσος	Violentus vitae exitus res inutilis et plena insipientis impetus, et illa in mortem ferens

<sup>bbb</sup> G. Wirth (post J. Haury), *Procopii Caesariensis opera omnia*, vols. 1-2, Leipzig: Teubner, 1:1962; 2:1963: 1:1, 4-145, 148-305, 307-417, 419-552; 2:1, 4-147, 150-294, 197-484, 487-678.

Retrieved from: <http://stephanus.tlg.uci.edu/Iris/Cite?4029:001:1640904>

<p>τοῦ δραστηρίου πρόσχημα οὐκ εὐπρεπὲς τοῖς γε σώφροσιν εἶναι δοκεῖ. καίτοι καὶ τοῦτο ἐκλογίζεσθαι χρὴ, μή τι δόξητε καὶ εἰς τὸ θεῖον ἀγνωμονεῖν.</p>	<p>audacia, consilio cum careat, prudentibus iudicatur immerito sibi fortitudinis nomen usurpare. Tum vero et illud cogitandum, ne in Deum sitis ingrati.</p>
--	---

Aliquibus non ratio, non iuris auctoritas, sed immanis feritas et supersticio imperat, ut in viscera sua ipsi non vereantur saevire. Ad ROBECCI de morte voluntaria exercitationem pag. 75. annotavi, tam feros alicuius in fortunatis insulae populos suis, ut inter tripudia cantusque, dum sacra peragunt, quasi ad caelestia transirent [p. 21] gaudia, semetipsos de monte praecipites darent. Ubi fidem secutus sum domini de BELLEGARDE *in der allgemeinen historischen Einleitung zu allen bisher ans Licht getretenen Reisen zu Wasser und Land in die alte und neue Welt*, part. 1. pag. 5.

Ihr, derer Völker die man zuerst auf denen Canarien Insuln angetroffen, wildes Wesen siehet man mit mehrerem ans der so tollen Aufführung, wann ein vornehmer Herr den Besitz seines kleinen Staats antratte. Denn da opferten sich viele, dem Festin zu Ehren, mit Freuden, und stürzten sich aus einer unmenschlichen courage von dem höchsten Berg herab. Eben dergleichen saubere Gewohnheiten hatten sie auch bey gewissen Festtagen, so sie einer besondern Gottheit in einem nahe bey dem Gipfel des Berges gelegenen Tempel zu Lieb angestellet. Sie sprangen nemlich, aus rasender Andacht, mit singen und tantzen in den Abgrund, unter der falschen ihnen von ihren Priestern beygebrachten Einbildung, daß sie nach einem so heldenmüthigen Tod allerhand Wollust geniesen würden.

Voluntaria mors nihil aliud, quam infelix liberi arbitrii **fetus**: quod pervicaces suisque affectibus nimis indulgentes, velut monstrum ac idolum aliquod venerari et adorare non verentur: quasi non Deo T. O. M. creatori ac Domino caelesti, sed sibimetipsis sese et omnia referant accepta. Sic sane homunciones miseri faciunt intellegendo, ut nihil intellegant, suamque longe maximam, dum philosophantur, prodant stultitiam: nec modestiae aut alias virtutis fuco malitiam nefariamque insolentiam tegere satis queant. Egregie disserentem audiamus Senecam epist. 70. Cum hominis vitam cum mari et navigio, mortem vero cum portu composuisset:

[...] portus, *scribit*, est, aliquando [p. 22] petendus, *quod Stoicum plane et falsissimum, numquam recusandus* [...].

[...] Non [...] vivere bonum est, sed bene vivere. Itaque sapiens vivit, quantum debet, non quantum potest. Videbit ubi victurus sit, cum quibus, quomodo, quid acturus. Cogitat semper, qualis vita, non quanta sit. Si multa occurrent molesta, et tranquillitatem turbantia, emitit se. Nec hoc tantum in necessitate ultima facit, sed cum primum illi coepit suspecta esse fortuna, diligenter circumspicit, numquid **illo** desiniendum sit. Nihil existimat sua referre, faciat finem an accipiat; tardius fiat, an citius. Non **tamquam** de magno detimento timet; nemo multum ex stilicidio potest perdere. Citius mori **aut** tardius ad rem non pertinet, bene mori aut male ad rem pertinet. Bene autem mori est effugere male vivendi periculum.

[SEN. epist. 70, 3; 4–6]

Hoccine sub dulci et ambigua morum commendatione latens venenum: et Stoicorum miserabile decretum, qui, quod **Dei** est, illius summi rerum arbitri, sibimet ipsis arrogant, divinam gubernationem respuunt, naturam pervertunt, rationem impugnant, et quoties vel somniantibus, vel delirantibus vitae non videtur superesse causa, desperantes ac semet eduentes adversus Dominum suum perfide rebellant, atque adeo perniciose in exitium ruunt.

Itaque *ego piam et generosam, minime vero gentium cum Seneca*, effeminatissimam vocem illius Rhodii *Telesphori* existimo, qui cum in caveam coniectus esset a tyranno *Lysimacho*, et **tamquam** ferum aliquod animal aleretur, suadenti cuidam, ut abstineret cibo: “omnia,” inquit, “homini, dum vivit, speranda sunt.” [...]

[SEN. epist. 70, 6–7]

Fidendum enim **deo** est, ab cuius sanctissima et sapientissima voluntate omnia dependent: [p. 23] quique opem et auxilium suis praeter opinionem ferre solet, ipsis quoque varia calamitate exs~~s~~tinctis ad salutem gaudiaque caelestia porrigit manum. In fide et caritate autem ad vitae finem usque perseverandum: si quis victoriam coronamque sibi promittere velit.

[...] Ut sit hoc verum, *pergit*, non omni pretio vita emenda est. [...]

[SEN. epist. 70, 7]

Profecto omni, si quo emenda fuerit. Quidquid vir possidet, pro vita redimenda quam lubentissime dabit. Quotus etiam quisque regum maximorum non omnia relicturus est, si vita longiori tantum illi sine splendore perfriu liceret?

[...] Quaedam licet magna, licet certa sint, tamen ad illa turpi infirmitatis confessione non veniam.

[...]

[SEN. epist. 70, 7]

Haecce, humilitatis vel modestiae quadam specie, abominanda est pervicacia? Agnoscere certa et magna, nec tamen ea velle sequi. Magna cum sit hominum infirmitas: eos divina, quae amplectenda et adoranda, firmare potest gratia. Sic sane cum Deo, qui mihi praesto semper et ubique, munitissima possum transcendere moenia, et quascumque calamitates vincere. Sed homo, sibi suoque arbitrio relictus, non potest non miserrima conditione uti, atque dum sine Deo, et eius sanctissima voluntate, consulere vult ipse sibi, minorem cum longe maxima calamitatem commutare.

[...] Ego cogitem in eo, qui vivit, omnia posse fortunam, potius quam cogitem in eo, qui scit mori, nil posse fortunam?

[SEN. epist. 70, 7]

Iniquitatem vide et blasphemiam, etiam eorum, qui verum noluerunt agnoscere Deum. Sui fortuna dea est, uti quidem voluerunt idololatiae: ab hominum non potuit dependere iudicio, vel arbitrio. Deus vero T. O. M. penes quem unum ius vitae ac necis, in vivis omnia potest, atque illis, qui secundum eius voluntatem, i. e. recte, mori didicerunt [p. 24]. In **Deo** sumus atque versamur, cui accepta referimus omnia, illi nos quoque oportet vivere atque mori, quando nos vivere vult atque mori, non impotens ac nihil faciendum arbitrium nostrum: cum et ipse mundi Servator **Iesus** non, quod suae, petierit, sed quod divinae patris sui olim esset voluntatis.

Aliquando [...], *immo semper*, etiam si certa mors instabit et destinatum sibi supplicium sciet, non commodabit poenae suae manum; [...] Stultitia est timore mortis mori. Venit qui occidat. Exspecta. Quid occupas? Quare suscipis alienae crudelitatis procriptionem? Utrum invides carnifici tuo an parcis? [...]

[SEN. epist. 70, 8–9]

Bene.

[...] Socrates potuit abstinentia finire vitam, et inedia potius, quam veneno mori. [...]

[SEN. epist. 70, 9]

Vim ille numquam voluit inferre sibi: sed magistratus iussu debuit mori, et sumere venenum, innocentissimo destinatum.

[...] Triginta tamen dies in carcere, et in exspectatione mortis exegit, non hoc animo tamquam omnia fieri possent, tamquam multas spes tam longum tempus reciperet, sed ut praeberet se legibus, ut fruendum amicis extremum Socraten daret. [...]

[SEN. epist. 70, 9]

Semet interimere, Socrati numquam in mentem venit: innocentem vero etiam a magistratu capit is fuisse damnatum, nihil fecit, ac lubentissime cessit iudicato. Sed tamen, auctore XENOPHONTE. Post ipsam damnationem, ille necesse fuit vivere triginta dies, quod Delia festa intervenerunt eo mense:

neque lex sivit quemquam occidi priusquam pompa a Delo rediisset. Apud ipsos quoque Romanos suppliciis funestare festos laetosque dies, nefas habebatur. Quae sequuntur, plena sunt Stoicae iniquitatis et stultitiae: ut sua sibi quisque cosulat tyrannide, nec adversus **Deum**, qui unus rerum humanarum arbiter, penes quem unum ius [p. 25] vitae ac necis est, rebellare vereatur. Quidni statione nostra fideles atque constantes in universum pronunciemus, ubi mortem externa vis denuntiat, eam non occupandam, sed exspectandam esse? Qui scire possumus, acerbane, an facilis olim sit nobis mors futura? Non certe nobis integrum, eligere, quam volumus, lenitatem mortis: neque discedendi modus est in potestate nostra: cum inter maximos cruciatus fuerint gratia innixi divina plurimi, qui ne mortis quidem senserunt aculeum, aut extremos: eorum contra plurimi qui semet placide voluerunt educere, longissima et maxima perpeti debuerunt corpusculo miserrimo inflicti vulneris tormenta, priusquam infelix anima, forsan ad maiores cruciatus, vinculo suo liberari potuerit. Quae, obsecro, consequentia, vel similitudo:

[...] Quemadmodum navem eligam navigaturus et domum habitaturus, sic mortem exiturus e vita. [...] [SEN. epist. 70, 11–12]

Navigaturus profecto nauim sumere debes, et, nisi quam ipse habes, conducere domum, ut commodius habitare possis. Ut vero non pro lubitu et arbitrio in hanc vitam ingressus es, sed a potentissimo et sapientissimo creatore vita et ratione ornatus in hanc quasi orbis scenam productus, ut ad finem usque fabulae constanter atque decenter eam repraesentares personam, quae divinitus constituta es: ita neque tibi pro lubitu exeendum, ut interrupatur nondum finita fabula, neque sumenda tibi, sed exspectanda mors est. Divinum utique donum longior reputanda est vita: neque peior dilata mors est, ut praeparatio ad felicitatem aeternam veramque salutem captandam longior atque adeo firmior esse possit.

Consilium, quod sequitur, est plane diabolicum. Animus semper et ubique suo Domino cœlefti, qui unus [p. 26] servare et perdere potest, in omnibus, maxime vero in morte alio aliquo modo, sapientissime et sactissime tamen immittenda mortalibus, non sibi, non pertinaciae suae, non affectuum malis persuasionibus, morem gerere debet. Animus liberum sibi arrogans arbitrium, atque adeo dominum relinquens suum, furiis affectuum suorum infernalibus miserrime relictus, non potest non quaevis admittere scelera, desipere, furere, saevire in sua viscera, atque adeo citato gradu in exitium ruere: sive ferrum appetat, sive laqueum, sive potionem venas occupantem: quibus, dum animam præcipitat, miserumque corpusculum proicit, ad cruciatus aeternos crudelissimo daemoni mancipium mittit: cuius instinctu ac præstigiis, ambiens libertatem atque in se summum dominium, ut divinae adversaretur voluntati, vincula servitutis abrumpere voluit.

Vitam et aliis adprobare quisque debet, mortem sibi. Optima est, quae placet. [...] [SEN. epist. 70, 13]

Mortem aequa ac vitam debemus probare præsertim Deo, iuxta Deum bonis omnibus, non malis, non stultis, non nimium indulgentibus sibi. Qui voluntatem divinae suam præferre non dubitat, neque semet liberi arbitrii fingere idolum: actiones profecto suas Deo numquam probare poterit, affectuum ubique succumbit procellis, atque vitam sine Deo miserrimam vivit, cuius ipsum tandem paenitere oportet. Nec malam vitam excipit mors bona, etiamsi illam videatur sumere sibi. Mors optima, quae Deo, mortis ac vitae domino, non quae, dum captant, insanis mortalibus placet. Qui adeo stulte, adeo pervicaciter immemores sui, ut artissimum et amicissimum, quod inter corpus et animam est, non dubitant ipsi frangere vinculum, etiam nihili faciunt post fata famam, iniquissime, crudeliter, et impie fecisse, [p. 27] parum fortiter, nimis temere fecisse. Non providentiae, non gubernationis divinae, non decori et honestatis habita ratione, furentes ac rebellantes naturam ipsam expugnant, ut semet fortunae i. e. Numinis aeterni sanctissimae voluntati quam celerrime eripiant, atque suo tandem ad exitium satisfaciant arbitrio. Ab sanioribus nolunt sibi ad libertatem viam præcludi.

[...] Nil melius aeterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. [SEN. epist. 70, 14]

ita vero, ut nihil ab arbitrio hominis, sed omnia, vel ad introitum, vel ad exitum vitae solum dependeant a voluntate divina, cui resistere profecto mortalium nemo potest. Alioqui sunt exitus multi, ut Tragicus Thebaide actu 1. vers. 150. seqq.

ubique mors est; optime hoc cavit deus.  
eripere vitam nemo non homini potest,  
at nemo mortem; mille ad hanc aditus patent.

[SEN. Phoen. 151–153]

Ferrum, laqueus, aqua, capitis in parietem illisio, inedia, spiritus retentio, innumerabiles modi, quibus si placet, quis sibi a necessitate vivendi libertatem illiberalem atque adeo mortem inauspicatam vindicare potest.

*Et Uticensis Cato, cum vim intulisset ipse sibi*, an nescis, *dixit*, paulisper spiritu represso, aut capite ad parietem illiso, emori licere.

Eadem vero epistula pergit insanire Seneca:

Ego expectem vel morbi crudelitatem vel hominis, cum possim per media exire tormenta et adversa discutere? Hoc est unum, cur de vita non possimus queri: neminem tenet. Bono loco res humanae sunt, quod nemo nisi vitio suo miser est.

[SEN. epist. 70, 15]

Tu ergo, tui iuris et arbitrii, caelestis domini, qui rex regum est omnium, non agnoscis potestatem summam et immutabilem providentiam. Neque didiceris temet cognoscere ipsum, non Deum creatorem [p. 28], non mortalium condicionem, non huius vitae vicissitudines et aerumnas; neque fortunam utramque, ut decet, aequo ferre animo. Tu, nisi prospera, non exspectas. Tu pro arbitrio, quae ipse vis, omnium bonorum datori, et summo rerum arbitro, tibi danda praecipis, ac vita, quam illis, carere praeoptas. Scelere mavis obire tuo, quam communi mortalium omnium subesse legi. Haecce adversus Deum rebellio, et longe maximum caeleftis laesae maiestatis crimen? Haecce impietas, vel iniuria stupenda, et extrema impudentia? Beneficia ut nemini sunt obtrudenda, nec invito impertiendum quidquam: quin abeas, te vita non tenet: quo abeas, sero nimis tu tandem videbis, tuoque senties malo, neminem, nisi vitio suo, esse miserum. Intelleges, ubi nolueris, quam gravia et levia, quam abundantia et moderata, quam intolerabilia et vulgaria, quam aeterna et temporalia differant. Attende porro, ut mortem voluntariam philosophus suadeat ineptis, fictum et exitiosum liberi arbitrii idolum.

Placet; vive.

[SEN. epist. 70, 15]

Quasi vitam sibi quis, ubi mortis a Deo destinata venit hora, per breve temporis spatium differre et prolongare queat.

Non placet; licet eo reverti, unde venisti.

[SEN. epist. 70, 15]

Atqui pro lubitu non venisti: sed a beneficio et omnipotente rerum omnium servatore et arbitro, cum prorsus nihil esses, nihil sentires, nihil intellegeres, missus, enutritus, et longe maximis perpetuo cumulatus beneficiis, temet grato constantique animo, nullius extra te habita ratione, ad beatam aeternamque vitam praeparare, atque adeo placide, si Deus vocarit, discedere debes. Quandocumque corpus et animam praecipitare et perdere potes: unde venisti, pro lubitu reverti nequis.

Ut dolorem capitum levares, sanguinem saepe [p. 29] misisti. Ad extenuandum corpus vena percutitur. Non opus est vasto vulnere dividere praecordia; scalpello aperitur ad illam magnam libertatem via et puncto securitas constat. Quid ergo est, quod nos facit pigros inertesque?

[SEN. epist. 70, 16]

Hoc certe, quod circumferimus, corpusculum est fragile, tantoque maiori cura et solicitudine sustinendum: ne quid extrinsecus detrimenti capiat. Qui ratione utitur, atque, ut homo est, naturae vivit convenienter: vitam quovis modo conservare studet. Venae sectio, ad pristinam valetudinem recuperandam, aliquando videtur esse utilis et necessaria. Ad corpus vero destruendum et expellendam infelicem animam, ut puncto cum securitate et libertate salutem, irreparabile bonum, perdat: nemini sanguinem mittere vel suffocare licet. Quod qui facit, piger et iners, **immo** furiosus, et in semetipsum quam maxime impius atque crudelis erit.

Nemo nostrum cogitat [...]

[SEN. epist. 70, 16]

qui vero sapiunt, atque sibi recte consulere cupiunt, assidue cogitant,

[...] quandoque sibi ex hoc domicilio exeundum; [...] veteres inquilinos indulgentia loci et consuetudo [...]

[SEN. epist. 70, 16–17]

non nisi tamen accidente Numinis aeterni divina voluntate,

[...] etiam inter iniurias detinet.

[SEN. epist. 70, 17]

quas forti constantique animo, recti conscientia et **caelesti** auxilio freti, quoad Deus voluerit, ferre debent.

Vis adversus hoc corpus liber esse?

[SEN. epist. 70, 17]

Dicendum potius, vis corporis non nimium indulgere voluptatibus, neque alia super aliis amplecti vel audire malorum irritamenta? Vis domino subiectus esse fidelis? Vis creatoris et servatoris benefici et sapientissimi saluberrimum exosculari consilium, neque liberum stulte tibi arrogare arbitrium: ut quam lubentiflime, quo te fata trahunt, retrahuntque, sequaris?

Tamquam migraturus habita. Propone tibi [p. 30] quandoque hoc contubernio carendum; fortior eris

[SEN. epist. 70, 17]

si quando mors tibi fuerit secundum voluntatem divinam et naturae ordinem subeunda,

ad necessitatem exeundi.

[SEN. epist. 70, 17]

Meditatio mortis est optima philosophia: **immo** nullius rei meditatio tam necessaria est. Nihil vero turpius, nihil perniciosius, nihil homine magis indignum, quam mors voluntaria. Haec enim perditam, infestam, perfidam, desperantem, et furiosam mentem prodit.

Et ULPIANUS §. 6. 1 3. D. de bonis eorum et c. merito censet puniri eum, qui manus sibi violentas intulit: qui enim sibi non pepercit, nec eum parcere aliis. Confer. l. 6. D. de re milit.

Apud PETRONIUM satyr. edit. Francof. p. 124. homines cum dixerint nequam, praeligemus vestibus capita, et ms in profundum mergamus: nec istud dii hominesque patientur. Eumolpus exclamat, ut vos tam turpi exitu vitam finiatis. At, inquires, Epicureus ille est. E communi tamen Romanorum opinione loquitur, et mortis voluntariae turpitudinem haud difficulter omnibus probare potest. Accelerant mortem sibi omnes, qui suis affectibus nimium indulgent. Sic sane ira, aegritudo, terror, odium, invidia, Venus, temeritas, gula, et effrenata libido non paucis immaturi obitus satis quidem tristis causa fuit. Illi vero per indirectum suae necis possunt esse rei: nec sua sponte obeunt: ut mortem sibi voluntariam ipsi elegisse aut manus intulisse dici nequeant. Alii, dum aliud moliuntur, inviti semet enecant ipsos. Ut vitam servarent, urgente necessitate, ad mortem multi prosilierunt, et autocheiriae accusandi non sunt. Alio alioque modo homines vitae ac saluti consulere cupiunt: et minime consulto,

sed casu, intereunt. Alcibiades, apud NEPOTEM cap. 10. ne sua [p. 31] casa combureretur, incolumis vim flammae transiit, et hostium telis interfectus est. Quam quis non recta ingreditur via, calamitas facilius excusari potest. Ecquis dixerit, puellam istius sceleris accusandam esse, cuius triste fatum VARENIUS describit defcribit Iaponiae cap. 14. pag. 99. seqq. Eam viduae pauperae filiam formosam dynasta in *pelicum* assumpserat numerum. Illi mater aliquando litteris extremam egestatem suam exponit: quas cum legeret, dominus advenit, et quales essent, scire cupit. Puella nimia suffusa pudore erubescit domino matris paupertatem fateri: et illo severius, ut epistulam sibi traderet, instante, chartam tenuem in os intrudit, eamque deglutire conatur. Ea vero in gutture haerente, subito suffocatur. Dominus zelotypia ex ira furens iubet dissecatis faucibus eximi chartam: eaque perfecta contristatur valde, nec a lacrimis abstinere potest. Matrem itaque post obitum filiae in aedes suas deduxit, ac honorifice habitam ad vitae finem usque perquam liberaliter alere instituit. Consulto et studio sibi parare necem: inhumanum et plane diabolicum esse, quoad mens sana in corpore fano est, prorsus nemo negare poterit. Cum Hannibal apud Prusiam degeret in castello, sibi a rege muneri dato, ac undique ab Romanorum multitudine circumdaretur: ratus, vitam non esse diutius retinendam, venenum, quod semper secum habere consueverat, sumpsit: et in caput regnumque Prusiae exsecratus, et hospitales deos, violatae ab eo fidei testes, invocans, ad exitium ipse parandum sibi, poculum exhausit. vid. CORNELIUS NEPOS eius vita c. 12. extr. et LIVIUS l. 39. c. 51.

Maius, quam contra ipsius rationis persuasionem [p. 32] propriamque asseverationem, non potest committi scelus. Tantum vero sibi relictis affectuum procellae ac tyrannis imponunt: ut miseri homunciones aliquando extrema desperatione, quod ipsi ante semper damnarunt, perpetrare non vereantur, suique immemores plane in exitium ruant. Illustrius nihil fuit Catonis Uticensis violenta caede: qui profecto numquam ante voluntariam mortem approbasset: desperans vero cum pristina Romanorum libertate omnia: ne et ipse manus veniret Caesaris, dubia tremulaque manu tandem pectori levius impressit vulnus; ut statim non posset mori, sed e lecto prolapsus abacum non sine magno strepitu deiceret. Quod cum servi audirent, concurrentes in cubiculo Catonem invenerunt sanguine foedatum, sed viventem. Medicus quoque accedens ligavit vulnus: ipse vero moribundus, ne quid tanto scelere videretur errasse, delirans plane, repulso medico, vulnus patefecit, sua ipse viscera laceravit manu, et misere perit. Noluit ergo, quae crudelitas atque tyrannis! parcere ipse sibi: cui profecto Caesar acerrimus hostis pepercisset. Cum enim victor ille factum intellexisset: in video, dixit, morti tuae, Cato: nam et tu gloriae meae pro salute tua invidisti. Sed suam ipsi dedecoravit turpissima caede, et illustravit Caesaris victoris mitissimi gloriam. vid. PLUTARCHUS Catonis Uticensis vita extr. p. m. 297. Marcus Brutus Catonis factum damnavit: quod nec pium esse censeret, nec virile, cedere fortunae, et imminentia adversa, quae fortiter erant ferenda, subterfugere. Eius tamen ipse postea secutus exemplum, et ensis incumbens cuspidi, vitam finivit. PLUTARCHUS eius vita p. m. 314. Decimus Brutus, cum a suis desertus in manus pervenisset inimici, atque iam esset iugulandus, casum [p. 33] aegerrime tulit ac deploravit vehementer. Sed Helvius quidam Blasio, qui propter communem militiam amore eum persecutus est, semetipsum interfecit, eo inspiciente, ac imperatori ad necem tolerandam animum addidit. DIO CASSIUS hist. l. 46 p. m. 370.

Stoicorum tristi e vita eductionis decreto quam vehementissime quotquot fuerunt academicci et peripatetici philosophi contradixerunt. Atque etiam, ipso teste SENECA epist. 24. Epicurus obiurgauit non minus eos, qui mortem concupiscunt, quam eos, qui timent, et

“Ridiculum est, *dixit*, currere ad mortem taedio vitae, cum genere vitae, ut currendum ad mortem esset, effeceris.”

[SEN. epist. 24, 22–23]

Item:

“Quid tam ridiculum quam adpetere mortem, cum vitam inquietam tibi feceris metu mortis?”

[SEN. epist. 24, 23]

Antiquissimae Hebraeorum genti mors voluntaria ne quidem in mentem venit, utpote res ipsi hominum naturae adversa, et inaudita: donec tandem extremis temporibus sceleratorum aliquot scelerati et rebellantes pessima sequerentur exempla. Vid. animadvers. ad Robecci dissert. de morte voluntaria p. 245. et 255. Ipsa Hebraeorum lingua *mori* idem est quod *dimitti*, *ire*, vel *evanescere cogi*, in Niph. et Pih. a radice הַלְךָ (halákh) *ambulavit*.

Ita quod Domino conquestus est Abrahamus Genes. XV. 2.	Septuaginta interpretes expresserunt	
אָנֹכִי הַלְךָ עֲרֵב	ἐγὼ δὲ ἀπολύομαι ἄτεκνος [Genesis / 1. Mose 15, 2]	Ego autem morior sine liberis

ἀπολύεσθαι est dimitti.

Numer. XX. 29.

וְאַתֶּן לְךָ כִּי עַמְּךָ	[...] ὅτι ἀπελύθη Ααρων, [...] [Numeri / 4. Mose 20, 29]	quod dimissus sit Aaron.

Simeon venerandus senex. Luc. II. 28

νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, δέσποτα, κατὰ τὸ βῆμά σου ἐν εἰρήνῃ. [Lukas 2, 29]	Nunc dimittis servum tuum, domine, secundum verbum tuum, [p. 34] in pace	

Et hoc commune Graecis loquendi genus. THEMISTIUS de anima:

ἀπολύεσθαι [...] τὸν ἀποθνήσκοντα καὶ τὴν τελευτὴν ἀπόλυσιν καλοῦσιν, [...] [Plut. fr. 177, 30–31 / Stob. 4, 52b, 48, 28–29]	Dimitti eum, qui moritur, aiunt, et mortem dimissionem vocant.	

PLUTARCHUS in consolatione:

[...] ἔως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς. [Plutarchus, Consolatio ad Apollonium, 108 D 1]	Donec Deus ipse dimittat nos.	

Et siores Persae a voluntaria morte abhorrebant, quod ex ipsius regis Darii verbis apud CURTIUM patet, qui alieno scelere, quam suo, mori maluit.

Idem quoque Arabibus visum et Indis. Jobus III. 21. uxoris castigat et valde reprehendit ineptam desperationem, quam cum insanientibus mulierculis haberet communem: a Deo qui bona pridem acceperint, etiam non recusare mala: ut aequo animo fortunam utramque ferre didicerit.

Megasthenes quoque apud STRABONEM geograph. l. 15. p. m. 493. notat ab Indorum sapientibus reprehensum Calani factum: nec placitis eorum talem exitum probari hominum vitae impatientium. Strabonis dabimus verba Latine:

	Strabo, Geographica, 15, 1, 68, 2–27
Calanum cum Alexandro fuisse, et igne mortem sibi conscivisse, uno dicunt omnes ore: modum	[...] ὅτι μὲν γὰρ συνῆλθεν Ἀλεξάνδρῳ καὶ ἀπέθανεν ἐκών παρ' αὐτῷ διὰ πυρὸς

vero non eundem omnes dicunt, nec easdem causas. Quidam tradunt eum, tamquam regis praedicatorem, illum fuisse secutum ultra Indiae fines, praeter communem aliorum philosophorum consuetudinem, qui Indiae regibus assistunt, ea praecipientes, quae ad deorum cultum pertinent, quomodo magi Persarum regibus solent. Cumque apud Pasargadas aegrotaret (nam tunc primum invasit eum morbus) se ipsum vita solvisse, annos natum LXXIII. Regis precibus non curatis. Facto enim rogo, et aurea lectica super imposita, illum in ea cubuisse, velatoque corpore combustum esse. Alii eum in linea domo frondibus plena, et pyra super tabulato constructa [p. 35] inclusum, ut iusserat, pompa peracta, se ut trabem in ignem inieciisse, et cum domo deflagrasse. Megasthenes nullum philosophis decretum esse de morte sibi consiscenda affirmat. Sed temerarios haberi, qui hoc in se admittant: ac natura quidem duros in vulnus vel praecipitum ferri: doloris patientes in profundum maris, doloris impatientissimos strangulari, igneos in ignem detrudi: ac tales Calanum fuisse, incontinentem sane hominem, et mensae Alexandri mancipium.

όμοιογοῦσι· τὸν δὲ τρόπον οὐ τὸν αὐτὸν φασιν οὐδὲ κατὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας, ἀλλ’ οἱ μὲν οὕτως εἰρήκασι· συνακολουθῆσαι γὰρ ὡς ἐγκωμιαστὴν τοῦ βασιλέως ἔξω τῶν τῆς Ἰνδικῆς ὅρων παρὰ τὸ κοινὸν ἔθος τῶν ἐκεῖ φιλοσόφων· ἐκείνους γὰρ τοῖς αὐτόθι συνεῖναι βασιλεῦσιν ὑφηγουμένους τὰ περὶ τοὺς θεούς, ὡς τοὺς μάγους τοῖς Πέρσαις, ἐν Πασαργάδαις δὲ νοσήσαντα, τότε πρῶτον αὐτῷ νόσου γενομένης, ἔξαγαγεῖν ἔαυτόν, ἄγοντα ἔτος ἐβδομηκοστὸν καὶ τρίτον, μὴ προσέχοντα ταῖς τοῦ βασιλέως δεήσει· γενομένης δὲ πυρᾶς καὶ τεθείσης ἐπ’ αὐτῆς χρυσῆς κιλίνης, κατακλιθέντα εἰς αὐτήν, ἐγκαλυψάμενον ἐμπρησθῆναι· οἱ δὲ ξύλινον οἶκον γενέσθαι, φυλλάδιος δ’ ἐμπλησθέντος καὶ ἐπὶ τῆς στέγης πυρᾶς γενομένης ἐγκλεισθέντα, ὥσπερ ἐκέλευσε, μετὰ τὴν πομπὴν μεθ’ ἣς ἡκε, ρύψαντα ἔαυτὸν ὡς ἄν δοκὸν συνεμπρησθῆναι τῷ οἴκῳ. Μεγασθένης δ’ ἐν τοῖς μὲν φιλοσόφοις οὐκ εἶναι δόγμα φησὶν ἔαυτοὺς ἔξαγειν· τοὺς δὲ ποιοῦντας τοῦτο νεανικοὺς κρίνεσθαι, τοὺς μὲν σκληροὺς τῇ φύσει φερομένους ἐπὶ πληγὴν ἢ κρημνόν, τοὺς δ’ ἀπόνους ἐπὶ βυθόν, τοὺς δὲ πολυπόνους ἀπαγχομένους, τοὺς δὲ πυρώδεις εἰς· πῦρ ὀθουμένους· οἷος ἦν καὶ ὁ Κάλανος, ἀκόλαστος ἀνθρωπος καὶ ταῖς Ἀλεξάνδρου τραπέζαις δεδουλωμένος; [...]

Gentium, quarumque consensum satis quidem luculentis scriptorum testimoniis, praeliminari dissertatione de morte voluntaria, notavimus. De Christianis notatu dignum, quod in Jobum lib. 2. ORIGENES commentatus est:

Hi, qui semetipsos interfecerint, qui sibimetipsis mortem intulerunt, numquam requiem habebunt: isti infinita saecula numquam invenient refrigerium, sed animae eorum mox, ut de corpore exierint, in tenebras deducentur.

Ad rem quoque satis accommodate D. AUGUSTINUS cum passim alibi, tum in aureis de civitate Dei Libris, et in sermone de patientia, ex divino pracepto, vel prohibitione potius, *non occides*, ostendit, multo grauius ab eo peccari, qui sibimet ipse, quam ab eo, qui ex hominibus alii necem intulerit. Nam et paricida, qui cognitione et amicitia sibi iunctos interficit, gravius peccat, quam aliis quisque homicida, qui peregrinum hostemve ignotum trucidat. Quidni dicamus, eum omnium sicariorum gravissime peccare, qui violentas sibi non dubitat inferre manus: cum proximus sit quisque sibi? Et sapienter ille doctor ecclesiae, non minus pietate, quam eruditio conspicuus, Jobi et martyrum sanctorum patientiam animique fortitudinem insignem Donatistarum furori et impotentiae opposuit: qui semetipsos occidere non verebantur, ut sanctorum martyrum laudem gloriamque reportarent.

[p. 36] Attamen non omnes αὐτόχειρες, absolute et indistincte videntur esse damnandi. Sententiam pridem dixi meam, dissertatione praeliminari de morte voluntaria p. 16, non sine miseratione condonandum esse gravioribus morbis, ac summae illorum aegritudini, qui saniori sensu vivunt destituti. Nam si quis non ex perfida et mala mente, laborum ac miseriarum taedio, praemeditato scelere, vel desperatione, sed atra laborans bile, ex phrenesi et melancholia, mortem sibi conciverit: si pie vixit, non potuit, qui adeo imprudens furiensque in exitium ruit, male mori: ut eius hominis misera condicio sit magis deploranda, quam poenis digna damnatorum iudicanda. Sunt viae Domini admirabiles et numquam satis perscrutandae, gratia vero infinita ut temerarium mortales indicium

haudquaquam deceat. Si quis mente captus aut furiosus peccat, nec parcere novit sibimet ipsi: tristis est morbi effectus, et rationis defectus, ut culpa non videatur in ipsum redundare. Sensus caeco impetu rapit ignorantia, ut, quo pertrahatur, miserrimus homo nesciat ipse. Ignorantia vero delicta quaevis excusare solet: quae hominis, in paroxysmo phrenetico et melancholico invalescente, summa est: ut alienum non suum opus facere videatur, praeter voluntatem, ex rationis vel animi defectu et imbecillitate corporis: quemadmodum aliquando etiam pii, proh dolor!, experiuntur, ut affectuum praevalente imperio, faciant, quae nolint.

Rom. VII. 14. seqq.

Ignorantium ipse Deus testatur rationem habere, Jonae IIII. 11

	Jona, 4, 11
non ego, <i>inquiens</i> , Ninivae parcerem, civitati maxima, in qua sunt plures duodecim myriadibus hominum, qui ne discriminem quidem inter dextram et sinistram suam norunt?	ἐγὼ δὲ οὐ φείσομαι ὑπὲρ Νινευη τῆς πόλεως τῆς μεγάλης, ἐν ᾧ κατοικοῦσιν πλείους ή δώδεκα μυριάδες ἀνθρώπων, οἵτινες οὐκ ἔγνωσαν δεξιὰν αὐτῶν ἢ ἀριστερὰν αὐτῶν [...];

Neque licet eos honesta privare sepultura, qui commiseratione potius digni habentur, quandoquidem vitae ante actae sufficiens meruere testimonium. Confer. CARPZOVIUS ecclesiast. iurisprud. lib. 2. tit. 24. definit. 377. Eorum plane alia est ratio, qui deliberata voluntate, studio, et mala mente, semetipsos enecare non dubitarunt: quod sapientiae et necessitatis esse arbitrati fint.

**Finis.**



Iohannis Robeck

Calmaria – Suedi

**Examen calumniarum, nugarum et fallaciarum, quibus tamquam argumentis utuntur εὐλόγου  
ἔξαγωγῆς**

**consensus generis humani, salutis et gloriae bonorum virorum honestarumque feminarum  
hostes et oppugnatores.**

Exercitatione peculiari philosophica <sup>a)</sup> sententiam nostram validissimis, nisi valde fallor, <sup>b)</sup> argumentis munivimus et firmavimus, [p. 2] variis insidiatoribus et hostibus identidem repulsis: nunc autem velut ex condicto cum illis congregiemur, et quae in contrarium afferunt, curatius examinata profligabimus.

Ac primum quidem, quod est facillimum, rhetoris Lactantii, sed vel ignorantis, <sup>c)</sup> quod est praecipui fere rhetorum munera, dividere quaestiones, constituere causam, et dispicere, qua de re agatur; vel quod longe peius est, studio perturbantis quaestiones, et ea quae ad cognitionem causae ac diiudicationem rei, de qua agitur, pertinent, supprimens, effrenatam, extraque omnes, quod dicitur, oleas effusam maledicentiam paucis castigemus. Is v.I. D. 3, 18. <sup>d)</sup> facta mentione principum [p. 3] philosophiae Stoicae Zenonis, Cleanthis, Chrysippi, Catonis:

Democritus, *ait*, in alia fuit persuasione, sed tamen

sponte sua leto caput obvius obtulit ipse

[Lucr. 3, 1041]

quo nihil sceleratus fieri potest.

Bona verba, quaeso. Fecerunt certe, letoque capita sua obtulerunt ingenti numero martyres, aut Christiani saltem. **e)** De Democrito partim mentitur, **f)** partim ex [p. 4] historia, licet brevissima, mortis eius, et verbis Lucretii amputat ea quae maxime ad rem faciunt. Et mentitur quidem, quod Democritus fuerit in alia persuasione de rebus huc spectantibus: nempe de fine, summo bono, virtutibus et officiis, singulatim peristaticis illis, ex quibus est mors voluntaria. Malitiose vero tollit et omittit verba Lucretii, quae praecedunt, et causam continent:

denique Democritum postquam matura vetustas  
admonuit memores motus languescere mentis,  
sponte sua leto caput obvius obtulit ipse.

[LUCR. 3, 1039–1041 ed. Bailey]

Sed audiamus solide probantem scilicet, et evidenter demonstrantem Lactantium. Nam si homicida, inquit, nefarius est, qui hominis extinxor est: eidem sceleri obstrictus est qui se necat, quia hominem necat. **Immo** vel maius id facinus esse existimandum est, cuius ultio soli Deo subiacet. Quae sequuntur de domicilio corporis, dudum allata et explosa.

Hic **1.** Lactantio Lactantium, vel autorem epitomae Institutionum eius opponimus, ita differentem: Quae [p. 5] stultitia est velle volenti? An si aliquis prementibus malis ad mortem confugere conatur, num potes, si aut gladium extorseris, aut laqueum ruperis, aut praecipitio retraxeris, aut venenum effuderis, conservatorem te hominis gloriari, cum ille, quem servasse te putas, nec gratias agat, et te male secum egisse arbitretur, quod mortem sibi prohibueris optatam, quod ad finem, quod ad requiem malorum pervenire non siveris? Beneficium enim non ex qualitate rei debet, sed ex animo eius qui accipit, ponderari. Cur pro beneficio imputes quod mihi maleficium est? Haec quoque mendaciis sunt mis̄ta: sed abeant. **g)**

**2.** Lactantius inepte et stolide loquitur de nece promiscua, et in universum, de qua non quaeritur. Itaque paucis, qui alium occidit ex iusta et necessaria causa, ut forte Milo Clodium, non est homicida nefarius: ergo, et multo minus is, qui se ex pari causa educit, et sponte moritur: singulatim is, qui cum Democrito sentit motus languescere mentis, in quibus vita sapientis potissimum sita est. Puta

accusatores Milonis hac qua Lactantius ratione egisse, dicendo non licere universe quemvis velut pro libidine occidere: utique sibilis saltem et sannis excepti fuissent; forte etiam [p. 6] ob stultitiam prohibiti ne ullam causam in posterum agant. Igitur nescio quo iure liceat solis quibusdam certae professionis hominibus, quando libuerit, ineptire, et solidis, ut ille ait, esse sycophatis. **h)**

3. Manifeste falsum est suppositum quod vocant, sive id quo nititur Lactantius, et ex quo tota velut vis verborum eius pendet: nempe minus, certe nihil magis cuiquam licere in se, quam in alias quoslibet. [p. 7] Utique licet suum corpus macerare ieuniis, vigiliis, studiis, laboribus honestis; perpetuoque ab omnibus voluptatibus arcere: licet flagris aliisque poenis, vel paenitentiis et mortificationibus, ut vocant, in se animadvertere: licet male affecto corpore partes quasdam, dum necesse est, urere et resecare, aut urendas ac resecandas praebere. An **v.** liaec eadem tibi licent in alias? Sceleratissimus habeberis, et forte capit is damnaberis, si in alias feceris invitatos; dum optimus, continentissimus et fortissimus esse poteris si sponte in te. **i)**

Hic obiter observa exempla quaedam voluntariorum corporis cruciatuum, praesertim ex Vitis Sanctorum qui vocantur- **k)** Dudum **v.** ante eos, et apud Indos quidem patientiae meditatio, ut ait Valerius Max., tam obstinate usurpari credita, ut fuerint qui omne vitae tempus nudi exigerent, modo Caucasi montis glaciali rigore corpora sua durantes, modo flammis [p. 8] sine ullo gemitu obicientes. **l)** 1 ) De Therapeutis et Essaeis ex Iosepho et Philone refertur, quod opibus et voluptatibus omnibus contemptis, solo pane, aqua, sale et hyssopo usi fuerint; idque semel tantum sub finem diei: immo quidam vix tertio, alii vix sexto quoque die cibum sumperint. **m)** Ceterum Benedictus monachorum patriarcha in Occidente, ad retundendas faces libidinis se in vepribus tamdiu volutas traditur, donec lacerato corpore voluptatis sensus dolore opprimeretur. **n)** Eusebius quidam eo quod oculos aliquando in pia Iectione [p. 9] detinendos conieciisset in agricolias, itaque se, ut rebatur, periculo exposuisset; curiositatem istam tam severe in se castigasse dicitur, ut totos 40 annos ferro undique gravatus incesserit, ut neque agrum illum, neque caelum adspicere posset. **o)** Iacobus paenitens toto decennio in spelunca inter mortuorum ossa se condidisse fertur; nec nisi radicibus, idque bis tantum in septimana corpus aluisse. **p)** Hospitius miris modis se afflixisse, gravissimo ferro et vinculis onerasse, turri velut carceri inclusisse, demum scaturientibus e corpore squalido vermis dixisse perhibetur, Comedite quod **Deus** vobis dedit. **q)** De Simeone et Danieie Stylitis stupenda et paene incredibilia narrantur. **r)** Licuerint forte (nam comperio omnibus saltem illis qui Ecclesiam Rom. venerantur, probari, immo impense laudari et commendari: ad haec Scriptura ipsa iubet, vel hortatur, [p. 10] monet, suadet crucifigere carnem, **s)** mortificare membra etc.) haec aliaque dictu, auditu, cogitatu horrenda, et quavis morte deteriora, cuique in se: an **v.** in alias quoque? **t)**

Itaque facessat et Morboviam abeat cum suo nefario homicida et hominis extinctore generali Lactantius. Facessant etiam ii qui negant ullum esse homini in vitam, adeoque nec in corpus suum vivum dominium. **v)** Id si verum; fuissent utique sceleratissimi illi, de quibus dictum, aliique fere omnes qui Sanctorum cognominibus celebrantur: quippe qui corpora quasi aliena, quorum non erant domini, crudelius afflixerunt [p. 11], quam ulti plerumque domini sua, etiam scelerata, mancipia. **x)**

Sed non se occiderunt, inquis. Nempe non ideo quia defuit dominium, post tot evidentissima dominii argumenta: sed quia praeter illam toties dictam dicendamque superstitionem, defuit causa satis gravis. Praeterea Sancti illi diu, et crudelius quidem sese torserunt, [p. 12] quam si quis subita facilique morte se afficiat. Quid? quod S. Paulus quoque 1 Cor. 9. ait se corpus suum sugillare, aut plagis contundere, atque in servitutem redigere.<sup>55</sup> An ira tractare licet corpora aliena? An suum, si id liberum, vel dominio hominis exemptum, solique **Deo**, tamquam Domino, subiectum? **y)**

Iam totum, si quod sit, argumentum Lactantii in ipsum et eos qui Sanctorum facta et exempla probant, retrorseris, dixerisque: Si tortor nefarius est qui hominem torquet, eidem sceleri obstrictus est, qui se

<sup>55</sup> 1. Korinther 9, 27: ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶ, μή πως ἄλλοις ιηρύξας αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι. [NA28]

sed castigo corpus meum et in servitutem redigo ne forte cum aliis praedicaverim ipse reprobus efficiar [Biblia Sacra Vulgata]

torquet, quia hominem torquet. Immo **v.** maius id esse scelus existimandum est, cuius ultio soli **Deo** subiacet. Nam homines laudant quoque, praedicant et extollunt. Item si sceleratus et impius est, qui in quacumque re gratis et in vanum **Dei** nomine auctoritateque abutitur; temereque et male iudicantis ultionem **Dei** minatur, utique iisdem sceleribus, et magis quidem obstrictus est qui talia audet in ea re et causa, quam non nisi fictis criminibus, exaggeratis calumniis, levissimis [p. 13] ac vitiosissimis, immo aperte falsis ratiunculis tueri potest. Itaque rursus, qui neminem occidit, vel si quem, ex iusta et necessaria causa, is non est homicida; nec proinde ei ultio, aut poena divina imminet: at qui sponte moritur, neminem occidit ita moriendo; vel si quem, ex iusta et necessaria causa: ergo non est homicida: ergo non ille, sed Lactantius mendax ec calumniator subiacet ultioni divinae. **z)**

Iam veniamus ad Augustinum, qui et ipse rhetorum pompa, **aa)** coloribus et artificiis quibus assueverat [p. 14], delectatus, omissa accurata et philosophica disserendi ratione, non tam vera et solida conquirere, paucisque et necessariis complecti, quam varia quae speciem quandam veritatis subito conspecta haberent, et vulgi ac imperitorum aures animosque caperent et implerent, longa oratione commendare et velut circumducere allaboravit. Hoc **v.** videtur id quod M. Antoninus vocat φαντασιοπλήκτως agere, et ad aemulationem ambitionemque sophisticam et declamatoriam declinare. Ut cumque fuerit, discutiemus ea quae multis Capp. I. **1?** de C. D. in vanum contra mortem voluntariam disputavit. Presse illum eo qui ipsi placuit ordine sequemur. Quod si liberius cum ipso tanta eruditonis sanctitatisque fama florente, quandoque agere videamus: **ab)** [p. 15] cogita agi nunc de re omnium rerum humanarum et totius philosophiae gravissima, omniumque ante Augustinum consensu, atque tot illustribus exemplis probata: **ac)** de re quae sit fulcrum et munimentum felicitatis, libertatis et tranquillitatis animi: **ad)** de re quae sola omnes fortunae et necessitatis vires impetusque frangit et elidit. **ae)** Ad haec nullus mortalium semper [p. 16] et in omnibus sapit: praeceptum dum opiniones quasque suas tuerit: immo stultissimus est qui id de se sentit ipse, et ab aliis omnibus vult sentiri. Stultus qui ipsi quoque sentienti ac volenti assentitur. **af)** Praeterea quis hic vel mediocriter saltem peritus rerum et verborum cesserit Augustino, etiam milies doctiori sanctiorique? Dempto corpore, ut sic loquar, vocum, phrasium, nugarum, et in sensu quoque oculosque ipsos incurantium fallaciarum, tota velut anima eius sententiae, alias mox exspiratae, pendet ex duabus verbulis his, Non occides, **ag)** Cui autem hic opus est interprete, praeceptore et doctore Augustino? An nemo [p. 17] sine ipso quid non, quid *occides* significet, intelligere potest? Dic ergo neminem quoque sine Augustino intellegere quid significet nox, quid dies, et quid inter utrumque sit discriminis. An si *ubeat* cogatque ipse verba dicere id quod non dicunt, ei protinus credendum? Vel an quia verba illa olim pronuntiata fuerunt in monte Sinai, alium aut longe ampliorem quam ante et post, ad tempora usque Augustini, sensum nacta sunt? An quia inserta libris Canonicis, subiecta fuerunt arbitrio Augustini, ut ipse ea quo vellet, traheret et extenderet? idque contra omnium, etiam Iudeorum et Christianorum, qui praecesserant, sensum et consensum? Itaque doctrina (quae hic certe [p. 18] nulla appareat: nisi alibi maior, tota esset spernenda) et sanctitas Augustini hic cessant, tamquam speciosa dumtaxat et inania nomina, quae nihil huc faciunt. Quid dicatur, non a quo aestimandum est. Si deliret vel nugetur quandoque vir alias sapiens, verum est ipsum delirare, vel nugari; neque omnis eius sapientia effecerit ut sit falsum. Sed haec hactenus.

Cap. 19. I 1. alleg. de C. D. agit Augustinus cumprimis de Lucretia. Hic, nisi valde fallor, nihil rei et gravitatis, vel philosophicae, vel theologicae. Verba dumtaxat sunt, colores, lenocinia, argutiae rhetoricae et poeticae. Confestim implorat fere Quiritium et poetarum fidem. Certe appellat tamquam aequos et legitimos causae iudices poetas, et nominatim Virgilium: ac si is post 500. circiter annos Lucretiam ad tribunal suum ab inferis revocatam damnasset; aut dudum damnatam ipse apud inferos lugentem vidisset. Appellat curiam, ius, leges, iudices Romanos: absurde et praepostere. **ah)** Lucretia enim Romanis auctor fuit, [p. 19] ut libertatis, ita iuris, legum plerarumqae, iudicium et magistratum creandorum. Brutus, vel si quis alias apud Dionys. Halicarn. I. 4. c. 86. scelere Sexti Tarquinii relato, Quam, inquit, iniuriam indigne ferens (Lucretia) ut intolerabilem, postquam patri ceterisque cognatis suum denarravit infortunium, multum precata et obtestata, ut illata sibi mala ulciscerentur, stricto cultro quem sub veste celaverat, patre inspectante, Quirites, ferrum demersit in viscera. O admirandam et summe praedicandam ob tam generosum animum feminam! Abisti, peristi, non ferens tyrannicam

insolentiam, contemptis omnibus vitae voluptatibus, ne quid tale *tibi posthac accideret*. „ Quid hic damnandum Romanis legibus et moribus? **ai)** Infra dicemus Tertullianum [p. 20] hoc quoque exemplum proponere martyribus Christianis, eoque illos ad fortitudinem stimulare. **ak)** Sed finge Lucretiam carminibus Virgilii, sententiisque iudicium Romanorum damnatam, vel damnandam; quid inde? an id, nemini ulla ex causa licere sponte mori? **al)** Sed omissis cavillationibus, Lucretia [p. 21] licuit alieno sceleri superesse: **quis dubitet?** Occidit se: id inter magna exempla magni animi, et indolis rarae ac singularis. Mori maluit, quam polluta quodammodo vivere. Pudicitiam suam, honorem, vitam, non Augustini, sed suo sensu et Romano aestimavit. De ea Quintilianus: Dicam nunc ego praecipuum semper curam Romanis moribus pudicitiae fuisse? Referam Lucretiam, quae condito in viscera sua ferro poenam a se necessitatis exegit, et ut quam primum pudicus animus a corpore pollutu separaretur, seipsa percussit, quia corruptorem non potuit occidere?<sup>56</sup> „ Erraverit **v.** Lucretia: quid ad summam rei de qua quaeritur? Simile, aut maius etiam exemplum est Biancae Scardeoniae, de qua ex aliis Lipsius Exempl. Polit. 2, 17. Paucis, capta et ab Actiolino iam violanda, ex fenestra se praecipitavit. Semianimis sublata et refecta, sed vitae adhuc potius quam pudicitiae perdendae certa, violatur ligata. Tum **v.** ad mariti sepulcrum properans, allevato et suffulto lapide, super foetidum cadauer se proiciens atque id amplexa, Teneo te, inquit, mi anime [...] fulcrumque revellens caput obtrivit. De aliis dictum est supra, et ex S. Chrysostomo de ipsa B. Virgine, atque ex Tertulliano de Didone vel Elissa, de qua etiam lust. 18, 6. Denuntiatione belli et dolo suorum [p. 22] compulsa Hiarbae nubere, pyra in ultima parte urbis exstructa, velut placatura viri manes, inferiasque ante nuptias missura, multas hostias caedit, et sumpto gladio pyram conscendit; atque ita ad populum respiciens, ituram se ad virum, sicut praeceperant, dixit, vitamque gladio finivit. Ex his aliisque eluet, magnos feminarum quoque et puellarum animos, **am)** quippe meliorem forte multis externis paedagogis in se habentes magistrum, uti fere de Socrate dictum, non pati se alligari ordinariis, et mortem peiorem turpioremque [p. 23] quam stuprorum, aut indignorum etiam matrimoniorum patientiam dictantibus plebeiorum, ut Tullius ait, magistrorum praceptis. Utcumque id fuerit, in quamcumque, inquit Seneca, partem rerum vel civilium, vel externalium, memoriam miseris, occurrit tibi ingenia, aut profectus, aut impetus magni.

Cap. 20. Nullam esse auctoritatem div. quae Christianis in qualibet causa ius voluntariae necis attribuat. Neque enim frustra in sanctis Canonicis libris nusquam nobis divinitus praceptum permiflumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendae immortalitatis, vel ullius carendi cavendique mali causa nobismet ipsis necem inferamus. „

Iam **1.** vel hinc manifeste patet, falsum esse, quod Augustinus et eius velut pedissequi dictitant ac contendunt, omnem mortem voluntariam directe repugnare Scripturae et legi divinae. Nam si id verum, utique absurdissimum fuerit dicere, non reperiri praceptum permissumve, ut necem nobis inferamus. Sic quia directe repugnat Scripturae et legi div. alios temere, absque iusta gravique causa occidere: nemo tam absurdus est: ut dicat non reperiri id praceptum permissumve. **an)**

[p. 24] 2. Obieceris Augustino id quod ipse aliquie, dum urgentur silentio Scripturae, toties repetunt. Non omnia quae divinitus per legem naturae iussa, vetita, permissa sunt, reperiri in Scriptura. Haec obiter tantum, generatim et confuse, aut promiscue officia quaedam ordinaria, ac pleraque vel ex communibus notitiis nota, attingit. Certe quam multa de toto genere virtutis, et de partibus eius: de prudentia privata, domestica, civili: de temperantia, frugalitate, modestia, clementia, liberalitate: de iustitia per universam generis humani societatem diffusa: de fortitudine et magnitudine animi: de caritate patriae, defensione libertatis, depulsione tyrannidis, etiam cum interitu sui ac rerum suarum: de amicitia, et constanti erga amicos benevolentia et fide: denique de aliis virtutibus et officiis singulis recte, egregie et accurate a philosophis tradita sunt: **ao)** quae si ideo reiceris ac damnares [p. 25], quia non in libris Canonicis, saltem clare, distribute, in singulis partibus, atque concinno nec interrupto ordine reperiantur: vel licet alicubi, in turba aliarum et alienarum rerum latentia, aegre fortassis ab aliquo id unice aut praecipue per otium agente, reperirentur; non quilibet statim dicere ac demonstrare

<sup>56</sup> Ps.-Quint. Decl. Mai. 3, 11:

potest ubi reperiantur. Si ita, inquam, agereres, nemo non paulo perspicacior vel superstitionis simplicitatem tuam, vel subtilem occultamve superbiam detestaretur, aut rideret. Obtentu enim auctoritatis divinae et librorum Canon. te ipsum vis facere latorem legum; iubere, [p. 26] vetare, permittere quidquid tibi visum fuerit. **ap)** Dixi ab initio inter omnes convenire, conditione temporum, locorum, personarum, fieri inhonesta honesta, et contra, **aq)** ut negare nec reddere depositum, non [p. 27] servare datam fidem, non stare promissis, ubi **v.** haec in libris Canonicis? ubi ea de quibus Cicero l. 3. De Officiis? An si forte non sint, protinus damnabimus? **ar)**

Sed quis umquam exegerit, ut omnia quae permittuntur et licent, dum singula enumerari ac definiri nequeunt: quod si possent, ineptissimum id, et saepe contra pudorem et verecundiam esset: nam multa licent, quae turpe, et nulla quidem necessitate, vel dicere: ut omnia, inquam, eiusmodi ex Script. demonstrentur? Et vel ex illis patet esse quae ex se non sunt turpia, immo sunt naturalia et necessaria; adeo tamen omnibus personis, locis ac temporibus non conveniunt, ut multi malint mori, quam ea, ubi non decet, admittere. **as)** Metrocles cum aliquando meditaretur [p. 28], nescio quomodo, ait Laertius, crepitum ventris emissio, animi tristitia domi se inclusit, e vita per inediā discessurus **at)** Suetonius in Claud. c. 32. refert eum meditatum fuisse edictum, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emitendi: cum periclitatum quendam p̄ae pudore intellexisset ex continentia. **av)** Profecto autem si id requiritur, ut omnia demonstrentur ex Script., pleraque actiones, praesertim eorum qui Scripturam vel non legerunt, vel minus diligenter, cessabunt. **ax)** Porro si quidquid praecipi, [p. 29] vetari, permitti potest, contineatur Scriptura; supervacuum et inutile fuerit totum ius saltem, quod dicitur Canonicum: Civile etiam cum omnibus legibus, institutis, consuetudinibus omnium populorum. His **v.** cunctis quoque Scripturae Canonicae iuri adiunctis, quam angusta innocentia est ad ea bonum esse? quanto latius officiorum patet quam iuris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae extra publicas tabulas sunt? **ay)** Denique Covarruvias apud Grotium dicit non pati humanam cognitionem iuris naturalis non ignaram, quicquam naturali ratione permitti, quod apud **Deum** non sit idem permissum. Saltem id firme tenendum, donec praecise singulatim, omnibusque in casibus, ubi ratio permiserit, a **Deo** vetitum demonstretur. **az)**

[p. 30] 3. Si libris primum Canonicis sublatum fuit ius, vel libertas sponte moriendi quandoque, ergo natura valuit ante illos, ideoque per 4400 circiter annos ab O. C. usque ad tempora fere Augustini, quibus libri Canonici omnes traduntur definiti, et certiore fide vel auctoritate recepti. Itaque ipse non omnibus, sed Christianis solis ius illud eripere, aut denegare videtur. Ast **v.** vel **Deus** non est auctor naturae, iurisque adeo naturae; vel Christiani non habent eandem quam alii naturam, idemque ius; vel nullum habent illi naturae ius; vel denique est etiam auctoritas divina, quae Christianis aequa ac aliis ius voluntariae, ut ait Augustinus, necis attribuat. **ba)**

[p. 31] 4. Converterit aliquis, et melius, clarius certiusque dixerit, nusquam in Script. Canon. reperiri nobis divinitus praeceptum, **bb)** ut in casibus supra descriptis vitam producamus: nusquam vetitum in illis vitam abrumpere et finire: itaque permissum esse [...] Utique enim quae leges nec iubent, nec vetant facere, [p. 32] sunt per eas permissa. **bc)** Eodem modo ratiocinati sunt prisci illi Christiani, qui ultro se profitebantur et morti offerebant, cum fugere, latere ac vivere potuissent: [p. 33] **bd)** item illi his adversi qui pecunia et tributo latendi vivendique facultatem securitatemque emebant. **be)** Nempe nusquam in Scriptura reperiri vetitum [p. 34] ne fiat: ergo licitum esse ac permissum: idque quamvis universis Christianis districte praeceptum videatur, publice confiteri Christum. Eodem etiam modo ratiocinari necesse est eos omnes qui imaginum religiosarum, vel usum saltem, vel insuper cultum defendunt, etiam contra praeceptum, Non facies tibi sculptile etc. **bf)** Et notandum est, hoc aliisque eiusdem sententiae verbis et praeceptis, vel interdictis non obstantibus, ipsum quoque cultum acerime defendi, ita ut contrarium tamquam stulta, superstitionis et impia haeresis damnetur. Itaque nunc denuo clare vides explicari quandoque Scripturam, sicut variis varie placuerit, aut variis opinionibus hominum defendendis expedierit. Itaque etiam reperitur, vel non reperitur in Scriptura quicquid nonnulli in ea reperiri, vel non reperiri volunt. **bg)**

[p. 35] 5. Augustinus ipse hic videtur concedere, tamquam per Scripturam quoque concessum, fas esse semper, cavere quodcumque malum, praesertim grave, turpe, extremum, mortiferum, morte

intolerabilius; eoque carere. **bh)** Ast malum eiusmodi saepe aliter cavere mon possunt homines, eoque carere, quam per mortem voluntariam: ergo vel fas quoque per Script. Ipsam sponte mori quandoque: nempe dum ad cavendum, quod dictum fuit malum, eoque carendum, necesse est: vel falsum est quod modo concessum fuit, tamquam verum certumque. Sed de hac re pluribus infra.

Ceterum Augustinus hic frustra tristissimum illud lucubrationis suae telum stringens, obducit denuo praeceptum, Non occides; et coniungit ac confert huic, Non dices falsum testimonium. Praeter ea enim quae superius contra violentam hanc, nulla ratione, nedum auctoritate librorum Canonicorum suffultam interpretationem allata sunt: in primis autem si verba, Non cides, significant aliud quam quod vetitum est lege naturae, et sensu ac consensu omnium populorum, etiam [p. 35] Iudeorum et Christianorum veterum: **bi)** nempe non occides temere, sine iusta et necessaria causa: **bk)** praeceptum illud tamquam novum et singulare solum Augustinum et qui eiusdem sunt opinionis ligat: non ex se quidem, sed ob hanc ipsam animo praesumptam opinionem. Quia enim hi sibi contra omnes pervicaciter persuaserunt et persuadent, vetitum a **Deo** ex quacumque causa: iusta etiam ac necessaria, sponte mori: ergo id ipsis solis nefas est. **bl)** Aliis v. omnibus fas; idque vel ideo quia, ut paulo ante dictum et ab Augustino concessum, fas est semper iuxta Script. quoque et legem divinam cavere mala, utique quae morte sunt [p. 37] graviora, atque vel hoc ipso subvertitur etiam opinio et interpretatio Augustini, tamquam non rationi modo, instinctui et legi naturae, institutis, factis et exemplis omnium populorum; sed **Deo** quoque ipsi et Scripturae contraria. **bm)** Praeter haec v. Coqueus ad alleg. Cap. reicit comparationem Augustinianam, et ex communi aliorum sententia ait longe aliam et disparem esse vitae atque famae rationem. **bn)** Posse enim hominem [p. 38] acquirere sibi famam, sicut divitias, ideoque etiam posse prodigere: itaque esse dominum famae sua non vitae. Hic relicto tantisper Augustino, ut potenec theologis hic probato, examinemus obiter

Dominum illud famae et divitiarum, non v. vitae.

Praetereo nunc, nec ista reperiri in Script. Canon., **bo)** et confiteor **Deum** esse dominum vitae, sed non solius, sed famae etiam ac divitiarum, sed omnium denique [p. 39] rerum. Utique enim omnia sunt **Dei.** **bp)** Dominum v. istud universum ac supremum **Dei**, auferentis quod dedit, quandocumque voluerit, nihil officit peculiari dominio nostro, quo, dum suadet ratio, et cogit necessitas, ab alienamus ea praefertim quae sunt noxia et perniciosa. Vel an negas quidquam esse nostrum quod ab aliis, et a **Deo** accepimus? Ad rerum v. qualitatem, non ad dominum earum in se spectat, quod tales sint, ut nec parari, nec reparari possint. Edam pauci possunt sibi divitias, saltem maiores, et famam clariorem parare: longe pauciores possunt famam et opes semel perditas ac dilapidatas recuperare. **bq)** Ad haec plerique omnes, praesertim generosiores, et moliori [p. 40] vitae assueti, malunt vitam, quam famam et opes necessarias perdere, neque id male, quoad famam: quae poterit esse immortalis fere, dum vita, quantacumque sit, brevis est et incerta. Quem etiam utcumque bonum et honestum virum iuvat vivere infamem? **br)** Ceterum an negas quoque licere feram, bovem, ovem interficere; quia Ps.49. diserte dicitur: Meae sunt omnes ferae silvarum, iumenta in montibus et boues<sup>57</sup>? Sed **Deus**, inquis, id permisit, eamque potestatem dedit. Nihilominus **Deus** non exuit se dominio. Itaque [p. 41]

1. potestas humana occidendi potest consistere cum dominio **Dei.** **bs)** 2. Si permissio et potestas, quam dicis, non reperiatur concessa in Script.; an ideo nefas feram interficere, et qui faceret, esset impius et violati dominii divini reus? Et quid ante Scripturam? quid post? cum paucissimi potuerint legere, pauci legerint Scripturam, atque per eam neverint sibi datam a **Deo** illam potestatem. **bt)** Hic obiter observa quoque, quomodo ii qui solent alias verbis Scripturae, et specie fidei, religionis ac pietatis capere, ipsi sua velut indagine et arte circumventi, et crudeliter imperfecti fuerint; aeque id obtentu dominii divini. **bv)** Bernabo Vicecomes [p. 42] Mediolan., si quis rusticorum leporem, capream, aprum, aut aliud ferarum genus infectatus convincebatur, oculos ei effodiebat, facultates confiscabat. Adeunt eum duo monachi, libereque et graviter corripiunt. Ille v. sciscitatus, an lepus a venatore rustico captus eius esset; cum affirmantes accepisset, ore renidens, Non ergo **Dei?** inquit: protinusque ut impietas manifestos cremari vivos iussit. **bx)** An nunc quoque negaveris vere a Tullio dictum,

<sup>57</sup> ὅτι ἐμά ἔστιν πάντα τὰ θηρία τοῦ δρυμοῦ, κτήνη ἐν τοῖς ὄρεσιν καὶ βόες·

iniurias saepe existere calumnia, siue pressiore verborum interpretatione? **by)** Porro Bion apud Sen. 7. de Benef. c. 7. modo omnes sacrilegos esse argumentis colligit, modo neminem. Cum enim omnes de saxo deiecturus est, dicit: Quisquis id quod deorum est sustulit et consumpsit, atque in usum suum vertit, sacrilegus est: omnia enim deorum sunt.

Praeterea, quamvis ex se et ex superioribus evidens sit, quaero adhuc, sumne dominus corporis mei, [p. 43] annon. **bz)** Si non sum; ergo, ut alia cuncta taceam, non licebit mihi, etiamsi ultima necessitas cogat, amputare, aut amputandum praebere ullum membrum. **ca)** Id **v.** saepius fit et factum est: neque ullus ideo peccasse, aut in rem non suam dominium sibi arrogasse dicitur dictusque est. **cb)** Hic recole etiam superius dicta de Sanctis illis, qui paene crudeliter corpora sua tractasse et afflixisse traduntur. **cc)** Si **v.** sum dominus corporis mei, partiumque et membrorum eius; sum etiam capitis, cordis, sanguinis, ideoque et vitae. Igitur sicut sanguinem corruptum, aut exundantem emittere et minuere mihi licet utique; ita si ingens necessitas [p. 44] exigit, licebit etiam facere patique ut omnis effluat. **cd)** Vel ubi extat praeceptum divinum, quod distincte alterum permittit, aut praecipit; alterum vetat? **ce)** Adde quod dominus, et id cuius quis dicitur esse dominus, sunt res distinctae ac separatae: dominus **v.** et eius vita sunt eadem res. Dum enim dicis dominum [p. 45], dicis etiam vitam eius: loqueris enim de domino vivente. Vides ergo te lepide hic nugari tantum, aut improprie loqui: nihilominus eiusmodi locutioni, tamquam fundamento, firmissimum ac solidissimum argumentum, quod turpissimam quoque, miserrimam et periculosissimam vitam conservare cogat, videris tibi imponere. **cf)** Itaque nescio denuo, quo iure solis fere illis qui fidem, Scripturam et libros Canon. praetexunt, nugari et ineptire liceat; idque tanta auctoritate et felicitate, ut ineptiae eorum partim tamquam oracula divina, partim tamquam axiomata quaedam apud multos valeant. O igitur praejudicium auctoritatis, praesertim superstitione circumdatae, quantum tu es malum! Tu nos facis paene pecudes, et quandoque deteriores. Ob te a natura, ratione et sensu communi deficimus. Ob te quibusvis opinionibus, nugis et ineptiis hominum obnoxii sumus. Ob te stultitia, aut simplicitas et crudelitas aliquorum saepe vertit in fuorem, et in aliorum perniciem: dum hos et omnes [p. 46] nobis similes, nec plus videre ac sapere volumus. Ob te turpissime et miserrime vivere perseveramus. **cg)**

Sed rursus non **s**it homo dominus vitae: ergo haec et omnia, utpote quae non nisi per vitam, et propter eam possidet, sunt aliena. **ch)** Nemo autem aliena, [p. 47] quaecumque et qualiacumque sint, invitus, et praesertim cum ingenti damno ac tormento suo, conservare tuerique cogitur: **ci)** atque si is quidem **s**it dominus, qui sua facile ipse, si velit, tueri possit. Si nolit ipse; etiam ego: ut bene mihi cum domino convenit. Idem enim volumus et nolumus. **ck)** Deinde reputans mecum [p. 48] quomodo vitam acceperim, propiores invenio causas, avos; et proximas, parentes. **cl)** Adice quod vita, sive propria, sive aliena, data vel impacta est nescientibus. **cm)** Demum tota argumentatio est futile, et sibi potius contraria: Non sumus domini vitae, ergo non licet eam deserere. **Immo** vel eam praecise ob causam licet. Quid mihi cum re aliena, eaque incerta, et ex se paulo post desitura? quid mihi cum illa in ingenti necessitate? **cn)** Sed **Deus** iussit, inquis. Dic, ubi? [p. 49] Deinde aberras a dominio, de quo nunc agitur; non de iussione.

Denuo non **s**it homo dominus vitae sua: sed nec, **immo** multo minus alienae. Attamen haec saepe ob iustas, honestas et necessarias causas eripitur, nequiquam obstante frivola illa dominii deficientis ratione, aut cavillatione.

Hinc quoque reicies et comparationem Augustini inter pracepta, Non occides, et Non dices falsum; et distinctionem theologorum, ac si essemus domini famae aliarumque rerum quas parare possumus, non autem domini vitae. **co)** Nam etiamsi esset verum, licet tamen aliquando alios saltem occidere; numquam vero falsum contra eos testimonium dicere. Saepe enim datur iusta et necessaria causa occidendi; numquam **v.** mentiendi, sensu vero verborum praecepti, nec contra alium, [p. 50] nec contra seipsum. **cp)** Tanti enim non est vita. **cq)** Egregie Sen. ep. 65. Numquam me caro ista compellat ad metum, numquam ad indignam bono simulationem, numquam in honorem huius corpusculi mentiar. Cum visum fuerit, distraham cum illo societatem. Et Epict. Ad omnia ianuam patefieri oportet. Sic

nobis nulla exhibebitur molestia.<sup>58</sup> Nec necessitas incumbet faciendi quicquam contra fidem et veritatem. **cr)**

[p. 51] Ceterum melius utique clariusve diceretur cum Socrate et philosophis nonnullis in hanc sententiam, esse nos **Dei** servos, atque in eius custodia: servis **a.** non licere se interficere. **cs)** Ast si placet et valet ista comparatio, necesse est negare quoque, quemquam esse ullius rei quam habere et possidere dicitur, dominum. Neque enim corpus tantum et vita servi, sed omnia, et cetera quidem magis, sunt domini. **ct)** Sed nec servo [p. 52] aufugere licet: nobis vero per adversarios ipsos conceditur fuga. Sed non fugimus, inquis, **Deum**, vel ab eo. **Immo** nec per mortem voluntariam: sed neque perimus **Deo**, cui omnes et omnia vivere quodammodo dicuntur. **cv)** Ad haec servitus **Dei** toto, quod dicitur, **caelo** distat a servitute hominum. Qui enim proprie et speciatim sunt servi **Dei**, iidem sunt et filii et amici, et domini, iique liberrimi, **immo** sunt reges. Nam servire **Deo**, regnare est: vel, ut bene Seneca, In regno nati sumus: servire **Deo** libertas est. Itaque omnia servis **Dei**, saltem per **Deum** ipsum, licent, nisi peccare. Id autem est agere contra legem aliquam, vel praeceptum div. Hoc **v.** non exstat; sed supersticio, sed opinio nova, sed falsa interpretatio humana. **cx)** Alias quoque dicitur melior esse conditio possidentis [p. 53]; neque quisquam iuste, ut puto, certa possessione sua eicitur ob incertam et dubiam legem, nedum ob novam et antiquis omnibus contrariam legis interpretationem. Itaque nec homo velut poossessione libertatis et iuris naturalis finiendi vitam sibi, saepe aliis quoque molestam ac perniciosam. **cy)** Adice quod malus et crudelis dominus vult superesse servum, ut habeat quem diu vexet et torqueat: bonus, quia servo eiusque opera indiget. **Deus a.** nec crudelis esse potest, nec [p. 54] servis suis indiget: neque hi vita sua **Deo** prodesse, nec morte sua nocere queunt. Igitur illis per **Deum** legemque divinam licet saluti suae prudenter consulere, a tyrannisque ad **Deum** ipsum confugiendo sese in tutum deducere, furoremque hominum impiorum vitare. **cz)** Nunc videoas etiam illinc officia dominorum.

[p. 55] Utique omnium horum est, curam servorum suorum habere, eos alere, tueri, vim, libidinem, iniurias et saevitiam aliorum arcere. Quod si domini non faciant, si alimenta non praebeant, si alienae credulitati ac libidini [p. 56] permittant, et velut prostituant; servi eo ipso iuris sui facti quoquo modo possunt sibi prospicere ipsi. **da)** Claudio Caesar, cum quidam aegra et affecta [p. 57] mancipia in insulam Aesculapii taedio medendi exponerent, omnes qui exponerentur liberos esse sanxit, nec redire in dicionem domini, si convaluisserent, Sueton. c. 25. **db)** Plutarchus summae duritiae morum Catonis [p. 58] maioris fuisse iudicat, quod aetate affecta mancipia expulerit et vendiderit. Quid **v.** si excruciasset? si inedia confecisset? si stupranda, si bestiis devoranda, aut proculcanda obiecisset? **dc)** Quid Caesar Augustus Vedio Pollioni et eius servo fecerit, vide apud Sen. 3. de Ira c. 40. Sed non est opus his ambagibus, nisi ut similitudines et argutias iisdem artibus eludamus. Nam amphiboliam, vel obscuram illam, ambiguam et captiosam phrasin, non esse nos dominos vitae nostrae, ad clarum et proprium sensum statim reduxeris, adhibita explicatione et distinctione. Nempe non sumus domini vitae, id est, non licet temere et inconsulte, sine gravi ac honesta causa vitam proicere: id extra quaestionem est, et ultro conceditur. Non sumus autem domini vitae, id est, non licet nobis ulla ex causa, quantumvis iusta, honesta et necessaria, vitam sponte finire: id vero est: id ipsum quod quaeritur, sed profecto non probatur per [p. 59] hoc ipsum, non sumus domini vitae: sed nec probatur praecepto, Non dices falsum; neque illo, Non occides. Nam praeter tot modo dicta, multas magnasque patitur exceptiones, ut postea dicetur praeente Augustino ipso. **dd)**

Nunc prius novo facto initio examinemus istud, **Neque enim frustra in sanctis Canonicis libris nusquam nobis divinitus praeceptum permissumve reperiri potest.** etc.

Hic 1. putemus verum, non reperi: cur ergo relicta ratione, aequitate, humanitate, natura **Dei**, hominis et rerum, ad Scripturam trahis cogisque causam, homini misero, si cadat, nocentissimam, nemini vero ut vincat utillem, quae ad Scripturam non spectat, nec ab ea definiri potest, utpote quae nec in ea

<sup>58</sup> πρὸς πάντα γὰρ ἡνοῖχθαι δεῖ τὴν θύραν· καὶ πρᾶγμα οὐκ ἔχομεν. [Epictetus, Dissertationes ab Arriano digestae, 2, 1, 20]

reperitur? **de**) Cur, ut repetam rere verba Tullii, ex campo illo aequitatis ceterarumque, quas dixi, rerum, [p. 60] ad istas verborum angustias, et ad omnes litterarum angulos revocas?

2. Sed unde scis non reperiri? Legi, inquis utique, Scripturam, nec reperi. Nihil valet. Memento enim Scripturam comparari abysso, et mari immenso. Itaque istud quidem est, ac si quis Oceanum forte aliquoties emensus diceret, in eo nihil reperiri, ne in intimo quidem eius recessu, altissimove fundo, nisi quod ipse viderit et repererit. Quid vero si oculos averterit, videreque ac reperire noluerit, quae alioquin potuisset. Dixi autem, et ostendi, theologis, praesertim diversarum factionum, reperiri, et non reperiri in Scriptura quidquid ipsi volunt, vel nolunt. **dt)**

[p. 61] 3. Rursus putemus non reperiri: sed multa sunt ex se tam clara et certa, ut nulla revelatione indigeant; immo vel contra eam, si existaret, vel fingeretur, firme tenerentur. Certe quis tam stolidus est, ut vel dubitet bis duo esse quattuor, totum esse maius sua parte, quodlibet esse aut non esse? Puta haec non reperiri in Scriptura: et fortassis non reperiuntur,clare saltem et diserte quis tamen propterea dixerit, Non frustra in sanctis Canon. libris nusquam nobis divinitus praeceptum permissumve reperiri, ut iudicemus, nostroque assensu probemus, bis duo esse quattuor etc.? **dg)** Porro quis dubitet quemque natura sibi conciliatum esse, seseque suum bonum et felicitatem ante omnia amare ac desiderare; cavere autem et fugere mala quaecumque praesertim gravia, extrema, intolerabilia? Quis hic quoque dixerit, nusquam nobis in libris Canon. divinitus praeceptum permissumve, ut ita erga nos affecti simus? **dh)** Puta non reperiri: immo puta nullam esse Scripturam, [p. 62] nullos libros Canon.; nihilominus ita erimus, beneque affecti. Ita enim a **Deo** ipso et natura facti conditique sumus. Itaque id quidem constat, quaedam esse [p. 63] per naturam tam evidencia, certa et firma, ut ad ea labefactanda futilissime advocaveris istud, Non frustra nobis in libris.... **di)** Iam restat quid de morte voluntaria sit sentiendum. Id vero ex prioribus fluit, iisque inseparabiliter est connexum: ita ut vel non liceat amare bonum et felicitatem suam, fugere infelicitatem et cavere mala qua dixi, mala gravissima, ultima, intolerabilia: quod est utique falsissimum: vel liceat quoque occupare mortem, generale illud omnium malorum et scelerum remedium, commune legum naturae officiorumque tutamen; dum mala ista et crimaquaevi aliter caveri nequeant: idque sive in libris Canonicis sit permissum, sive non. Nam, ut dixi, ad ea, quae ex se patent et certa sunt, nudis indigemus libris Canonicis: qui praeterea frustra sunt, si per eos ratione uti, adeoque vere homo esse, non licet; si convellunt intimam constitutionem naturae humanae, si iudicia, impetus actusque ex ea necessario fluentes abolent, aut detorquent; si fugienda fugere vetant, aut non permittunt. **dk)**

4. Iam plurifariam, sed obiter, quia ultra non est necesse, demonstrabo ego reperiri passim in universa Scriptura, id quod negat Augustinus reperiri; adeoque licere quandoque per ipsos sanctos, libros Canon. sponte mori. **dl)**

1. Nihil ex ipsis, et in ipsis certius, quam **Deum** esse sapientem, gnarum infirmitatis humanae; esse bonum, aequum, suaevum, misericordem, bonorum virorum amantem; velle ut ipsis bene sit, et in malis ipsis non pati eos temptari supra vires. Atqui **Deus** non esset talis, non sciret, aut saltem non resipiceret infirmitatem [p. 65] humanam; nec esset verum, non pati eum, passumque saepe bonos utique etiam piosque temptari supra vires: si vetuisset in totum sponte facileque mori, iussisset autem pati quidquid immanitas tyrannorum imperaverit umquam, quaeque innumeri adeo non potuerunt pati, ut potius fidem, religionem et **Deum** ipsum eiuraverint. **dm)** Quid? quod ex solo in Script. frequentissimo nomine Patris, quo **Deus** appellatur, totumque etiam dominium eius et potestas in [p. 66] bonos saltem viros comprehenditur, solide probaveris licere, gravi id exigente necessitate, quam vincere nequis, ad **Deum**, tamquam patrem et dominum bonum, configere? Quo enim mihi ille pater, ad quem ne in extrema quidem necessitate configere licet? **dn)** Vel an protinus degener sum, si non par Herculi omnia velut monstra calamitatum superavero? Sed et ipse demum se exsolvit. Annon demens potius, arrogans et stolide superbus, si iis me tamquam latus subiciam, quae scio me fortiter ferre non posse? Recte filius ille apud Sen. Contr. 4. patri, si quid exegeris maius viribus meis, dicam, ignoscere, non possum. Ignoscit filio pater navigationem recusanti, si non ferat mare: ignoscit non sequenti castra, si non potest. „ Nihil certius quam vulgatum illud, Non omnia possumus omnes: et minime atrocia illa, de quibus loquor, ad quae omnes potius imbecilles. **do)** Et finge **Deum** non esse

patrem [p. 67], sed inimicum, hostem, tyrannum: quid gravius exegerit, idque cum comminatione aeternarum poenarum? et quid interest Deusne ipse torqueat, aut torquere iubeat promiscue quoscumque filiorum suorum, an torquentes pati; morique volentes ob gravissimas causas, vivere cogat, nec nisi per immanissimos cruciatus, spiritum effundere sinat? Estne hoc patris hominum communis? **dp**)

[p. 68] 2. Complures existant in Script. promissiones divinae, quae, concessa morte voluntaria, per eam compleantur, aliquo saltem modo; immo eodem quo per mortem tempestive a **Deo** oblatam; illa vero exclusa et vetita sunt fueruntque iudicio humano inanes, et suo frustratae effectu, atque in posterum frustrabuntur. **dq**) Praeter alia dicitur Deus eripere et liberare iustos ex omnibus tribulationibus eorum, alere eos in fame, custodire [p. 69] ut pupillam oculi. **dr**) Iam quod ad me attinet, si **Deus** reliquerit mihi libertatem potestatemque una cum ratione et natura ipsa datam, opportune moriendo; confido promissionibus illis, ago gratias, laetusque, quantum possum, vivam et moriar. **ds**) Si vero [p. 70] per Scripturam eripuerit id quod per rationem dedit, fio Scepticus, et dico, Fortassis, et Fortassis non. Nam multos scio in tribulationibus suis misere exspirasse, multos fame contabuisse, idque post inhumanas dapes et aliorum caedes. Scio ecclesias, vel coetus totos, civitates, regna, imperia, etiam Christianorum, corruisse. Scio etiam me esse hominem, et nihil humani a me alienum puto; nec **Deum** aliud, et aliter mihi quam aliis promisisse. **dt**) Sed forte dixeris, per mortem [p. 71] voluntariam, non **Deum** nos liberare; sed si haec fit liberatio, eam per nos ipsos fieri. Acute et praedare scilicet. Hac certe contradictione effeceris ut **Deus** sit iners et nihil faciat, aut nobis praestet. Neque enim nascimur, nec vivimus, nec morimur sine nostra, aliorumque, et rerum quarundam ope et opera. Non votis, ait Cato, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, prospere omnia cedunt. Et alius, ni fallor: Dii prohibebunt haec, inquies: sed numquam propter te de caelo descendedent: tibi dent mentem oportet ut prohibeas. **dv**)

3. In Script. diserte dicitur vita nostra esse vapor dumtaxat ad modicum apprens; ideoque homo comparatur gramine, faeno, herbae, flori, cito exarescentibus. Iam vero incredibile est, Deum velle, ut tanti aestimemus, tam arte complectamur, et tam pervicaciter prosequamur eiusmodi rem et vitam, ut omnia potius mala, dictu etiam audituque horrenda, patiamur, quam eam sponte deferamus. **dx**)

[p. 73] 4. Rursus in Script. diserte monemur, Nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus.<sup>59</sup> Atqui si non liceret uti intellectu ad cavenda per mortem, dum aliter fieri nequit, tormenta et mala gravissima; necesse esset hominem quandoque fieri ficut equum et mulum, brutumque ac stolidum aliquod animal, intellectu carens: immo his deteriorem.

Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque  
Inspectos laqueos, et opertum milvius hamum. **dy**)

5. Apostolus Eph. 5. Videte, ait, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut [p. 74] sapientes, redimentes tempus, vel occasionem aut opportunitatem. Et Ecclesiasticus, ni fallor: Qui amat periculum, peribit in illo<sup>60</sup>. Atqui is non ambulat caute, non est sapiens, non observat tempus, non redimit occasionem; is amat quodammodo periculum, ideoque et in illo peribit; uti multi perierunt: is, inquam, qui inflantibus periculis et malis maioribus, quam ut ea fortiter tolerare queat, iis se non caute subtrahit, prudenter et opportune occupando mortem, dum alia melior tutiorque non suppetit ratio evadendi. **dz**)

[p. 75] 6. Scriptura quoque nobis saepe depingit eos homines quos Seneca 1. de Ira c. 16. nempe quibus insanabilis est animus, et sceleribus scelera contexens: qui perbiberunt nequitiam, et ita visceribus immiscuerunt, ut nisi cum ipsis exire non possit. Tales utique, praeter alios innumeros, fuerunt illi quos Deus olim immisso diluvio extinxit. Hoc autem ipso id quoque monstravit Deus, quid homini, si eo induratae nequitiae devenerit, sponte sit faciendum; et hoc saltem unum bene. Nam

<sup>59</sup> μὴ γίνεσθε ὡς ἵππος καὶ ἡμίονος, οἵς οὐκ ἔστιν σύνεσις [Psalm 31, 9]

<sup>60</sup> [...] ὁ ἀγαπῶν κίνδυνον ἐν αὐτῷ ἀπολεῖται. [Siracides 3, 26]

bene et laudabiliter finit nequitiam suam moriendo, dum non potest, vel diffidit se posse vivendo. Si vero possit, prudenterque speret se posse; per me vivat et se emendet. **ea)**

[p. 76] 7. De Samsone **eb)** dicetur etiam inferius, simulque ostendetur, quomodo Augustinus aliique tractent interdum Scripturam, eamque opinionibus suis servire cogant: certe ea comminiscantur et dicant, quae in nullis libris Canon. reperiuntur; **immo** iis quae in illis contradictant, vel ea detorqueant, et quantum in ipsis, impedianc ne dicant id, saltem totum, quod dicunt: **ec)** uti nunc statim videbitur. Nam

8. Christus Dominus ipse diserte loan. 12. ait: Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodiet eam<sup>61</sup>. Conf. Luc. 14. Si quis venit ad me, et non odit... animam suam, non potest meus esse discipulus<sup>62</sup>. Et Matth. 16. iubet abnegare semetipsum<sup>63</sup>. **ed)** Id explicans [p. 77] S. Chrysostomus: Si intellegis, inquit, quid sit alium abnegare, tunc recte percipies quid sit abnegare te ipsum. Qui alium abnegavit, fratrem puta, aut servum, aut quemvis alium: si caedi illum virgis videat, si coerceri vinculis, si quidquid aliud mali pati eum conspererit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus ullo modo movetur, ceu ille qui penitus ab eo alienatus est. Sic igitur nos nullo pacto vult corpori nostro parcere: ut neque si caeditur, neque si pellitur, neque si uritur, neque si aliud huiusmodi patitur, ei parcamus. **ee)** Augustinus animadvertis quo [p. 78] verba Christi de odio animae proprie, presse et integre cum toto suo sensu cunctisque actibus comprehensis accepta tenderent, ex facilique duci possent, **ef)** cum dixisset magnam et miram esse sententiam: utique quia opinioni Augustini non conveniebat: Sed vide, ait, ne tibi subrepatur, ut te ipsum velis interimere, [p. 79] sic intellegendo quod debes odisse in hoc mundo animam. Mox addit de quibusdam, quos, suppressis causis, cunctisque quae circa actiones versantur, easque et agentes ipsos nunc laudabiles, nunc illaudabiles faciunt, malignos et perversos homines vocat, et in seipsis crudeliores et sceleratores homicidas; atque hos flammis se donasse, aquis se praefocasse, praecipitio se collisisse, et perisse: hoc vero Christum non docuisse. Mox videbimus quid Christus docuerit, interim sufficit, et fixum manet quod disertis verbis docuerit odisse animam, adeoque vitam utique animalem: et simul patet **eg)**

[p. 80] 1. Augustinum committere hoc quoque declamatorium flagitium, a Cicerone, vel auctore ad Heren. graviter meritoque damnatum: nempe augere et exaggerare, adiectis etiam turpissimis probris et maledictis, id quod convenit doceri, ad hoc suppressum, ut modo significavi, cuncta ex quibus de hominibus, eorumque actionibus iudicetur. **eh)** Ita magistratus quoque domi, gravius interdum punientes, et duces militiae ferro et igne grassantes, crudelissimos et sceleratissimos feceris dixerisque homicidas. **ei)**

[p. 81] 2. Malignos illos et perversos Augustini homines fuisse utique Christianos, legis et praceptorum divinorum, euangelii etiam et doctrinae Christi gnoscos. **ek)**

3. Hoc ne tunc quidem post annos fere 400. Ab exortu fidei Christianae novisse, certe non agnovisse ac recepisse hoc dogma Augustini, tamquam verum et Christianum: Nefas esse ex causa honesta et necessaria sponte mori. **el)** Itaque

[p. 82] 4. Hoc dogma fuisse tunc novum, quodque primus fere omnium Augustinus procuderat, aut eruditiois suaे opinione credulis ignavisque persuaserat: sed alii vel ignorabant, vel tamquam novum et privatum, nec rationi, nec Scripturae congruens explodebant. **em)**

[p. 83] 5. Qualescumque alioquin fuerint isti, quos Augustinus tot contumeliis obruit, si ea quae dicit, non temere et inconsulte, sed, ut credibile est, prudenter ac graviter pro locis et temporibus fecerint,

<sup>61</sup> ὁ φιλῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἀπολλύει αὐτήν, καὶ ὁ μισῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ εἰς ζωὴν οἰώνιον φυλάξει αὐτήν. [NA28 Johannes 12.25]

<sup>62</sup> εἴ τις ἔρχεται πρός με καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα ἑαυτοῦ καὶ τὴν μητέρα καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα καὶ τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τὰς ἀδελφάς ἔτι τε καὶ τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ, οὐ δύναται εἶναι μου μαθητής. [NA28 Lukas 14.26]

<sup>63</sup> Τότε ὁ Ἰησοῦς εἶπεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· εἴ τις θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καὶ ἀκολουθείτω μοι. [NA28 Matthäus 16:24]

ingentis animi viros fuisse, et vel fortissimis totius antiquitatis comparando: **en**) certe longe praeferendos iis qui vivere quidem perseverant, sed turbulente, ut Tullius ait, humana patiuntur, et calamitatibus aut oppressi iacent, aut ne opprimantur, vix mente constant. **eo**)

[p. 84] Iam videamus quid Christus docuerit: id vero ex verbis ipsis elucet. Neque enim aliud Christus aperte verbis disertis dixisse, aliud tecte in animo, ab Augustino detegendum, sensisse credi potest. Itaque docuit omnino odisse animam suam, id est eam utique qua corpus vivit, viget, sentit, movetur, quamque philosophi sensitivam vocant; adeoque corpus et vitam ipsam: **ep**) item docuit abnegare seipsum, **eq**) et forte eo, quem Chrysostomus diffudit, sensu: nempe ut gravi id exigente causa corpori, etiamsi caedatur et uratur, nullatenus parcamus. **er**) lam his confer sponte mori in illis casibus et ex illis causis, quas ab initio posuimus; dic deinde quid sit plus et maius: dic [p. 85] quid omni rationi, **immo** sensui humano convenientius. Dic non licere permissumve esse quod minus, quod naturae, rationi, sensui humano magis congruit; cum id quod maius est, et a sensu naturae communi magis abhorret, sit non modo permissum, sed etiam praeceptum: dic, ut soles, alterum ede ex secrabili scelus, cum alterum sit pium, iustum, honestum. Provoco ad iudicium omnium sanae mentis hominum: iudicent, quid vel auditu tolerabilius, etiam fortibus et magnanimis viris: utrum odisse animam suam, abnegare seipsum, corpori nullo modo parcere: an extrema urgente necessitate sponte sua mori; vel instante certa et inevitabili morte, sed cum longis tormentis; sed cum turpitudine aliqua, eligere mortem faciliorem et honestiorem, sua opera inferendam. Hic sine dubio nihil repugnat, ne amor quidem sui, nedum odium et abnegatio sui, a Domino ipso disertis verbis iussa. **es**)

[p. 86] Rursus Christus docuit omnino odisse animam suam, id est utique, nulla corporis vitaeque sua ratione habita, prompte eam periculis et damnis obicere, eamque vi saltem externa et aliena perdere, dum pietas, iustitia, virtus, honestas exigit. **et**) Itaque 1. [p. 87] id manifeste liquet, et ex odio illo animae consequitur, amorem corporis et vitae esse, quantum quisque potest, minuendum, et eo quidem usque, ut vertatur in pium honestumque odium. **ev**) 2. Tantam esse virtutis dignitatem, ut pro ea conservanda vitam amittere [p. 88] oporteat. **ex**) Itaque 3. si virtus aliter conservari nequeat, vel prudenter iusteque diffidas eam aliter a te conservari posse; sponte, tuaque opera esse moriendum. **ey**) Nam summa et caput huius doctrinae Christi est odisse, aut contemnere saltem parvique facere corpus et vitam eius; tanti vero aestimare virtutem, ut pro ea, dum necesse est, moriaris. **ez**) Utrum sponte tua, an per vim alienam, nihil ad rem ipsam interest. **fa**) Utrobique enim pro virtute, vel ne eam laedas et perdas, moreris. Quod si tamen **fit** vis et mors velut ordinaria, humana et utrumque honesta, haec praeferri potest: si vero cum lentis et exquisitis tormentis, quibus pauci sunt fueruntque fortiter, ut decet, ferendis pares: si stupra, vel alia cuicunque virtuti adversa immineant; sine dubio mors [p. 89] voluntaria est arripienda. Alioquin contra hanc, de qua agimus, doctrinam Christi amas vitam quam nunc odisse deberes; prodis, aut evidenti periculo exponis virtutem: praesertim si nosti te, uti alios plerosque, non adeo magno robore animi virtutisque praeditum esse: demum loco fiduciae, quam nonnulli crepant, quamque vel ab his, vel a te ipso cupiditate vitae corrupto persuasus, videris tibi habere in Deo, eum **temptas**: ac si is tibi datus esset gratiam aliquam singularem vincendi omnia tormenta, et in stupris omnem voluptatis sensum ac consensum. **fb**) Itaque in Augustinum [p. 90] reicitur id quod ipse eodem quo supra loco in alios iacit: **immo** quidquid hic verborum, convictionum et calumniarum in adversarios effudit, in ipsum, vel opinionem eius, eamque amplecos, recte retorquentur: nempe malignos et perversos homines esse, atque in seipsis crudeliores ac sceleratores homicidas, qui dum possunt honestiore, faciliore ac mitiore morte defungi, sponte permittunt, et velut tradunt seipso libidinibus, stupris, ignibus, tormentis: atque hoc temerario, si quis umquam, ausu exponunt se periculis, toties compertis, peccandi, animamque adeo laedendi perdendique. **fc**) Id certe Christus neque hoc, neque ullo loco, ullisque verbis docuit: quin etiam diabolo praecipitum suggestenti respondit: non temptabis Dominum Deum tuum. **fd**) Qui enim necessitate [p. 91] impulsi se praecipitant honeste moriendi animo, longissime ab hoc peccato absunt. Nihil enim minus sperant; sed ne optant quidem cupiuntque vitam sibi a Deo conservari. Qui vero consci sibi suae infirmitatis, et universim humanae, sinunt se torqueri et stuprari potius quam sponte mori, ii profecto sunt, praesertim post innumera exempla in contrariam, qui temptant Deum. Quid? quod S. Petrus Act. 15. Diserte ait

eos temptare Deum, qui iugum gravius quam ut quisquam (saltem sine singulari gratia, et robore animi) portare possit, imponunt<sup>64</sup>. **fe)**

[p. 92] Ex dictis elucet quam valde Augustinus abutatur quandoque verbis et exemplis Scripturae: idem id quod Tertullianus L. de Praescript. ostendit, Scripturam, ut ita dicam, rationalem et moralem, sive ea continentem, quae ad rationem, virtutem, mores et officia pertinent, esse ex rationis, ut ipse ait, disciplina intelligendam explicandamque. Itaque non ob verba quaedam Scripturae, nedum ob interpretationes, comminationes, vituperationes et maledicta hominum [p. 93] esse vel minimum a ratione discedendum. **ff)** Hoc ut luculentius statim appareat, et simul

9. Permissam esse per Scripturam et Christum Dominum εὐλογον ἔξαγωγὴν, en alia diserta verba Matth. 18. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum ec proice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum. Et si oculus tuus scandalizat te etc.<sup>65</sup> lam si proprium sensum verborum sequamur, utique licet saltem manum, pedem, oculum, membra quaque corporis, alias utilissima et valde necessaria, si fine scandalo vel offensioni; si animae, virtuti, saluti sine impedimento et noxae, abscindere, eruere, procire; adeoque parem ob causam, profundere sanguinem et vitam. Nulla enim ratio est, cur corpus mutilum, sanguis et vita, etiam noxia et perniciosa sint retinenda; cum partes corporis minus damnosae sint abscindendae ac proficiendae: praesertim cum honestiorum plerique malle videantur vita privari quam mutilari; idque cum manifesto dedecore, quod verbis fateri pudeat. **fg)** Si [p. 94] verba Domini aliter intellegamus et explicemus, utique id fit ex rationis, ut dixit Tertullianus, disciplina; atque eius solius auctoritate movemur. Nam, ut repetam fere verba Augustini, nusquam nobis in sanctis Canon. libris divinitus praeceptum permissumve reperiri potest, ut a disertis Scripturae verbis, proprioque eorum sensu discedamus; idque etiam longius: per manum, pedem, oculum intelligendo aliquem nobis [p. 95] carum et utilem, ac si eum relinquere idem esset quod abscindere manum et pedem, atque eruere oculum. Nihilominus si liceat ita a verbis Scripturae et proprio eorum sensu recedere, praecipiente aut permittente ratione; licent etiam, eadem suadente, alia quaecumque, et singulatum mori sponte: etiamsi verum esset, quod falsum esse demonstravimus, non reperiri id divinitus in Script. permissum. **fh)**

10. S. Paulus Hebr. 2. ait Christum venisse, ut liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Atqui si veniens ademisset libertatem, in quantacumque necessitate, moriendo; si coegisset invitissimos quosque, miserrimos ac maestissimos vivere: utique non liberasset timore mortis, et servitute; sed utrique adstrinxisset artius, ac magis obnoxios fecisset. **fi)** Revoca huc supra dicta de libertate [p. 96]: nempe nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus. **fk)** Cicero, vel alius in Consol. enumeratis [p. 97] malis nonnullis dominationis Marii et Sullae, quam multos, ait, ex illa reip. tempestate commemorare possumus innocentissimos homines atque optimos, ut acerbissimam calamitatem effugerent, libertatem morte quaesisse. Hos, ut istos supra, appellat Augustinus homines perversos, crudeles ac sceleratos homicidas: sed fama, historia, ratio, natura, consensus omnium pro Tullio, et libertate per mortem quaesita optimos. **fl)**

11. Denuo Christus Dominus Matth. 23. ait Scribas et Pharisaeos alligare onera gravia et importabilia, eaque imponere in umeros hominum: et ob haec aliaque vocat eos hypocritas, caecos, stultos: demum [p. 98] ut talibus graviter damnatis Vae denuntiat. **fm)** Porro, ut superius significatum, Act. 15. ait S. Petrus: Quid temptatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Ast vero omnes leges Mosis, omnia onera Scribarum et Pharisaeorum in unum collata, adeo non possunt aequare pondus unius oneris et legis huius, quae fingitur omnem mortem voluntariam vetare, ut sint etiam pluma, quod dicitur, leviora: quemadmodum conferenti et consideranci liquido patet. **fn)** [p. 99] Olim dicebantur Draconis leges non atramento, sed sanguine

<sup>64</sup> νῦν οὖν τί πειράζετε τὸν θεὸν ἐπὶ τὸν τράχηλον τῶν μαθητῶν ὃν οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν οὔτε ἡμεῖς ισχύσαμεν βαστάσαι; [NA28 Apostelgeschichte 15.10]

<sup>65</sup> Εἰ δὲ ἡ χείρ σου ἡ ὁ πούς σου σκανδαλίζει σε, ἔκκογον αὐτὸν καὶ βάλε ἀπὸ σου· καλόν σοι ἐστιν εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν κυλλὸν ἡ χωλὸν ἡ δύο χεῖρας ἡ δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον. καὶ εἰ ὁ ὄφθαλμός σου σκανδαλίζει σε, ἔξελε αὐτὸν καὶ βάλε ἀπὸ σου· καλόν σοι ἐστιν μονόφθαλμον εἰς τὴν ζωὴν εἰσελθεῖν ἡ δύο ὄφθαλμοὺς ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός. [NA28 Matthäus 18.8–9]

scriptae, quamvis non ultra simplicem mortem procederent: lex vero Augustiniana eculeis, crucibus, ignibus, lacerationibus membrorum, dentibus unguibusque immanium ferarum, omnibus demum omnium cruciatuum generibus scripta est; idque in dedecus, damnum, perniciem hominum, etiam innocentissimorum ac optimorum, ut paulo ante dictum. Hic fere, quod Cicero in Rullum, dixeris: Quis hanc legem tulit? Augustinus. Quis dissensum et consensum omnium populorum ac sapientum suppressit, sprevit, reiecit? Augustinus, ac si nemo ante eum, et praeter eum habuisset rationem, vel satis ingenii ad intelligenda duo verba: Non occides. Quis ipsas notitias communes, quis sensum, rationem naturamque communem, quis impetus ex ea necessario fluentes, amorem felicitatis, odium et fugam infelicitatis ac cruciatuum intolerabilium, quantum in ipso erat, abolevit, aut sequi vetuit? Idem Augustinus. **fo**)

[p. 100] 12. Superioribus adde omnes eas Scripturas, quibus boni virtuteque praediti viri, timentes amantesque Deum et proximum, viri pacifici, mites, misericordes, alii praedicantur in hac quoque vita beati. Adde etiam hoc apostoli Philip. 4. Gaudete in Domino semper. Scilicet beatus eris et gaudebis semper, si invitissimus stupra ac tormenta quaevis pati cogaris, nec liceat parato cupientique facilem et honestam mortem elicere. **fp**)

[p. 101] Cap. 21. De interfectionibus hominum, quae ab homicidii criminis excipiuntur. Quasdam, ait Augustinus, exceptiones eadem ipsa divina fecit auctoritas, ut non liceat hominem occidi: sed his exceptis, quos Deus occidi iubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa iussione... Ideo nequaquam contra hoc praeceptum fecerunt, quo dictum est, non occides, qui auctore Deo bella gesserunt, aut personam gerentes publicae potestatis, secundum eius leges, hoc est iustissimae rationis imperium, sceleratos morte puniverunt.

Ne curatius agamus, nec quaeramus saltem, quid ante legem, de qua loquitur Augustinus, et ante exceptiones, fero in notitiam vel unius populi Iudaici progressas, fas vel nefas? **fq**) ex allatis illis apparent

1. Legem, vel praeceptum, non occides, pro [p. 102] novo et absurdo Augustini sensu, omnes qui occidi, omnesque causas ob quas occidi possunt, promiscue comprehendente, pati exceptiones. **fr**)

2. Non omnes hominum caedes esse homicidia proprie et simpliciter. Itaque non posse nude et crude afferi, sicut antea, nemini licere quemquam occidere, ullo in casu, ullaque ex causa: ideoque etiamsi concederetur praecepto eodem vetari mortem voluntariam, non inde consequi, numquam, et nemini licere in quantacumque necessitate sponte mori. **fs**) Bene Seneca Contr. 27. **ft**) ubi de hac lege, qui patrem [p. 103] pulsaverit, manus ei praecidantur: Necessitas magnum humanae infelicitatis patrocinium est. Haec excusat Saguntinos, quamvis non caeciderint patres, sed occiderint. Et inferius: In lege nihil excipitur: sed [p. 104] multa quamvis non excipiuntur, intelleguntur. Et scriptum legis angustum est. **fv**) Idem Contr. 28. Quaedam iura non lege, sed natura nobis attributa. Item, quaedam iura non scripta, sed scriptis omnibus certiora sunt. **fx**) Bene etiam Grotius 1, 2. Docet ipsa aequitas et communis ratio, non tantum verba generalia contrahi, et ambigua commode explicari, sed et a proprietate usque recepto verborum discedi nonnihil, ut is sensus evitetur, qui maxima secum incommoda sit allaturus. Et si ista, inquit, mens legislatoris Dei fuisse, haud dubie verbis quam maxime disertis ac specialibus edicendum id ei fuerat. ) Haec Grotius contra eos qui iure div. vetitum esse contendunt omne bellum, praesertim Christianorum cum Christianis; idque variis Scripturis allatis clare demonstrare videntur; saltem multo clarius quam qui ex solis [p. 105] verbis, non occides, extorquere conantur, vetitam esse omnem mortem voluntariam. **fz**)

3. Apparet vel ex exceptionibus, quas dicit Augustinus, praeceptum non occides, presse intellegendum dumtaxat de caedibus aliorum, iisque iniustis: de morte voluntaria, praesertim eorum de quibus disceptatur, nihil dicere, nihil definire. **ga**)

[p. 106] Ceterum flexibus, quos sibi hic ad circumveniendam et implicandam veritatem dispositum Augustinus, relictis, res paucis clare expediri potest.

1. Ratio, et Deus ipse perpetuo vetat, atque ante omnem quoque legem scriptam et Mosaicam vetuit quemquam sine iusta ac necessaria causa occidere. **gb)**
2. Nec ratio, nec Deus hinc excipit; adeoque quasi manente nihilominus praecepto, non occides, inviolato, iubet, permittit, probat, aliquos etiam sine iusta et necessaria causa occidi; vel quoscumque demum, eos saltem quos prius vetuerat occidi. **gc)**
3. Eo ipso, quod vetatur, tantum sine iusta et necessaria causa, occidere, tam manifeste permittitur ex huiusmodi causa occidere, quam si dicatur, non comedes absque fame, licet, ea urgente, comedere. [p. 107] Itaque non per exceptiones alias, sed per praecipuum ipsum, licet aliquando occidere. Profero ridiculum est putare, Deum prius praecipuum, non occides, vetuisse omnes et singulos, etiam hostes, latrones, sceleratos, occidi: deinde vero aliquos, et speciatim hos ipsos, quos dixi, exceperisse ac iussisse occidi. **gd)**
4. Verus ergo et integer praecipi, tamquam ad omnes, sine ullo personarum discriminis pertinentis, eosque obligantis, sensus est: Non occides umquam et ullum sine iusta, ut toties dictum, ac necessaria causa: [p. 108] cum ea vero, et ex ea, fas tibi, si volueris et potueris, occidere. **ge)**
5. Cum nemini minus liceat in se quam in alios, licet utique, idque per hoc ipsum praecipuum, sine ulla superflua et inutili exceptione Augustiniana, sese sive emittere, sive occidere: **gf)** si quis, dum iusta denuo et necessaria causa exigit, voluerit. Si nolit, vivat et patiatur quidquid praesens necessitas imperat. [p. 109] Si bene et fortiter; laudetur et ornatur: **gg)** si male, turpiter, ignave; vituperetur, et pro merito puniatur: praesertim quia non tam invitus et coactus, quam sponte et volens passus est. Si enim omnino noluisset, certoque statuisset non pati, sponte moriendo effugere potuisset. **gh)** Itaque bene Valerius Max. Nulla in [p. 110] his necessitatis excusatio. Nam quibus mori licuit, sic vivere necesse non fuit. **gi)**

## DE MORTE SAMSONIS, gk)

Iuxta opinionem Augustini et aliorum.

Porro Augustinus eodem hoc Cap. 21 Nec Samson, inquit, aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus [p. 111] ruina domus oppressit, nisi quia Spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. „ Hic rursus obieceris Augustino istud fuum, Nusquam in sanctis libris Canon. reperiri, Spiritum utique Sanctum [p. 112] latenter hoc iussisse. Itaque ipse id comminiscitur et addit: non quia necesse est, sed quia ita suspicatur et vult, ne mors Samsonis velut extinguat, aut eadem ruina domus opprimat suam opinionem. **gl)** Sed putemus Spiritum S. latenter id iussisse: unde id Augustino soli, nemine alio, quem scio, hoc animadvertisse, post mille amplius annos, innotuit? Deinde quomodo potuit Spiritus S. sive latenter (et an publice non est ausus?) sive aperte iubere id quod sensu Augustini semper est grande nefas? An Spiritus S. aperte vetat, occulte iubet peccata et scelera, ad eaque instigat ac prodigiose iuvat? Vel an peccata iubente occulte Spiritu S. et ideo, dumtaxat quia ipse ea iubet, fiunt piae honestaeque actiones? Prodiosa [p. 113] est sine dubio ista theologia et explicatio Scripturae. **gm)**

Hic observa Spiritum S. utique non impellere caeco modo homines ad aliquid faciendum, ita ut nesciant ipsi quare et quomodo, bene an male, faciant: sed infundere lumen quo videant hic et nunc recte quidque fieri, et ob iustum causam. Hanc si prudentibus monstraverit ratio, ipsa in illis idem faciet, quod in rudibus et indoctis lumen Spiritus S. saltem quod ad actuum rectitudinem honestatemque pertinet. **gn)** Non [p. 114] enim Spiritus S. facit, ut actus absolute, necessario, semper et ubique malus, fiat bonus: id quod sine dubio fieri nequit: sed id praestat, ut actus, qui in aliis circumstantiis, plerumque et ordinarie occurribus, [p. 115] foret malus, fit in his et similibus ob unam pluresve causas singulares, lumine suo perspectas, bonus. Quid? quod certior tutiorque utique est agendi modus per rationes diu multumque in animo expensas ac discussas, atque ob illas, quam per subitum aliquem motum foris quasi provenientem. Cicero lepide dixit, oratores, qui altum clamarent,

ob imperitiam dicendi ad vociferationem, sicut claudos ad equum, configere. Ita hic fere dixeris eos, qui ob imperitiam explicandi rariores actus humanos, vel officia illa περιστατικὰ, eorumque honestatem, dum nesciunt quo se vertant, configere demum ad Spiritum S. Hic ipsis aeternum turpia faciet subito recta et honesta. Prodigiosa denuo, ac perniciosa etiam theologia, vel ipsis auctoribus suis. Certe si Spiritus S. potest iubere quandoque necem sui, manifestum est, eam non esse semper malam et illicitam: sed dari quoque eiusmodi tempora et casus, in quibus liceat, et vel ipse Spiritus S. eam iubeat. **go**) Ex his vero appetet

[p. 116]

1. Quam facile sit theologis audacioribus, quascumque opiniones, etiam falsas et absurdas, defendere, seseque ex omnibus difficultatibus expedire, alios vero irretire et capere. **gp**) Quidquid enim dixeris, et quascumque rationes adduxeris, sufficit illis opponere Augustinianum illud, non reperiri in Scripturis. **gq**) Quod si eas quoque attuleris, configuiunt etiam, dum aliter nequeunt, ad audacissimas explicationes: **gr**) qualis haud dubie est haec: Spiritum S., dum nulla secundum ipsos apparent ratio, nulla honestas, prudentia, fortitudo, iustitia, immo dum haec directo repugnant, latenter iussisse, ut Samson se una cum aliis opprimeret, adeoque ex se, et sola iussione illa seclusa, exscrababile scelus committeret. Id quod vel solum utique desperatissimae causae est argumentum; idque hinc futile, inde impium. **gs**)

[p. 117] Alii alia, sed pari et inutili, immo ipsis causaeque perniciosa audacia praetexunt: uti quod Samson fuerit persona, ut dicunt, publica: item typus Christi. Ac si eiusmodi personis et typis fas esset violare praecepta Dei, et nefanda patrare, scelera; vel e contrario, si quae ipsis quandoque licent, semper essent scelera. An eorum privilegium saltem est, facere male ut eveniant bona? **gt**)

2. Peculiaria doctorum Christianorum de virtutibus, praesertim exterorum, iudicia nullius esse momenti. Nulla enim sunt certa et immota fundamenta, quibus insistunt. Scripturam vero detorquent quocumque voluerint: et sicubi ipsa deficit, attrahunt Spiritum S. ad ea etiam honestanda, quae ex se in honesta esse fatentur. Qua ratione bonum, malum, turpe, honestum fecerint quidquid ipsis sic, vel aliter placuerit. **gv**)

[p. 118] 3. Videri exteros, vel ethnicos et profanos, quos vocamus, quandoque melius, clarior, Deoque et naturae ac captui humano accommodatius explicasse lumina, et impetus divinitus excitatos. Vide quae in hanc rem disserit Plutarchus in Coriolano. Confer De Genio Socratis, et Max. Tyr. Diss. 3. ubi praeter alia ait, oraculum divinum et ingenium humanum res cognatas esse. Ut si quid aliud usquam, nihil sit similius quam virtus hominis et consilium Dei. **gx**)

[p. 119] Ceterum Victoria allegatus hic a Coqueo, videns causae nocere potius commentum explicationis August., ostendere conatur Samsonem sine omni revelatione, vel inspiratione divina excusari posse. Non enim, inquit, ex intentione se interfecit, sed voluit hostes opprimere, et interficere; unde mors ipsis est secuta. Optasset enim ipse alios, si fieri potuisset se salvo perdere: quod sine nova revelatione licitum habetur. Haec ille. **gy**) Iam

1. Constat, hac quoque Victorianæ explicatione admissa, licere aliquando, quamvis sine ulla auctoritatis divinae exceptione, seipsum occidere. **gz**)

[p. 120] 2. Dicit Victoria id licitum haberi sine nova revelatione. Concedo. Sed

3. Inauditum et intolerabile est, actionem ex se malam, ut ponitur, fieri bonam per solam intentionem, ac per eam quidem quam necessario sequitur effectus malus, sive eum intendas, velis, optes; sive non. Talis autem fingitur hic fuisse intentio Samsonis, utpote necessario trahens malam semper, ut contendunt, necem sui. Si id admittimus, licebit quaevis scelera patrare, modo patrans intendat, velit, optet aliud, quam id, quod reipsa facit. **ha**) Licebit e. g. furari, si non intendas damnum alterius, sed lucrum dumtaxat et commodum tuum: **hb**) quod optares quidem [p. 121] alio modo promovere; sed quia nunc aliter non potes, nisi furando: itaque furaris, et bene facis, vel excusari saltem potes iuxta hanc doctrinam Victorianam.

4. Falsum est, et verbis Scripturae contrarium, Samsonem non voluisse in ista necessitate suam ipsius mortem: Moriatur, inquit, anima mea cum Philisthiim. Et poëta recentior, Guil. Dondinus S. I.

..... Sponte cadens frangenda ruinis  
Membra dedit, voluitque mori, ne viveret hostis. he)

Et si noluit, quis eum invitum coëgit? hd) Sed optasset, inquit, ipse alios, si fieri potuisset, se salvo perdere. Non quid optaverit, sed quid fecerit, quaeritur. Deinde hoc commune est omnium qui in gravi necessitate aliquid faciunt, etiam eorum qui se educunt. he)

[p. 122] 5. Honestissima quae Samsoni attribui potest intentio est, qua voluit quacumque morte fortiter finire captivitatis servitutis et caecitatis suaue mala ac opprobria, atque demere hostibus materiam calamitatibus suis gaudendi, iisque petulanter insultandi. Quidquid ab hac mente alienum addideris; vel fingitur, vel turpius est, aut minus excusabile. hf) Alias constat quoque magna, militaria et heroica ingenia animosque non sinere se artioribus philosophiae aut theologiae legibus [p. 123] constringi. hg) Impetum suum et quo gloria, decus ac species quaedam maior honestatis vocaverit, sequuntur. hh) Marius aliquando dixit, inter armorum [p. 124] strepitum se verba iuris exaudire non potuisse. hi)

Quae dissertat Augustinus Capp. 22. 23. et 24., ubi etiam de Cleombroto et Catone, eiusmodi sunt, ut inde aliis intersertis extorquere conetur, mortem voluntariam numquam revocari posse ad magnitudinem animi: quia maior, inquit, animus merito dicendus est, qui vitam aerumnosam magis potest ferre quam fugere. Et non fecerunt, ait, patriarchae, non prophetae, non apostoli. „Augebo ipse statim in immensum numerum, dicamque, non fecerunt plerique mortalium: non ignavissimi quique: non infantes omnes, pueri, puellae: non innumerae anus, feminae, scorta, meretrices, lenones, demum plerique omnes in voluptates, libidinem et Venerem projecti. Ecce quam facile est hic imitari patriarchas, prophetas, apostolos ipsos! Quanta sunt agmina et antecedentium et sequentium! hk)

[p. 125] Ceterum ea quae ex Augustino attulimus merae sunt (pace eius et admiratorum dixerim) confusaeque [p. 126] nugae et fallaciae. hl) Ac primum quidem manifeste apparet ex quaestionibus initio positis fallacia, quae dicitur Ignoratio elenchi, sive summae rei de qua agitur. hm) Fac mortem voluntariam non posse revocari ad magnitudinem animi Augustinianam, nescio quam, et nescivit ipse: certe non definivit. hn) Ne [p. 127] dicam in coacta patientia dirae famis, ac necessitatis occidendi et vorandi homines, vei alia dictu foeda, vix locum habere fortitudinem, aut magnitudinem animi; neque in patientia deliriorum et furorum: in patientia vero stuprorum et adulteriorum apparere etiam turpitudinem. Utique turpe, aut sane ridiculum est dicere, fortiorum maioremque esse animum, qui plura possit pati stupra, aut qui ea magis possit pati, quam fugere. ho) Praeter tot alia exempla, [p. 128] occurrit nunc quod de Heracleensibus refert Iust. 16, 5. Clearchus tyrannus, ne quid mali afflictis honestissimis domibus deesset, uxores eorum filiasque nubere servis suis, proposita recusantibus morte, compellit. Sed matronis tam lugubres nuptiae graviores repentinis funeribus fuere. Itaque multae se ante nuptias, multae in ipsis nuptiis, occisis prius novis maritis, interficiunt, et se tam funestis calamitatibus virtute ingenui pudoris eripiunt. „hp) Fac, inquam, mortem voluntariam non posse revocari ad magnitudinem animi, praesertim Augustinianam: satis fuerit, si revocari possit ad prudentiam, sine qua nulla est vera virtus, falsa autem omnis quae iactatur animi magnitudo: satis, si ad cautionem et fugam inhumanae crudelitatis, violentae stuprationis, demum perpetuae infelicitatis. Satis, si ad magnitudinem animi, vel fortitudinem Stoicis aliisque philosophis descriptam: nempe scientiam rerum formidolosarum contrariarumque, aut preferendarum, aut omnino neglegendarum. hq) Vide [p. 129] Cicer. 4. T. Q. n. 53. ubi affert quoque alias varias fortitudinis definitiones, quarum quamque ait aperire notionem nostram, quam habemus omnes de fortitudine tectam atque involutam. Et in universum virtus realiter, ut dicitur, nihil est nisi animus opinionibus falsis purgatus, et ratio perfecta, adeoque prudentia, sapientia, vel scientia Socratica, id est, clara, firma, immota boni malique humani. Haec, inquam, est [p. 130] virtus: alia omnis nihil nisi σκιαγραφία, sive adumbratio quaedam, nihil sani verique possidens: ceu pulchre ostendit Socrates apud Platonem in Phaedone. hr) Speciatim autem fortitudo ita posita est in scientia rerum preferendarum, ut hac sola subtracta, quaecumque patientia aerumnarum, vel vitae aerumnosae sit inanis, stulta, bruta. hs) Profecto si ex patientia nuda

aestimaveris fortitudinem, omnes bestiae, uti sunt hominibus patientiores, ita erunt quoque fortiores. Immo iuxta Augustinianum illum concludendi modum, cum illi non sint fortes, quibus alii sunt fortiores; solae bestiae erunt fortes, homines vero ignavi: illi quoque, qui ferunt quidem aerumnas, sed non sine tristitia, nec facile sine gemitibus, suspiriis et lamentis; aliquando nec sine lacrimis et eiulatu: quae omnia a patientia bestiarum absunt, vel brevi evanescunt. **ht)** [p. 131] Certe soli Celtae existimabuntur fuisse fortes, de quibus refertur, quod turpe aestimarint parietem aut domum corruentem fugere: inundatione autem maris ingruente armati occurrentes sustinuerint, donec undis obruerentur, ne viderentur fugiendo mortem pertimescere. **hv)** Porro diserte ad nostram sententiam Clemens Strom. 7. Nonnulla quoque recte fiunt (externa specie) ab iis qui non sunt cognitione praediti: sed non ex ratione, sicut in fortitudine. **hx)** Nonnulli enim cum sint natura iracundi, et deinde id absque ratione aluerint, ad multa citra rationem quodam feruntur impetu, faciuntque similia iis qui sunt [p. 132] magni et excelsi animi: adeo ut sordidi et illiberales opifices eadem nonnumquam recte gerant, quod attinet ad tolerantiam: sed neque ex eadem causa, ex qua qui praeditus est cognitione, neque idem sibi proponentes... Quaecumque ergo fit actio a sciente, ea est recta actio: quaecumque ab insciente, mala est, etiamsi maxime persistat et in hoc proposito maneat. **hy)** Et Iamblichus apud Stob. Serm. 7. atque alicubi Plato in eo potissimum ponunt fortitudinem quod eadem semper conserventur rectae opiniones. **hz)** Consentit [p. 133] quoque Arist. Eudem. 3, 1. ubi loquens de timidis et audacibus, utrosque visis vel opinionibus suis decipi ait. Illis enim non horribilia videntur horribilia; et quae leviter metuenda sunt, vehementer, contra vero audacibus. **ia)** Rursus Serm. 8. apud Stob. Hierocles ait timiditatem esse corruptionem legitimi iudicii de rebus metuendis,, aut non metuendis: vel ignorationem terribilium, non terribilium, et neutrorum, **ib)**

[p. 134] Sed fac nec ad prudentiam, cautionem, fortitudinem; nec ad ullam virtutum principum referri posse mortem voluntariam; inde tamen non sequitur, adeo non esse licitam, ut sit exsecrabilis iuxta August. scelus. **ic)** *Non postulo*, inquit ille apud Sen., ut gloriosum, sed ut tutum sit mori. **id)** Utique autem licet ambulare, licet comedere et bibere, licet se lavare, fricare, tondere: quamvis ex se ad nullam virtutem, certe non ad magnitudinem animi pertineant. **ie)** Licuit [p. 135] Augustino ipsi, praeter alia multa, queri, gemere, deflere calamitates huius vitae, etiam ordinarias et communes: quis haec ad magnitudinem animi revocauerit? immo quis non pusilli potius et mollis, aut queruli saltem ac morosi animi indicia esse dixerit? Certe maior est animus, qui non queritur, non gemit, non deflet: iis saltem verbis et modis, quibus Augustinus. **if)** Demum licet alios gravi ex causa occidere, licet iacturam facere, licet se mutilare: licet id ipsum quod August. hic negat licere, nempe fugere, et fugiendo dictoria eius contemnere. Certe fugerunt quandoque viri ingentis animi, viri fortissimi ac constantissimi: fugerunt quandoque ipsi patriarchae, prophetae [p. 136], apostoli: et mala quidem leviora iis quae toties notavimus: mala eum nulla turpitudine coniuncta, aut ad eam impellentia: mala longe tolerabiliora viris feminisque honestis, quam supra, adulteria, tormenta, ignes. **ig)**

Sed non fuderunt, inquis, per mortem voluntariam. Quid ad rem, nempe fugam ipsam, et causam allegatam, ob quam non sit fugiendum? Deinde quaecumque fuga citra mortem, ex se, praesertim in tanta generis humani imbecillitate, in tanta cupiditate et amore vitae, fuga et horrore mortis, longe minoris est animi, quam quae fit sponte moriendo. Rursus id quod fugis, vel levius est morte, vel ea gravius. Si [p. 137] levius; utique ignavus es, aut minus fortis saltem, quam is qui moritur: si gravius; stultus es, nisi alia quaedam te excusat, qui non oppetis potius mortem, minus tibi gravem. **ih)**

[p. 138] Sed fugio, inquis denuo, non tamen vitam aerumnosam. Verba sunt sensus involuti et ambigu. Dic vero clare, aperte et distinete, praeter vitam ipsam solam, cuius omnes, etiam timidissimi quique sunt cupidissimi, quamque nullus mortalium, ne sponte quidem morientium, fugit ipsam per se: quid fugis nisi aerumnas et mala quaedam, eaque denuo morte vel leviora, vel graviora? Utrumvis dixeris fecerisque, verba tua te constrictum tenent, et vel ignaviae, vel stultitiae damnant: forte etiam superbiae, si putas publicam rem ex tua unius vita et fuga pendere. **ii)** Sed de fuga mox pluribus: nunc reliqua videamus.

[p. 139] Falsum autem est, mortem voluntariam numquam revocari posse ad magnitudinem animi: ceu vel ipsae vitiosissimae ratiunculae Augustini, et tot exempla demonstrant. Etiam sine illis patet, ex

honesta, iusta et gravi causa contemnere vitam, occupare mortem, hanc plerisque omnibus terribilem (quae proinde tamquam ultima et gravissima poena denuntiari ac irrogari solet) illam carissimam, esse magni animi, atque eo revocari posse. Augustinus ut probet non posse, novas et vix sophistae cuiusdam discipulo ac tirone dignas, atque facile vel a puer, qui ex Grammatica didicit gradus comparationis, refutandas congerit fallacias. Ait enim: Maior animus merito dicendus. Hic vel puer iste statim exciperet, diceretque per Comparat. maior non tolli positum magnus: immo sublato positivo tolli potius comparativum: aut ridiculam certe fieri comparationem, dum nulla sit magnitudo absoluta, certa et slabilis, iuxta quam fiat. Longe melius quam Augustinus iudicavit Luciani Minos, qui auditio Hannibale, deinde Alexandro, demum Scipione, Per Iovem vera, inquit, dicis Scipio. quapropter primus quidem iudicetur Alexander, deinde post illum tu, atque tum, si placet, tertius hic Annibal. **ik**)

[p. 140] Addit Augustinus: Qui aerumnosam vitam magis potest ferre quam fugere: captiose rursus et fallaciter [p. 141], saltem quia confuse et generatim. Nam aerumnosae vitae innumerae fere sunt species et differentiae, ob quas proinde aliter atque aliter sit fentiendum. Variae quoque species et differentiae cum ferentium, tum fugientium aerumnas: varii modi rationesque, turpes et honestae, eas ferendi aut fugiendi. Innumeri ferunt aerumnas, sed adeo non magno, nedum maiori animo, ut sint fere ignavissimi mortalium. Fert aerumnas totum illud infimum, Tullii verbis, hominum genus, omnibus calamitatibus et angoribus propositum: cui inopia, fames, contumeliae, iniuriae, misera denique omnia. An totum hoc genus forte et magnanimum? Etiam boves et asini, aliaque animalia, ad labores et aerumnas nata, eas ferunt: an ideo haec quoque fortia et magnanima? Utcumque fuerit, certe misera illa ratiuncula Augustiniana non efficitur, nefas esse, per mortem voluntariam fugere gravissimas et perpetuas, vel quas non decet, aut expedit, nec ferentibus, nec aliis, ferre. Bene Seneca supra: Sapiens vivit quantum debet, non quantum potest. Videbit ubi victurus sit, cum quibus, quomodo, quid acturus. Cogitat semper qualis vita, non quanta sit. „Adde quod nullus hominum potest diu ferre ingentes dolores ac tormenta. **il**)

[p. 142] Ad id quod dicit August: Non fecerunt patriarchae, non prophetae, non apostoli: respondet apostolus ipse: Omnia mihi licent, sed non omnia expedient (neque etiam convenient. Recole quae initio annotavi de decoro personae) item: Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? Deinde inauditum puto, nefas esse quidquid patriarchae, prophetae, apostoli non fecerunt. Inauditum, necesse esse ut omnes faciant, et ea solum quae illi fecerunt, atque ne Augustinus quidem ipse fecit. Immo nefas esset, quaedam facere. **im**) Praeterea ego hic iustius, quam Augustinus [p. 143] supra de Samsone, dixero apostolos aliosque complures fuisse occulte, immo manifeste a Spiritu S. confirmatos [p. 144] ad permanendum in vita, malisque ae tormentis vitae. Ponamus, ea fuisse humano sensu intolerabilia fuisse turpia, fuisse ea quae toties significavi. Itaque quia prophetis et apostolis, iisque, ut videtur, plerisque ex infima plebe electis, vilique ac duro generi vitae assuetis, ob singularia dona divina, publicasque utilitates ac necessitates permanendum fuit in vita: nulla vel specie rationis sequitur, debere cunctos, etiam sibi aliisque inutiles, graves et molestos, permanere. **in**)

Ceterum innumera exempla potuisset Augustinus prophetis et apostolis addidisse: **io**) ipse defensor mortis voluntariae Seneca facile suppeditaverit, et argumenta quaedam, et exempla, atque ea inter insigne illud Maezenatis. Audiamus hunc maximi animi virum scilicet, quia vitae aerumnosissimae cupidum etiam, non tolerantem dumtaxat. Debilem facito manu, Debilem pede, coxa... De hoc homine eiusque voto tale est Senecae iudicium, quod ego sane praefero spectro magnitudinis animi Augustiniano: Quod miserrimum erat, si incidisset, optatur: et tamquam vita petitur [p. 146] supplicii mora. Vide ibi plura ep. 101. Sed Maezenatem effeminatissimum fuisse constat. **ip**) In alium, [p. 147] quem necesse est iuxta August. fuisse fortissimum ac generosissimum, quia aerumnas et indignissima quaeque pati potuit magis quam fugere: nempe Dionysium iuniorem, de quo Iust. 21, 5. Corinthi exul, humillima quaeque tutissima existimans, in sordidissimum vitae genus descendit, eoque vitam conservavit. **iq**) Porro magis iuvabimus criminationem Augustini exemplo et verbis Cleomenis, regis Spartae, viri sane fortis et magnanimi: qui victus in Aegyptum fugiens, ita apud Plutarchum in Vita disseruit contra necem sui, intempestivam puta, et contra Therycionem suadentem: qui mox se solum

interfecit, velut praevidens, aut praesagiens quae Cleomeni et familiaribus in Aegypto eventura erant. **ir)** Inde, et ex Pompeii postea aliorumque [p. 148] exemplis vides quoque, quam intuta saepe sit fuga, **is)** et non nisi brevis dilatio mortis, minus honestae. Antiochus Hierax fugiens a latronibus interficitur. [p. 149] **it)** Seleucus quoque Callinicus iisdem ferme diebus, amisso regno, equo praecipitatus finitur. Iust. 27, 3. Sed de Cleomene, qui tum fortius, ut regem Stoicum, et virum militarem decuit, quam Augustinus ceterique mordaces quidem et contumeliosi, sed enerves adversarii, pro vita locutus, suasorem mortis pungentissimis castigavit verbis. Tu vero, inquit, improbe fortis tibi videris, mortem appetens, qua nihil omnium rerum humanarum omnibus magis in promptu est situm. Turpior haec tua priori est fuga. [p. 150] Hostibus quidem alii nobis praestantiores concesserunt... Qui vero ob labores et molestias, aut opinionem reprehensionemque hominum animum despondet, is a sua ipsius vincitur mollitie. Mors enim spontanea, non fuga actionum, sed actio esse debet. Turpe vero est, nos nobis ipsis tantum vivere et mori. „Haec Cleomenes, qui postea sibi cum duodecim familiaribus et fugae comitibus mortem concivit. Vide praeter Plut. l. alleg., Polybium l. 5. cuius verba quaedam appono, ut denuo et de ratione mortis voluntariae, et de prudentiorum consensione approbationeque constet. Amplissima domus Cleomeni tradita est, in qua sub custodia diversabatur: hoc a ceteris captivis differens, quod in ampliore carcere degebat vitam. Quod animadvertis Cleomenes, et perexiguam de cetero spem habens, omnia experiri decrevit: nihil tamen ut in summa desperatione perficere se posse existimans, sed potius honestissimam mortem cupiens mori, nihilque perpeti, quod magnitudine animi sui indignum videretur. Simul autem, ut mihi videtur, illud in animo volvebat, sibique proponebat, quod viris magnifice animatis usu venire solet, Ne contemptim et sine honore perirem... Observata igitur regis ad Canopum profectione, postquam astu se, amicos et servos expediisset, sed omnia quae subito poterant temptantibus nihil satis successisset: adhibitis sibi manibus honestissimam mortem, et Spartanis animis dignam oppetivere. „ Sed Cleomenem (inquit Grotius, omnes, ut alii hic, captans umbras colorum quorundam) in crucem egit Ptolemaeus. Scilicet omnis mors voluntaria inauditum, immane, cruceque dignum scelus [p. 151] habebatur Aegyptiis, apud quos ingenti successu docuerat Hegesias ille. **iv)** Et ipse quidem rex Cypri ex Ptolomaei huius posteris veneno vitam finiit, hanc sponte, quam opes vi iniusta amittere malens. **ix)** De [p. 152] Cleopatra alibi dictum. **iy)** Duae eius ancillae, Naaera et Charmione, proverbio etiam notae sunt. Vide Erasm. Adag. **iz)**

Ceterum ea quae Augustinus allegatis capp. undequaque corrassa congessit, etiamsi vera et solida essent, rem, de qua agitur, ne attingunt quidem. Non enim quaeritur, an omnes, qui calamitatibus quibuscumque premuntur, debeant se interimere: neque etiam asseritur, omnes, qui se eduxerunt, alias omnes magnitudine animi, vel superasse, vel exaequasse: denique nec id quaeritur, annon aliqui maiori animo vixissent, quam occubuisserent. Ad virtutem et magnitudinem animi sufficit, bene, honeste et fortiter pro tempore et loco fecisse. **ka)** Faciat aliis, et alio tempore [p. 153] locoque, qui potuerit, constantius et animosius: non inde nocetur honestati alterius; nedum fit magnum nefas quidquid non est aequale. **kb)** Observat etiam Aristoteles, et Nicom. 3, 1. ait: Difficile est interdum iudicare quid cui anteponendum sit, quidque prae quo preferendum: atque etiam difficilius, in eo quod decretum sit perstare ac perseverare. Fere enim ea, [p. 154] quae exspectantur, acerba sunt: ea vero, ad quae quis impellitur, turpia. „ **kc)** Sed nec praeter fortitudinem et magnitudinem animi nulla est virtus, quam respicere ac sequi liceat. An quisquam vetuerit, vitioque verterit, prudenter et caute fecisse, atque effugisse pericula, quae vincere te posse, post inumeros alias, fortiores quoque et constantiores, turpiter victos [p. 155], cum ratione dubitas? **kd)** Quid? quod in universum monent prudentes, aestimanda esse ea quae aggredimur, et vires nostras cum rebus comparandas. Debere enim semper plus esse virium in latore, quam in onere. **ke)** Et singulatim in magnis angustiis non [p. 156] speciosa dictu, sed usu necessaria esse eligenda. **kf)** Et recte sine dubio Cicero pro M. Marcello n. 21. Si in alterutro peccandum est, malim videri nimis timidus, quam parum prudens. **kg)** Et 1. Offic. n. 46. annotat, fortem animum et magnum in homine non perfecto, nec sapiente ferventiorem plerumque esse; leniores autem virtutes illas, modestiam, temperantiam, iustitiam, videri virum bonum proprius attingere. **kh)** [p. 157] Epictetus Diss. 2, 21. ait timidum esse, placidi moris signum censer. **ki)**

Praeterea Cleombroti **kk**) et Catonis exempla hic [p. 158] sunt aliena. Neuter enim se eduxit, tamquam ad demonstrandam insignem quandam animi magnitudinem; sed longe alia spectarunt, et Cato quidem maxima iam parte vitae peracta, et postquam frustra fecisset quaecumque poterat pro vetere rep. ac libertate conservanda. Itaque comites et ipsum filium dimisit, et abire vivereque tantum non coëgit. **kl**) Ita quoque Otho [p. 159] **km**) mori certus Salvium Cocceianum fratris filium, prima iuventa, trepidum et maerentem, ulti solatus est, laudando pietatem eius, castigando formidinem, demum erecto animo capessere vitam iussit. Non enim eadem adolescentium istorum, et Catonis atque Othonis erat persona ac officia. **kn**) Itaque recte Cato prius etiam graviter obiurgavit Ciceronem, quod se Pompeio adiunxisset. Se quidem dicebat honest non potuisse eam, quam ab initio delegisset, reip. constitutionem deserere: Ciceronem autem, qui et patriae, et [p. 160] amicis utilior fuisse potuerit, si neutram partem secutus ad eventum se accommodasset, inconsulte et nulla necessitate hostem Caesaris factum ad tanti periculi societatem venisse. Seneca **l**. de Const. Sap. c. 2. vitae et mortis rationem Catonis paucis ita describit. Cum ambitu congressus, multiformi malo, et cum potentiae immensa cupiditate, quam totus orbis in tres divisus satiare non poterat, adversus vitia civitatis degenerantis, et pessum sua mole fidentis, stetit solus, et cadentem remp., quantum modo una manu retrahi poterat, retinuit: donec vel abreptus, vel abstractus, comitem se diu sustentatae ruinae dedit: simulque extincta sunt quae nefas erat dividi. Neque enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem. Ep. 71. Catoni morituro has cogitationes et verba attribuit. Omne humanum genus, quodque est, quodque erit, morte damnatum est. Omnes quae usquam rerum potiuntur urbes, quaeque alienorum imperiorum magna sunt decora, ubi fuerint, aliquando quaeretur, et vario exitii genere tollentur. ... Quid est ergo quare indignar aut doleam, si exiguo momenta publica fata praecedo. **ko**) Cicero de Catone et Socrate ita scribit T. Q. 1. Cato sic abiit e vita, ut causam moriendi se nactum esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis Deus iniussu hinc nos suo demigrare [p. 161]. **Cum** vero iustum causam Deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni: ne medius fidius vir sapiens ex his tenebris in lucem illam excelerit. **kp**) [p. 162] Sed Augustino videtur Cato habuisse potius iustum causam vivendi. Non est novum, aliud aliis, et praesertim Augustino, atque hic quidem, videri faciendum. Olim Alexander Parmenioni dixit fere: Facerem, si Parmenio essem; nunc quia Alexander sum, non faciam, nec me decet, ita vixisset utique Cato, si Augustinus, aut alias eius animi ac opinionis fuisse: sed quia Cato erat, non tanti aestimavit paucas miserisque vitae reliquias; honestiusque ac se dignius iudicavit mori, non indigentem clementia Caesaris, quem tyrannum, et patriae libertatisque oppressorem putavit. **qq**) Hic vide de Catone denuo Cicer. **1.** Offic. [p. 163] n. 112. Valerius Max. ubi de Fortitud. ait ex fortissimis vulneribus Catonis plus gloriae quam sanguinis manasse: siquidem constantissime in gladium incumbendo magnum hominibus documentum dedit, quanto potior esse beat probis dignitas sine vita, quam vita sine dignitate. **kr**) Sed neque Socrates patronum quaequivit ad capitum iudicium, nec iudicibus supplex fuit: adhibuitque liberam contumaciam a magnitudine animi ductam, non a superbia. **ks**) Socrates ipse [p. 164] apud Xenoph. I. 4. significat, se a genio suo revocatum. Mori enim, quam diutius vivere, sibi melius esse. **kt**) Seneca ep. 24. in carcere, inquit, Socrates disputauit, et exire (cum essent qui promitterent fugam) noluit: remansitque ut duarum rerum gravissimarum hominibus metum demeret, mortis et carceris. **kv**) Erraverit autem Socrates, erraverit [p. 165] Cato, ut antea ex opinione Augustini, Lucretia: **kx**) nihil id quaestioni universae et principi officit: nempe, an nulli umquam liceat se educere, vel si mavis denuo vocem tuam, occidere: **ky**) vel an nulla sit, nec esse possit ulli iusta causa se educendi. **kz**) Accessoria est quaestio, qua pro varietate rerum hominumque negare et tueri possis. annon magni sit animi, vitam sponte dimittere, mortem contemnere et ulti oppetere. **la**) Mors quin habeat aliquid in se terribile, [p. 166] nemo dubitat: nec animum necesse esset in id comparari et acui, in quod instinctu quodam voluntario iremus, sicut feruntur omnes ad conservationem sui. Sen. ep. 36. Idem ep. 82. Etiamsi indifferens mors, non tamen inter ea quae facile neglegi possunt: magna exercitatione durandus est animus, ut aspectum eius accessumque patiatur.,, **lb**) Alexander conspecta ratione mortis Calani, attonitus dixisse fertur, Calanum potentiores hostes debellasse, quam se. Vide Aelian. V. H. 5, 6. **lc**) Strato autem rex Sidonis, referente S. Hieron., manu propria se volens confodere, ne imminentibus Persis ludibrio foret, quorum foedus Aegyptii regis societate neglexerat, retrahebatur formidine, et gladium, quem arripuerat, circumspectans, hostium pavidus exspectabat adventum. Quem **iamiamque**

capiendum [p. 167] uxor intellegens, extorsit acinacem de manu, et latus eius transverberavit, compositeque ex more cadaveri se moriens superiecit, ne post virginalia foedera alterius coitum sustineret. **Id**) Cunctionem Neronis in hac re graphice describit Suetonius. Ille quaesito percussore cuius manu periret, sed nemine reperto, procurrit quasi praecipitaturus se in Tiberim: Sed revocato impetu, manibus pedibusque per vespes et seates correpsit in villam quandam. Ibi unoquoque hinc inde instante, ut quam primum se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram fieri, et quaedam curando mox cadaveri conferri imperavit, flens ad singula. Inter moras accepit se a senatu hostem iudicatum quaeri, ut puniatur more maiorum; et comperto, quale id genus poenae esset, conterritus duos pugiones arripuit: temptataque utriusque acie rursus condidit, causatus nondum adesse fatalem horam. Vide ipse plura. **Ie**)

[p. 168] Porro Augustino, et universo illi fortissimo heroum sophisticorum generi, opponimus 1. tot in dissertatione de voluntaria morte adducta exempla, sacra et profana. **If**) 2. Tertullianum supra laudatum, qui tamquam illustria fortitudinis exempla, et magna eius incitamenta affert Lucretiam, Didonem, uxorem Asdrubalis, aliasque et alios sponte extinctos. Puta veram opinionem et verba Augustini, mortem voluntariam numquam revocari posse ad fortitudinem et magnitudinem animi: quid fluidus Tertulliano, qui damnatis professae ignaviae exemplis utitur ad inspirandam fortitudinem, et martyrii etiam constantiam? **Ig**)

[p. 169] 3. Augustino opponimus Augustinum ipsum, qui l. de C. D. c. 11. diserte ait: Satius est unam perpeti [p. 170] mortem moriendo, quam omnes timere vivendo. Nec ignoro, addit, quam *inertius* eligatur diu vivere sub timore tot mortium, quam semel moriendo nullam deinceps formidare. Sed aliud est quod carnis sensus infirmiter pavidus refugit (en rationem quam volunt, et legem naturae!) aliud quod mentis ratio diligenter enucleata convincit. **Ih**)

[p. 171] Nihilominus maioris saltem, inquis, est animi, tolerare quoscumque labores, dolores, ludibria, tormenta, quam ea moriendo fugere. Non tolerare simpliciter, inquam ego; sed tolerare fortiter et animose. **Ii**) Deinde haec una tantum est quaestio et causa. Enumera vero reliquas, et perge quaerendo, annon maioris etiam animi sit delirare perpetuo ex senio vel morbo? annon furere? annon castrari, et constuprari usque ad mortem? annon vivere in eo animi habitu, quem Scriptura depingit in Nabuchodonosoro in bestiam mutato; vel in aliis qui a Deo deserti, excaecati, indurati; qui venditi ut faciant malum, qui non magis mores quam Aethiops pellem et pardus maculas mutare possunt? Quid in his omnibus maioris animi, immo vilius fortitudinis vel vestigium deprehendis? nisi forte tibi sit fortitudo quaedam, aliis omnibus inaudita: fortitudo quaedam delira et furiosa; fortitudo quaedam abominabilis, et ne in flagitosissimis quidem scortis tolerabilis; fortitudo quaedam belluina; fortitudo quaedam continuo peccandi, et scelera quaevis perpetrandi. His addendae videntur cum aliae fortitudinis species [p. 172], aut paries, tum singulatim fortitudo vorandi in magna fame, homines, stercora, aliaque huiusmodi **Ik**)

Rursus fuerit maioris animi tolerare quaecumque mala, quam fugere et sponte mori: fuerit, inquam, aliquando et raro, in divinae ac consummatae sapientiae virtutisque viris, immortalitate etiam dignis, quos quantumcumque possint vivere publicae rei expedit: sed respicienti in universum homines, et non tam quid, quam quomodo quisque toleret, appareat manifeste falsum. Nam tolerant, ceu superius significavi, ignavissimi quique, immo sceleratissimi: tolerant mulierculae, meretrices, et universa illa infima plebecula, nec sciens, nec aestimans fortitudinem, ac maiorem quandam animi magnitudinem.

Proh! quanto levius mortalibus aegra subire  
Servitia, atque hiemes aestusque, fugamque fretumque  
Atque famem, quam posse mori.

Itaque plerique per ignaviam potius et formidinem [p. 173] mortis omnia misere ac turpiter sufferunt; complures quoque vulgari nunc imbuti opinione timent inferorum poenas, ideoque non animi, sed metus magnitudine aegre et pericolose vivere perseverant. Multi vero quasi maiorem animi magnitudinem ostensuri, turpissime sunt lapsi: alii gemitibus, eiulatibus ac clamoribus tyrannos,

hostes et carnifices delectarunt, amicorum vero animos emollierunt et fregerunt: alii rursus, tamquam timidissima quaeque animalia, in quascumque latebras perreptarunt, seseque abdiderunt. **II**) [p. 174] Non nego licere fugam; sed eam multo minus esse maioris animi indicium et argumentum, quam mortem voluntariam contendo: praecipue in hominibus, quos vivere aut mori nihil publice interest; adeoque in plerisque omnibus. **Im**)

Porro Epit. Ann. Baron. ad A.C. 253. ubi de persecutione Deciana: Huiusmodi terrore incusso multi datis libellis seipsos deferentes, ne vitae, aut rei familiaris iacturam facerent, fidem Christi, suppliciis nondum admotis abnegarunt; multi fuga dilapsi: inter quos Cyprianus... **In**) Et post: Greg.

Thaumaturgus [p. 175]... cum suorum imbecillitatem exploratam haberet, veritus ut ex his multi usque ad mortem pro pietate essent certaturi, auctor illis fuit, ut fuga periculum declinarent, seque his non modo comitem, sed ducem praebuit. **Io**) Alia tempestate Athanasius a cisterna in cisternam transisse, quandoque in sepulcrum descendisse, et se vivum quodammodo sepelisse memoratur. Quid? quod e latebris aliquando trahendus, solo indusio tectus in domum puellae confugisse, et aliquamdiu [p. 176] latuisse fertur. Arianorum dices hanc fuisse fabulam. Ast Ariani fuerant saltem Christiani, neque a negata consubstantialitate ad mentiendum stimulati, quicquam incredibile finixerunt de homine vitae cupidissimo. **Ip**) Sed haec fuerit fabula: reliqua vero omnis fuga et latitatio an ideo turpis et dishonesta, quia ad magnitudinem animi non potest referri? quia maioris animi utique fuisse non fugere, saltem non tam foede timideque latere, sed publice mala quaeque potius preferre? Certe non ita latere, nec pecunia tormenta etiam rarissima et exquisitissima redimere sustinuit Marcus Arethusae episcopus Arianus. **Iq**) Nehemias vero dicenti [p. 177] cuidam, Tractemus nobiscum in domo Dei, in medio templi, ec claudamus portas aedis: quia venturi sunt, ut interficiant te, respondit: Num quisquam similis mei fugiet? **Ir**) De Pertinace Herodianus 1. 2. cunctis otium agitantibus turbidi ac furentes praetoriani militari cursu, meridie ipso protentis hastis, nudis gladiis, frequentes ad imperatoris aedes feruntur. Ceteris fuga dilapsis, pauci amicorum persuadere ut fuga sibi consuleret, populi auxilium imploraret. Ille indecorum existimans fugae aut latebris salutem debere, occurrere periculo ac procedere in medium decrevit. **Is**) De Leonida et Lacedaemoniis illis [p. 178], **It**) compluribusque aliis qui turpem sibi pro tempore et loco iudicantes fugam, mori quam fugere maluerunt, constat ex hiftoria. Itaque nunc saltem clarissime vides

1. Futilissimam esse ratiunculam istam, Quia maior est animus. **Iv**)

2. Non obligari omnes ad ea quae summae animi magnitudini convenire videntur, quaeque fecerunt quandoque viri ea magnitudine ac robore praediti: sed multa licita et honesta esse, **Ix**) [p. 179] quamvis talium virorum exemplis factisque inferiora. **Iy**)

[p. 180] 3. Pro personarum, locorum ac temporum discriminē eadem esse et honesta, et turpi. **Iz**)

4. Non fortitudinem quandam animique magnitudinem, pro imaginationis cuiusque spectris fictam ac constitutam, verbis speciosis exornatam exaggeratamque; sed rationem et prudentiam esse omnium consiliorum actionumque regulam. Itaque dum ratio et prudentia suadent distantque melius, tutius et honestius esse mori, quam vivere et fugere, quicquid aliquorum caeca ac ratione destituta fortitudo, si fas dicere, animique magnitudo in contrarium dixerit, tamquam temerarium, stultum et insanum est spernendum. **ma**)

[p. 181] Hic observa denuo doctores Christianos esse ineptos, et sibi discordes iudices ac censores officiorum virtutis, praesertim fortitudinis. **mb**) Nam eadem quae nonnulli hic aliis obiciunt, aut obicere possent ex providentia, voluntate, sapientia, bonitate, decreto, ordinatione ac dispositione divina: item ex gloria Dei, exemplis Christi et Sanctorum: ex amore, spe et fiducia in Deum: ex utilitatibus calamitatum: et quae sunt alia, quibus pro more suo luxuriant, tripudiant [p. 182] et triumphant: eadem obiciuntur ipsis a Tertull. L. de fuga in persecutionibus. **mc**) Ubi eiusmodi potissimum argumentis, accumulatis quoque Scripturis, et interspersis, ut Lactantius et August., coloribus et ratiunculis rhetoricos utitur ad demonstrandum, non licere in persecutionibus fugere, neque sectae, ut ait, licentiam emere, aut praemio pacisci. **md**) Quidquid [p. 183] ergo illi hic responderint

Tertulliano, id sibi quoque responsum putent. **me)** est vero causa nostra in multis melior, honestior, ab ignavia et omni turpitudinis specie remotior, atque a Tertulliani telis tutior. Neque enim in nos aequo ac fugientes illos, ementes et ubicumque latentes valet: Fugam esse turpe, et indignum, et servile praesidium: Christum sanguinem suum fudisse pro nobis: animas nostras esse pro fratribus ponendas: et alia quibus is adversarios fortiter premere videtur, praesertim laudatores illos maioris fortitudinis. Non enim nos ad fugiendum, aut emendam quasi miseram vitam Iatebrasque hortamur; sed potius ut spretis tam hostibus, quam vita ipsa fortissime quisque, quantum potest, moriatur, sanguinem ulti fundat animamque ponat. Quo ipso praebemus fratribus aliquod saltem fortitudinis contemptusque vitae exemplum [p. 184]: **mf)** Deo et Christo Domino tales nos approbamus, qui malimus iusto ac prudente imbecillitatis nostraræ metu ac conscientia mori, quam in periculum incidere peccandi, aut peccatoribus consentiendi, tortoribusque cedendi: uti innumeris ante nos aliis id contigit. **mg)**

[p. 185] Porro annotatum est supra, ex Tertulliani sententia ipsam quoque interpretationem Scripturae e disciplina rationis petendam esse. **mh)** Bene id demonstrare videtur L. De Praescript. adductis verbis Christi, Quaerite, et invenietis. **mi)** Haec quidam trahebant [p. 186] ad defendendam curiositatem, qua Tertullianus non esse opus ait post l. C. Itaque 1. non omnibus dictum esse, Quaerite. 2. Etiamsi id permitteretur, tamen et hic, inquit, sensus expetit certare cum interpretationis gubernaculo. Nulla enim vox divina ita dissoluta est et diffusa, ut verba tantum defendantur, et ratio verborum non constituatur. Rationem autem verborum allegatorum in tribus articulis consistere: in re, in tempore, in modo. Quod si haec accommodaveris verbis, Non occides; apparebit, interpretationem Augustini penitus aberrare ac deficere. In re: non enim vetatur nisi occisio proximi, eaque non omnis, sed iniusta innocentis. Hinc patet quoque et de tempore, et de modo. **mk)**

[p. 187] Cap. 25. et seq. aliam velut telam orditur Augustinus, et comperto multa exstare illustria exempla eorum qui se honesto et magno animo eduxerunt, varias ec necessarias ob causas: non solum apud exteriores omnium gentium, sed apud ipsos etiam Christianos; atque in sexu etiam infirmiore plerumque, et minus animoso: in tot feminis, virginibus et puellis, quae ad servandam pudicitiam, dum aliter servari humanitas non potuit, quodcumque mortis genus, quod magis in promptu erat, cupide arripuerunt. **ml)** Bene [p. 188] Seneca ep. 70. Iniuriosum est rapto vivere: at contra pulcherrimum [p. 189], mori rapto. „, **mm)** Hinc ut se expediat Augustinus, sed eadem arte qua supra circa Samsonem, varie se versat, nihil probans: sed modo conicit de Spiritu S., quem suasorem rursus auctoremque obtrudit; modo principium, quod dicitur, petit, sive tamquam certum ac probatum ponit, et ad probandum assumit id ipsum de quo quaeritur, et quod probare ac firmare conatus labefactavit magis, incertiusque sibi reddidit: nempe grande peccatum, et immane scelus esse seipsum educere, vel interimere; idque semper, quacumque in necessitate, et quacumque ex causa: et singulatim, etiamsi brevis, incertae ac miserae vitae reliquiis servatis perdendum, aut in tanta fragilitate humana praesentissimum incurendum sit periculum perdendi certissimum ac maximum hominis bonum, virtutem et pudicitiam. **mn)** Iobi 6. dicitur: [p. 190] Qui timent pruinam, irruet super eos nix. Id hic convenit in eos, qui ab Augustino corrupti timent larvam quandam peccati, id est, mortem voluntariam: atque eo ipsa, nisi constantissimi et perfectissimi sint mortalium: quod nemo de se cogitaverit: aut sine rara et prodigiosa gratia, quam Deus nemini promisit, in eos verum et mortiferum, Augustini saltem et asseclarum sensu, peccatum irruat, vel ipsi in peccatum. **mo)** [p. 191] Satis est, si ignoscatur imbecillitati humanae, et ob tam alte insitum amorem vitae et conservationis sui, atque naturalem horrorem mortis, praesertim voluntariae, dicatur nemini id a Deo disertis verbis praeceptum esse, ut metu, aliena praesertim culpa, peccandi sese extinguat. Quamvis sine dubio maximum, et Deo gratissimum sic sacrificium, corpus et vitam, ex se rem paene nihili, et brevi desitaram, sponte immolare virtuti, in externo, violento, praecente, inevitabili et plerisque insuperabili eius amittendae periculo. **mp)** Itaque horum complures, Sanctorum titulis exornatos, etiam honorat et colit, olimque coluit ecclesia Romana, ceu fatetur Augustinus ipse: quamvis dubitet, aut nescire se dicat ac si id sufficeret vel ad excusandum dementissimæ illud insaniae genus, quod ipse alibi vocat) quibus fide dignis testimoniis nitatur: partim confugiat [p. 192] ad occultam iussionem Dei, vel Spiritus S. Qua de re supra satis dictum. **mq)**

Nec meliore fide, ratione ac iudicio, Sarisberiensis Policrat. 5, 17. adductis paucissimis exemplis eorum, qui raro miraculo servati, vel praeter omnium opinionem ab imminentibus malis liberati fuerant: perinde ac si talia exempla, adeoque ea, quae raro contingunt, facerent generalem regulam, divinamque omnium hominum actionumque normam ac legem: Unde nullus, inquit, eorum qui manus iniecerunt sibi, satis excusatus est mihi (scilicet id magnum malum, et iusta timoris causa, ob quam ea quae toties dixi, et omnia potius toleranda) licet magnis praeconii ecclesiastica historia aliquos efferat provocantes mortem: quia temporariam vitam apud se, quam pudicitiam periclitari malebant. Vide, si lubet, plura Augustinianis conjecturis similia. Nempe conjecturis etiam quorundam contra omnem rationem (ac si vita pluris esset, quam virtus, quam pudicitia; ideoque hanc, quam illam periclitari praestaret) et contra innumera virtutum exempla, standum est. Quo ipso penitus me pudet et miseret generis humani, cui inutilis quoque foret, nisi et noxia quandoque [p. 193] ratio. **mr**) Certe quid ratione opus, ubi non iuxta eam, et naturam rerum, vitae, mortis, virtutis [p. 194]; sed iuxta aliorum opiniones, suspiciones ac conjecturas agendum, vivendum ac moriendum est. **ms**) Exstant quoque aliqua inexpectatae salutis exempla profana, sine eo quod quisquam putaverit, iis tamquam vitae agendae conservandaeque regulis confidendum esse; praesertim in tot contrariorum exemplorum copia, ex quibus certius quid Deus facere velit, et facturus sit, iudicetur. Quod raro contingit, parum id attendendum esse, monet cum Aristotele prudentia et ratio. **mt**)

[p. 195] En vero hic unum recentius exemplum arte quadam quae sitae mortis, tamquam certi virtutis et pudicitiae praesidii ac tutelae, ex Wietrowsky S. l. historia de Bello Sacro l. 10. sub finem, ubi de expugnatione Ptolemaidis. Barbaros, ait, omnia cladibus et lanienis implevisse, et quibus ferrum pepercit, in captivitatem abduxisse, postquam omnigena dissolutione et violentia beluinam libidinem suam satiassent. Utique in illis matronis, feminis, puellis, quae vel naturali dulcedine vitae, vel suspicionibus et conjecturis Augustini et Sarisberiensis captae detentaeque, adulteria ac stupra pati, quam sponte mori praestantius, honestius, fortius, ipsique pudicitiae convenientius putaverant. Erant vero et virgines, quae iuxta hoc Iuvenalis,

Summum crede nefas animam paeferre pudori,  
Et propter vitam vivendi perdere causas,

[p. 196] iudicasse videntur, aliumque proinde se illaesas, accersita astu quodam morte, conservandi modum excogitarunt. Nempe nares sibi absciderunt, cruroreque perfusas horrendum in modum sese deformarunt. Itaque barbari eas, tamquam monstra et Furias abominati, illico omnes trucidarunt. Id vero est petere, cupere, advocare, attrahere mortem. Id est sponte, aliorum opera et manibus, extingui. **mv**) Non excludo lumen Spiritus S.; sed nego inde fas fieri quod ex se et [p. 197] ubique nefas est. Nego licere theologis et patribus ipsis obtrudere Spiritum S., quando id ipsis ad defendendas opiniones absurdas visum fuerit, eumque sceleribus, quae alioquin putant, tamquam velamen obducere. **mx**)

Quae Cap. 27. afferuntur ab Augustino, prioribus, licet in se levissimis, leviora sunt. **my**) Ait enim: Si utile putetur, ut quisquam se occidat, ne in peccatum irruat, vel blandiente voluptate, vel saeviente dolore, hortandi essent homines tunc se potius interimere, cum lavacro sanctae regenerationis abluti, universorum acciperent remissionem peccatorum. ,,

Pudet me, vel Augustini nomine, tot futilium captiuncularum [p. 198], earumque nunc his similium. **my\***) Si utile putetur, ut esuriens comedat, sidens bibat, qui libidinis facibus uritur, ducat, iuxta apostoli consilium, uxorem, vel innupta nubat; qui metuit ne par sit tormentis honeste ferendis, cum priscis illis Christianis vel fugiat, vel magna pecunia emat immunitatem, latendi saltem inter fures et lenones, ut dixit Tertull. **mz**) Adde quotquot volueris exempla, et inter alia, si utile putetur, ad se defendendum, occidere alios; si in acie versari et cum hoste configere; si medicamenta sumere, corpus exhaurire et purgare; si ambulare vel requiescere et dormire, si ridere vel flere; si vestes calceosque consuere. **na**) Si, inquam, utile putetur, et quandoque necessarium, haec aliaque facere, hortandi essent homines (et qui? infantes, qui plerumque [p. 199] baptizantur? moribundi, qui olim baptizabantur?) ut haec faciant statim post baptismum. **nb**) Quod si vero non deceat, nec expedit omnes ita hortari, id

indicio est eiusmodi adeo non licere, ut sint capitalia et exsecrabilia scelera. Estne quicquam futilius et absurdius?

[p. 200] Praeterea lavacrum illud toti orbi usque ad tempora Christi penitus ignotum fuit: universis itaque maioribus defuit ea mortis suadendae et capienda causa. Sed nec per illud, labefactatum aut mutatum fuit ius naturae, et quae per id licent. Deinde ambigue, confuse, dolose hic, ut alias, loquitur Augustinus. Sunt dolores breves, exigui, tolerabiles: sunt alii longi, perpetui, ingentes, intolerabiles. Ad haec Christus Dominus ait: Si manus, pes, oculus scandalizat te; abscinde, erue, proice. An hic quoque dixeris, Si utile putetur cet.? Sed haec pluribus refutare est in ventum braccchia iactare. **nd)**

[p. 201] Quae sequuntur apud August., praeterquam quod minus quam superiora cuncta rem ipsam, de qua agitur, tangant, fapiunt anilem et scrupulosam superstitionem: quae longe magis nocet, quam quaecumque, etiam praeceps et inconsulta mors; atque gravium peccatorum caput est, pietatisque omnis, amoris ac fiduciae in Deum ruina. Solacia vero, et velut remedia mala allaturus August. affert ea, quae malo sunt peiora, quaeque animo alte impressa, si tamquam vera firme complectaris, constanterque sequareis, nullam vel particulam quietis et tranquillitatis animi, amorisque, ut dixi, et fiduciae in Deum, adeoque nec purae sinceraeque pietatis vili mortalium relinquere videntur. Solatus enim honestas matronas et virgines, damnum qualemque pudicitiae aliena libidine et crudelitate passas, iubet meminisse, **anon** forte obrepserit ipsis aliquando vel voluptas aliqua imaginaria, vel gaudium, aut delectatio ex integritate virtutis sua. **ne)** Adiungit [p. 202] alia quaedam, si recte memini, in eundem sensum, ex quibus vult cogitari Deum iratum causam supremam fuisse illatorum stuprorum, tamquam poenarum, vel voluptatis [p. 203], vel gaudii illius prioris. **nf)** Plutarchus in De Superstit. recte et firme ostendere videtur, superstitiones esse impiis et atheis ipsis quodammodo deteriores: **ng)** quippe qui Deum putent iracundum, vindictae [p. 204] cupidum, et qui minimis rebus offendatur. **nh)** Idem annotavit superstitiones, nemine alio hoc ipsis dicente, ipsis sibi denuntiare, miseros se providentia iussuque divino ista pati. **ni)** Et alio loco: Eiusmodi [p. 205] hominibus recte hoc dicto occurreris, Non tibi Deus nocet, sed ipse tu tibi. Et denuo: Spes virtutis, non ignaviae, nec ignavae superstitionis praetextus est Deus. **nk)** Ut cumque fuerit, neque ex suspicionibus illis poenarum divinarum Augustinianis consequitur, omnem mortem voluntariam esse illicitam. **nl)** Corraseris autem [p. 206] pro more tuo, et obieceris quaedam verba et exempla Scripturae: an putas me iis tuo sensu intellegis, contra sensum, experientiam et rationem communem; contra certiora, clariora et frequentiora verba atque exempla eiusdem Scripturae; denique contra frequentissima, cotidiana et assidua exempla, ac veluti legem, aut ordinem providentiae, mundum universum hominesque regentis, moveri? **nm)** Si libere verum dicere liceat, tuis illis superstitionis sensibus vocibusque non magis moveor, quam si alius persuadere vellet, Deum habere humana membra et affectus, quia Deo [p. 207] passim in universa Script. tribuuntur: **nn)** vel eum esse causam auctoremque peccatorum, quia dicitur excaecare, indurare, immo praecepere, ut homines male agant, vel dicant: quemadmodum Semei praecepsisse dicitur, ut malediceret Davidi: **no)** nec magis quam si [p. 208] mentem abductam a consideratione Dei et perfectionum eius, solitaeque, constantis ac perpetuae eiusdem providentiae, iuberet totam converti ad rarissima et paucissima quaedam exempla, quae nusquam ullam regulam faciunt, quaeque tamquam in transitu admirari, non diu frustraque rimari convenit. **np)** Abditos principis sensus, inquit ille, et si quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps; nec ideo adsequare. Tertullianus aliubi ait: Unde unde sint ista, signis potius et ostentis deputanda, naturam facere non possunt. Addo ego, nec vitae, prudentiae actionumque humanarum in omnibus casibus et eventibus regulam. **nq)**

Hic appono brevem velut catalogum quendam utriusque generis exemplorum, cum eorum qui pauci et raro fuerunt mirabiliter liberati ac servati, tum innumerabilium [p. 209] aliorum, qui miserrime perierunt. In his vero fuerunt utique piorum quoque complures, impiorum vero illi quoque, quibus vita etiam mille annorum ad emendationem sui adeo non profuisset, ut in dies peiores ac sceleratores evasissent. **nr)**

A. M. 1657. diluvio universalis omne genus humanum interiit non nisi octo hominibus servatis. **ns)**

[p. 210] A. 2189. vel ut alii 2207. contigit diluvium Ogygium, et ducentis circiter ac 50. post annis, Deucalionum. Hoc saeculo duae aliae admirabiles clades fuisse putantur, Phaëthonis incendium, et Aegypti plagae. **nt**)

Saeculo 24. vel 25. post O. C. sescenta milia Israelitarum liberata quidem, per mare rubrum traducta, et variis singularibusque beneficiis affecta; sed variis quoque, singularibus horrendisque malis identidem afflita: demum universi, duobus, aut certe paucissimis exceptis, in desertis Arabiae consumpti. **nv**)

Deinde sub iudicibus, regibus et principibus suis quae passi sunt mala et clades **nx**) usque ad A. post C. N. 72. quo Hierosolyma a Tito Vespas. expugnata, si computes; pro uno fortassis, absque insigni damno sui, familiae, rerumque magis necessiarum aut cararum, servato, reperientur multa milia, quae post ingentes calamitates, vitam et omnia misere perdiderunt. Lipsius l. 2. de Constant. observat septem dumtaxat, iisque non totis annis, civili extemoque bello ultra duodecies centena et quadraginta milia Iudeorum fuisse absumpta. [p. 211] Qui vero superfuerunt, ea passi sunt ut beatos praedicare potuissent, quibus perire contigerat. Itaque mille Massadani illi, de quibus infra, se ipsi potius interfecerunt. Brevi tempore intericto, Traiano et Hadriano Impp., ingentibus denuo cladibus prostrati Iudei, et passim ad internacionem deleti. Sed et ipsi prius duce Barchocab quadringenta amplius hominum milia ferro, igne, omniq[ue] crudelitatis genere extinxisse traduntur., **ny**)

[p. 212] Ceterum non minores, nec leviores fuerunt aliarum gentium calamitates: uti praesertim earum, unaque tot antiquorum regnum ac imperiorum atrociores casus et excidia testantur. Nota sunt quae de internacione antiquarum gentium Palaestinae, copiarum omnium Zarae Aethiopis, et Sennacheribi regis Assyriorum, refert Scriptura. Notae quoque ingentes illae Persarum strages sub Cyro ad extremum, Dario Hystasp., Xerxe, et ultimo Dario Codomanno. Graeciam vero olim populis, viris victoriisque adeo celebrem [p. 213], suo aevo adeo fuisse exhaustam tradit Plutarchus, ut non fuerit conficiendis tribus milibus militum. **V.** num bellum Punicum secundum in solis Italia, Hispania et Sicilia supra quindecies centena milia hominum consumpsic: ut testatur Lipsius supra, et curiose quaevisse se ait. Bellum, addit, civile Caesaris et Pompeii ad trecenta milia: et largius Bruti, Cassii et Sexti Pompeii arma. **nz**)

Sed forte Christiani saltem indulgentius habiti, aut atrocioribus certe malis cladibusque exempti. Immō nulli fere minus, quibus praeter communes calamitates omnes, et quandoque graviores, quaedam fuerunt propriae, antea inauditae, atque tales ut [p. 214] non nisi ipsis contingere potuerint. **oa**) Ex his sunt

1. Quae vulgo persecutions vocantur, et 26. Ad nostra usque tempora a nonnullis annotantur: quarum prima, vel secunda sub Nerone A. C. 64., ultima sub Taicosama rege Iaponiae A. C. 1587., renovata A. [p. 215] 1616. et seqq. **ob**) De intermediis aliquid iudica vel conice ex prima et postrema. De illa paucis Tacitus Ann. 15, 44. ubi relato incendio Romae, quodque Nero abolendo rumori reos subdidit Christianos, igitur, inquit, primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens... Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Circa postremam vide ea quae auctor descriptionis insulae Formosae Amstelod. A. 1705. De Statu rei Christianae in Iaponia ab A. 1549. ad 1616. compendio tradit. Ut paucissimis dicam, ethnici immani furore in Christianos impetum faciunt, et crudelissime variis suppliciorum ac tormentorum modis saeviunt: iugulant, suspendunt, mergunt, comburunt. Quingenta milia perisse traduntur. **oc**)

[p. 216] 2. Frequentes et funestae opinionum religiosarum, indeque animorum dissensiones. Iam inde ab initio fere cooperant, sed in publicas mutuasque caedes non nisi imperio et regnis ad principes Christianos devolutis, erumpere potuerant. Tum vero videre saepe erat, Christianos in propria velut viscera furem saevitiamque convertere, et seipsos immaniter, fere ultra ethnicae crudelitatis exempla, persecuti. Cogita persecutions quae Vandilicae vocantur. Porro Saec. VII. Constantinus IV. Imp. Orientis ad Occidentales scripsisse fertur de Monotheletis: In tantum impietatis furia animam

suam cremaverunt, ut etiam dispergere atque dissecare invicem membra Christi persuaderent: ut nec barbari tantum, quantum Christiani Christianos oppugnarent. Nota sunt, quae de crudelitate paparum, et eos venerantium, congererint Protestantes: et nota [p. 217] sunt sunt in universum quae duobus his ultimis saeculis religionis causa vel specie utrimque factitata sunt, atrocibus omnium fere praecedentium saeculorum exemplis paria, forte etiam superiora. **od**)

3. Novae, insolitae, ultraque aliorum hominum morem pertinaces superstitiones. Causa haec esse videtur. Ratio ita obtentu religionis, pietatis, Scripturae, auctoritatis interpretum eius, ecclesiae, oppressa est, ut numquam resurgere ac convalescere queat. Quod si quandoque connixa se commoverit, statim tot hinc malis et iniuriis, inde contumeliis obruitur, ut vix ipsa se dignoscere possit. Dicitur enim esse caeca, stulta, tenebris involuta, impia, Deo repugnans. Utique praestat nullam, quam talem habere faterique rationem. **oe**)

[p. 218] 4. Novae quoque et insolitae barbarorum, etiam prius ignotorum, irruptiones: Hunnorum primum, deinde Bulgarorum, demum Turcarum et Tartarorum. Hi circa A. C. 1242. universam Hungariam, Poloniam, Bohemiam vicinasque regiones devastarunt, tanta Christianorum laniana, ut novem ingentes saccos auribus occisorum implevisse ferantur, altera tantum singulis relecta. Alstedius in Chronol. Mirabilium Dei ad A. C. 364, scribit: Nuntiato Iuliani obitu arma conclamat universus orbis: Germani cum Suebis in Galliis et Rhaetia: Quadi cum Sarmatis in Pannonia et Moesia: Gothi in Thracia: Picti, Scotti, et Saxones cum Anglis in Britannia: Mauri in Africa. **of**)

5. Expeditiones Cruciatae, magno impetu, sed non valde feliciter coepitae (ex ingenti undique conglobata multitudine vix 25000. superfuisse traduntur expugnata Hierosolyma) infelicius continuatae, infelicissime finitae. **og**)

[p. 219] 6. Atroces et diurnae contentiones imperatorum et paparum, indeque Gibellinorum et Guelphorum. Hae sex classes calamitatum generales infinitas particulares, et quasdam vel turpitudine, vel atrocitate intolerabiles comprehendunt. **oh**)

En nunc pestis et famis exempla quaedam posteriora, et ut sic dicam, Christiana. **oi**)

[p. 220] A. C. 409. et 410. sub Honorio Romae tanta caritas et raritas omnis annonae fuit, ut homines hominibus iam imminerent, et in Circo palam auditae sint voces, Pone pretium humanae carni. **ok**)

Circa A. 547. sub Iustiniano pestis grassata Byzantii finitimisque locis tanta vi, ut in singulos dies quinque milia, interdum etiam decem perierint [p. 221] **ol**) Sub eodem in tota Italia, vastantibus eam Gothis, tanta fuit fames, ut in solo Piceno quinquaginta hominum milia interierint, et passim in usum ciborum versae sint non carnes solum humanae, sed etiam merdae et stercora. Due mulieres 17. Viros per insidias noctu interfecerant et devoraverant, ipsae a decimo octavo trucidatae demum. Matres quoque filiorum carnibus pastae sunt. **om**) Hac tempestate vir Romanus quinque liberorum parens, hos cibum miserabiliter flagitantes sequi se iussit, tamquam accepturos. Ubi supra Tiberis pontem constituit, capite obvoluto velatisque oculis in fluvium se deiecit. **on**)

[p. 222] A. 851. tanta fames in Germania, ut parentes voraverint liberos, et liberi parentes. **oo**) Rursus A. 1010. [p. 223] et 1042. ac seqq. item A. 1062. 1070. 1311. 1315. 1348. horrenda fames et pestis.

Porro tyrannidis et crudelitatis exempla compendio vide apud Lipsium supra, Valerium Max. l. 9. c. 2. et alias paffim. **op**)

Haec ex multis pauca. Iam vero si in eiusmodi tempora, ut tot alii, incideris, quid praesidii ac solacii? **oq**) An id ipsum occidi, cruciari, dira lentaque [p. 224] fame tabescere, aut stercora saltem comedere? **or**) An forte, ut superius, cogitare Deum aliqua oblivious, vel cogitatione tua, vel imagine voluptatis, aut similius fere nugis labeculisve tuis offensum, tam saeve meritoque punire? **os**) Non valde placet, nec iuvat roboretque animum; immo plane debilitat frangitque. **ot**) An sperare te malis, licet propter te quoque, propter aliquam, ut dixi, oblivionem, aut cogitationem [p. 225] tuam immissis circumfusum, a Deo prodigiose, inter tot milium strages, conservatum iri? **ov**) An igitur pauca quaedam exempla

aliorum a Deo singulariter conservatorum respicere, sepositis et spretis omnibus aliis, licet frequentissimis ac continuis? **ox)** An maiore parte mortis modo per ferrum, pestem, famem in corpus recepta, obstinare animum ad vivendum? **oy)** Haec sine sunt munimenta mentium, praesertim doctarum et placidarum, atque solacia calamitatum humanarum? **oz)**

[p. 226] Sed oportet, inquis, semper in Deo sperare. Utique: non stolidi tamen, improbe et superbe, exspectando aliquid insoliti, et a communi forte discreti; sed modeste, prudenter et congruenter iis, quae Deus plerumque ac constanter agit egitque. Quid? quod per te tuamque superstitionem vix potest quisquam solide sperare. Sed multis milibus pereuntibus liberetur unus aliquis, servetur, vivat: quamdiu vivet? et tantine est semper, omnibusque vivere, ut propter exiguum aliquam incertamque moram consultum sit diu torqueri? **pa)**

[p. 227] Sed vivendum, inquis denuo, quamdiu vult Deus. Recte: et quamdiu suadet voluntatem Dei hominibus aperiens ratio; **pb)** adeoque quamdiu volunt iudicantque [p. 228] Deo consentientes boni prudentesque viri: non quamdiu volunt et opinantur nova superstitione caeci. **pc)** Canit poëta:

Ipse Deus, simul atque volam, me corpore solvet.<sup>66</sup> **pd)**

Iuxta rationem, inquam, prudentiam et experientiam casuum humanorum, uti vivendum, ita etiam moriendum est: et id ipsum utique vult Deus: non iuxta stultas et aniles persuasiunculas, quas Deus aspernatur et odit. **pe)** Praeterea quaedam, quae Deus interdum [p. 229] velle dicitur, ita vult, si velit, ut potius nolit. Multa bella ex insatiabili principum ac populorum quorundam ambitione et avaritia oriuntur. Haec dixeris Deum nolle potius quam velle. Itaque rogit psaltes: Dissipa gentes quae bella volunt. Fames et pestis saepe ex bellis istis nascuntur: alias quoque habent suas causas naturales, sicut monstra, quae abominamur et delemus. Ad haec debet fortassis homo quandoque, certe potest, **immo** respiciendo naturam hominis, sicut a Deo ipso facta ac constituta est, non potest non directo nolle quae Deus vult: nempe haec ipsa quae dixi, bella, famem, pestem, tyrannidem, patriae, parentum, necessariorum, amicorum et sui ipsius interitum. Quod si quis rara virtute velit; non aliter tamen, quam quia necesse est. Et hac ratione volunt etiam boni prudentesque viri sponte mori. Et idem velle Deum patet, cum ex magna necessitate moriendi, quam nunc iniecit; tum ex intima constitutione et appetitione naturae humanae quam fecit: denique quia in universum et absolute vult, ut homines vivant morianturque iuxta rationem, ut dixi, prudentiam et experientiam rerum humanarum. **pf)**

[p. 230] Recole et adde, quae supra annotavi ex Scriptura quoque: nempe Deum nolle ut homo **temp**tetur supra vires suas: ut fit sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus, non ratio, non providentia: ut ambulet sicut insipientes: ut amet periculum: ut custodiendo animam suam perdat eam: ut patiatur imponi: sibi onera nimis gravia, et quae paucissimi recta cervice portare possunt. **pg)**

[p. 231] Iam diu satis cum Augustino, verbisque eius, effugis, audacibus assertionibus et interpretationibus Scripturae, aliisque a re, de qua disceptatur, alienissimis etiam, altercati sumus; ostendimusque, nihil eum attulisse quod valeat contra mortem voluntariam in iis, quos saepius indicavimus, casibus accessitam, contraque rationes pro ea adductas. **ph)** Immo nunc vel ex propriis illud ab initio significatum contra, Augustinum [p. 232] et affectas omnes clare eduxeris, firmeque instruxeris argumentum. Nempe Quae causa a magno patrono, omnes ingenii, doctrinae, facundiae nervos intendente, atque omnia quae invenire potuit, ac expedire iudicavit, conquirente et afferente, non nisi miserrime per suspiciones, conjecturas, incertas, nisi falsas etiam, interpretationes; denique non nisi per ea, quae verum causae statum non attingunt, defensa (vel oppugnata) fuit: ea utique veris, gravibus solidisque rationibus defendi (vel oppugnari) nequit. Atqui causa mortis voluntariae, tamquam semper, et in omnibus casibus vetitae ac damnatae, non aliter ab Augustino defensa fuit: ergo eam nec aliter defendi probarique posse, concludendum est. **pi)**

---

<sup>66</sup> ‘ipse deus, simul atque volam, me solvet.’ [...] (HOR. epist. 1, 16, 78 ed. Shackleton-Bailey)

Confirmatur similibus, id est loquacibus, infirmis, vanis, frivolis, sophisticis aliorum argumentis, defensionibus et oppugnationibus. Certe pauca illa et **fculnea**, verbo ἀπολύεσθαι, aliisque obumbrata] quae annotavit Grotius 2, 19. nihil momenti habent. **pk)**

[p. 233] Nec graviora sunt, quae in suis Principiis I. N. Affert Guil. Grotius, bis exscribens et laudans locum aliquem [p. 234] Augustini, quo is, ut supra, dicit, afferit, approbat; sed nihil eorum quae dicit, vel aliqua specie rationis solidae probat: ac si ubique sufficeret, ipse dixit. En locum illum, quem egregium vocat Grotius! Hoc dicimus, hoc afferimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, ne fugiendo molestias temporales incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter peccata sua praeterita, propter quae hac vita magis opus est, ut possint paenitendo sanari. Neminem velut desiderio vitae [p. 235] melioris quae post mortem speratur, quia reos suae mortis melior post mortem vita non suscipit. „Haec frigida velut calamista,, aut argutias et inania acumina antithetorum ex Augustino Grotius, quae frustra quaesieris in universa Scriptura, extra quam clare et diserte tantas praesertim res, ne ob centum quidem antithetorum rhetoricon, vel sophisticorum milia recipiendas, definientem, nemini alii quidquam dicere, asserere, approbare permittit Augustinus. **pl)** Sane [p. 236] nemini mortalium permittendum et permissum est, ut sine evidenteribus vel Scripturis, vel rationibus denuntiet poenas perpetuas, atque propria auctoritate seligat, quos post mortem vita melior susceptura sit, quos non. **pm)** Ad haec sueta sibi fallacia petit denuo principium August., vel audacter sibi sumit id quod saltem in quaestione est, atque adeo quod vult non probavit, ut futilem ratiunculis ac coniecturis everterit [p. 237] etiam. **pn)** Praeterea mutat etiam denuo et corrumpit quaestionem, saltem principalem. Quaeritur enim hic potissimum, ut in omnibus officiis peristaticis et calamitosis, non utrum quis debeat sibi mortem inferre, sed an possit, vel id ei liceat, si velit. Vastum autem est discrimin inter licere, sive posse aliquid sine peccato facere, et inter debere. Nemo tam stolidus est, ut putet se debere facere, quidquid ei licet facere, si velit. Frustra igitur, captiose, maligne, et contra verum quaestionis statum dicit, asserit, approbat August., neminem sibi mortem inferre debere. Non debeat; sufficit, quod liceat: quemadmodum sufficit, quod liceat hostem, furem, latronem, stupratorem interficere: quod liceat iacturam rerum suarum facere: quod liceat se mutilare, membra, si noceant, resecare. An quis debeat etiam, alia est, et non necessaria quaestio. **po)** Captiose quoque, ambigue et promiscue [p. 238] loquitur, more suo, de molestiis, quarum infinitae fere sunt varietates et gradus. Itaque ne denuo velut cum monstris, umbris et larvis frustra pugnemus, compendio utentes, exemplo et verbis quibusdam Augustini, sed melius et in contrarium, Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc omnibus modis approbamus neminem vel rationis, vel divinae legis imperio vivere debere, ut longa et crudeli morte moriatur, dum potest breviore ec leniore. **pp)** Neminem in deliriis, furoribus, miseriis ac doloribus, et communi omnium, et singulari prudentium et constantium virorum aestimatione et experimento intolerandis vivere debere: ac si [p. 239] in illis male quoque, ut sit, et turpiter vivendo, immo Deum, fidem, religionem eiurando, homines trucidando et vorando, vel eorum stercore, magis Deo placeret, et maiorem in caelis gloriam promereretur. **pq)** Neminem vivere debere, ut ad mortem usque stupretur, vel ad satietatem stupratus occidatur: neminem, ut aliis aliorum peccatis serviat: ne vitam magis quam virtutem amans, mortem magis quam vitium fugiens, Deo, angelis et superis omnibus invisus, detestabilis, eorumque societate exclusus ad inferos relegetur. **pr)** [p. 240] Paucis, neminem, ubi bene examinatis et exploratis cunctis ratio finire vitam suadet, vivere debere, etiamsi nolit; et sonantibus antithetis rhetorum, metuque ac minis inanibus superstitionis terreri ne faciat quod facere decreverat, et necesse est: ne a ratione in posterum desertus, et superstitione captus, incertus, anxius, miser, et vivat, et moriatur. **ps)** Denique [p. 241] cum Christus Dominus toties Vae clamaverit contra Scribas et Phariseos assuentes, utique praetextu pietatis aliarumque virtutum, atque per interpretationes coactas et extensas, vanasque suspiciones et coniecturas: assuentes, inquam, divinis sua praecepta, aut consilia, quamvis sine minis forte aeternarum poenarum; atque alligantes imponentesque umeris hominum onera graviora quam ut portari possent: **pt)** quid de assumentis, oneribus longe gravissimis, et vel cogitat terribilissimis, denique mortis sempiternae minis Augustinianis sit censendum, facile patet. Utique sunt stipulae, quas apostolus vocat, quasque ignis probabit et delebit. Credibile est, complures hac superstitione minisque

territos, perturbatae et infelicitis vitae, multorum ac gravium peccatorum, ut in eiusmodi vita usu venit, mortis demum sempiterne sibi causam fuisse: atque istos nunc, et in aeternum, hinc opinionem hanc, verba et minas Augustini; inde suam stultitiam, credulitatem, ignaviam exsecrari. **pv)**

[p. 242] Porro artibus Augustinianis, sive audacia dicendi, asserendi, approbandi vel improbandi, denunciandi poenas aeternas, additis antithetis nonnullis, complura officia, praesertim calamitosa et necessitate expressa, de quibus nemo ambigit, acerbissime damnaveris. **px)** Videamus.

[p. 243] 1. Licet utique fugere. Ast verbis ipsis et antithetis August. facile probaveris adeo non licere, ut fit grande et tartareum scelus. Nempe hoc dicimus, hoc asserimus, hoc omnibus modis approbamus, neminem fugere debere, ne fugiendo molestias temporales incidat in perpetuas. Neminem propter alienam crudelitatem ac sceleram, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium. Neminem propter peccata sua praeterita, propter quae hic poena opus est qua possint expiari, ut Deus in aeternum parcat. Neminem velut desiderio hic Deo diutius serviendi, ideoque ampliora in caelis consequendi praemia: quia ignavos, timidos, et fugientes eas quas Deus offert egregias sibi serviendi occasiones, melior post mortem vita non suscipit. **py)**

[p. 243] 2. Licet utique infestum hostem, insidiatorem; latronem, stupratorem occidere. **pz)** Sed verbis denuo et antithetis August. non licet: ne occidendo alios, atque ita fugiendo mortem temporalem incidat quis ipse in perpetuam: item ne hoc ipso incipiat habere gravissimum peccatum proprium, quem non polluebat alienum: item ne eripiat improbo vitam, qua ipsi maxime opus est, ut improbitas possit paenitendo sanari.

3. Licet utique magistratibus saltem sceleratos morte punire, aliquos etiam pro meritis torquere. **qa)** Per verba vero et antitheta August. non licet. Neminem enim debere tam severe punire peccata aliena, ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium: neminem peccata praeterita, propter quae vita magis opus est: neminem velut desiderio vitae melioris, quae ob iustitiam speretur; quia reos alienae mortis, et forte acerbioris, fortassis etiam impenitentiae, vel nondum [p. 245] satis per poenitentiam sanatortim peccatorum, melior post mortem vita non suscipit.

Denique innumeris fere antithetis omne ius bellandi everteris, atque bella suscipientibus gerentibusque infra sceleratos propemodum omnes ad fundum velut ipsum depresso, omnes inferorum poenas imposueris. **qb)**

Sed de Augustino, et cum illo satis: veniendum nunc ad alios. Exercitatione philosophica de morte voluntaria mentionem feci disputationis cuiusdam de Αὐτοχειρίᾳ, Rachelio auctore et praeside habitae Helmstadii A. 1659. Eius dabo summam et seriem, unaque specimen aliquod demonstrationum adversariarum, quasi philosophicarum, theologicis et Augustinianis quandoque mixtarum: quae, si quicquam, certe nihil aliud demonstrant, quam causam inimicorum cunctis, quae vere dici possunt, rationibus destitui. Itaque opinioni et affectui vulgi cum bestiis communi tegendo ornandoque quaedam speciosa dictu, re inania et falsa accumulari: uti fit, et factum ab omnibus illis, quos vidi, novis plebeisque, ut Tullius vocat, magistris. **qc)** Exempli loco unum ante Rachelium producam.

[p. 246] Gentzen Prof. Kilon. **qd)** disserens primum de natura et constitutione philosophiae moralis, hanc, et [p. 247] recte quidem meo iudicio, a theologia morali Christiana vulgari, et iure civili discernens queritur, superioribus saeculis has disciplinas fuisse misere confusas, ac pleraque obscuris terminis et figmentis involuta. Inde factum ait, ut de moribus omnium gentium e theologia Christiana ferretur iudicium, pro ratione sectarum, in quas Christianismus divisus, diversum. Deinde principia quoque honesti, iusti, et decori, tamquam non satis a veteribus distincta, distinguens, eaque exponens dicit in antiquis philosophis non nisi conclusiones quasdam reperiri absque debita cum principiis suis cohaerentia. Falsum est: sed abeat. Reliquerunt id novis illis scholasticis et plebeis denuo rudiorum magistris ac professoribus, qui et principia, et conclusiones probare coguntur etiam; immo sequuntur et imitantur, licet quandoque ut simiae ac psittaci humanas voces gestusque, omittentes quaedam, interrupentes ac corrumptentes. Idem deinde agens de natura iusti, et primo absoluto iusti pracepto, quod ipsi est conservatio vitae, praeter alia ita disserit. Id homo commune habet cum omnibus

animantibus, ut seipsum omnibus modis conservare studeat, ut, quaecumque bona sibi videntur, acquirere, mala autem omnia a se repellere quam maxime conetur. Post quaedam repetit hominem esse animal sui servandi studiosissimum. Denuo post quaedam ait methodum iuste tradendi disciplinam hanc in eo consistere, ut posita una aliqua thesi, quae immediate ex ipsa natura et constitutione hominis, probanda, reliquas omnes theses, quibus disciplina haec constat, inde deducamus... Illam vocant propositionem fundamentalem, qualis erit: *Hominem esse socialem* [p. 248], *et quicquid ad placidam cum aliis hominibus societatem colendam et servandam necessario conductit, illud est iustum, sive iure naturae praeceptum: quid autem eandem turbat atque dissolvit, illud est iniustum, sive iure nat. prohibitum.* Haec Cap. 1., et velut prooemii loco: tum vero Cap. 2. ita infit: Videamus ergo utrum omnia pracepta iuris nat. absoluta ad nostram propositionem fundamentalem reduci possint. Primum autem absolutum praeceptum hoc est: *Vitam a Deo in societatis usum datam, conservandam esse.* Inde mox sequi necessario ait, hominem sibi pro lubitu vitam non posse adimere, aut omnem ipsius curam plane abdicere. Nulla itaque, addit, homini in propriam vitam competit potestas: quare vel metu poenae, vel taedio molestiarum sibi vitam abrumpere nefas est, nec citra iniuriam in Deum et societatem fieri potest. A crimen tamen αὐτοχειρίας immunes sunt 1. qui probabilem occasionem brevioris vitae, ut aliis inserviant, eligunt. 2. qui in probabile mortis periculum se pro aliorum utilitate coniciunt, in primis iussu imperantis civilis. „Hoc ille, bene scilicet distinguens, debiteque, ut dixit, connectens conclusionibus principia, et haec illis, sive antecedentia iis quae consequuntur. Etiam nos videamus: et hic quidem iustitiam Gentzkenianam, ut supra vidimus fortitudinem et magnitudinem animi Augustinianam.

1. Iusti primum et absolutum praeceptum dicitur esse, vitam conservare. Ast iustitia utique est virtus, eaque in alios conversa. Atqui conservatio vitae nec est in se virtus, sed rationem virtutemque omnem antecedens instinctus impulsusque naturae, nobis bestiisque [p. 249] communis, ceu professor noster ipse fatetur: nec si esset, in alios exit, sed velut domi apud professorem suum manet. Denique est, et perseverat etiam in iniustissimis et improbissimis. **qe)**

[p. 250] 2. Dicitur homo esse socialis. Concedo: sed non ideo praecise, quia quatenus animal est, vult conservare vitam. Neque etiam, quia socialis est, appetit et amat quamcumque societatem. **Immo** refugit et aversatur, ac magis quidem quam solitudinem, quam pestem et mortem ipsam, si sibi sit perniciosa: uti saepe est, multisque fuit. **qf)**

[p. 251] 3. Quidquid ad placidam cum aliis hominibus societatem colendam et servandam necessario conductit, [p. 252] illud est iustum. **qg)** Mox erimus faciles, praesertim erga debilem adversarium, et in eius gratiam id, quod dat, recipiemus: **qh)** nunc vero prius dicendum, id iuxta eum ipsum praesertim, et alios, qui iustum, honestum et decorum tam solicite distinguere, eoque nomine accusare amant veteres, tamquam insignis et intolerabilis confusionis, esse falsum; alioquin enim quidquid est honestum et decorum, esset quoque iustum; [p. 253] et vicissim; **qi)** atque omnes virtutes: lenitas etiam, mansuetudo, comitas, humanitas, condonatio iniuriarum, et damnorum; item beneficentia, liberalitas, modestia: essent merae iustitiae, aut species vel partes iustitiae. **qk)** Utique enim omnes, et aliquae magis quam ipsa iustitia proprie stricteque dicta, conducunt ad placidam cum [p. 254] aliis societatem. **ql)** Sed forte conducunt, inquis, non tamen necessario. Igitur tollamus nunc reliquias omnes; tollamus quidquid est honestum et decorum: quid vero remanet iustitiae ad placidam efficiendam societatem? **qm)** Nempe id solum, neminem laedere. Quo ipso iustus erit, quisquis alium non laedit; et iustissimus quidem, qui nec vult, nec potest laedere. At sponte mortui non laedunt quemquam, et nec volunt, nec possunt laedere: ergo sunt iustissimi. **qn)** Sed laeserunt, [p. 255] inquis, moriendo. Nugaris et mentiris. **qo)** Nam puta, me et te inisse inter nos societatem ea lege, ut neuter alteri gratis prodesset, sed nec noceret, vel laederet. Progressu temporis mihi ob graves causas [p. 256] placet mori, et morior: quomodo laedo te moriens, qui nec vivus iure ac lege societatis nostrae obligatus fui ad ullum tibi commodum praestandum? **Immo** tu potius ac societas tua mihi graviter nocet, adeoque est iniusta, damnosa, iniuriosa: si quod mihi expedit, atque valde necessarium quoque est, non liceat mihi per te, sine ullo damno tuo facere. Vel dic, quod damnum, quam iniuriam tibi fecerim. An te moriendo fraudavi? an tibi quicquam quod tuum erat eripui? an famam et honorem

laesi? Iam cogita opifices qui magnam partem societatis, eiusque placidae et utilis, constituunt. Ex his sponte moriatur e.g. sutor aliquis: quam iniuriam societati facit, praesertim in tanto numero sutorum? Non consuet quidem aliis calceos; sed nec alii solvent et dabunt ei pecuniam; etiam vivus non consuendo calceos, non aliam et maiorem facit aliis, quam alii ipsi iniuriam, non dando pecuniam.

Nunc recipiamus illud, Quidquid ad placidam societatem facit, esse iustum: quid vero deinde? Nempe

4. Vitam a Deo datam in societatis usum, esse conservandam. **qp)** Hoc vero est mancum, mutilum, imperfectum [p. 257], quod mox complebimus. Interim monendum est, professorem nostrum non connectere nunc antecedentibus ea quae sequuntur, sed subito infulcire et obtrudere ea quorum prius nulla fuit facta mentio. **qq)** Antea locutus est tantum de socialitate, vel de amore cuiusdam societatis, atque de conservatione vitae, a quocumque etiam, et quocumque fine usuve datae: unde ergo tamquam e machina subito erupit, et Deus, et donum, et societatis usus? et cuius societatis? **qr)** Nam multa et magna sunt societatum [p. 258] humanarum, earumque non natura et iure, sed vi etiam et armis, aut pro variis quoque ac mutabilibus hominum opinionibus ac libidinibus constitutarum. **qs)** Multae quoque sunt societas, quae aperte profitentur iniurias et scelera. Sunt societas furum, latronum, piratarum. An vita tibi, si forte captus fueris, in talis societatis alicuius usum data? **qt)** Nunc complebimus, et ad verum [p. 259], liquidumque perducemus effatum illud vitae conservanda, hoc fere modo: Vita a Deo in hominis cuiusque proprium, et communem societatis usum data, est in eundem usum, quamdiu salva et integra prudentia ac virtute potest, **qv)** conservanda. Item: Vita cuique a Deo ad animum in principio rudem et incultum, necessarium rerum scientia, virtutibusque, privatim et publice salutaribus excolendum, ac, quantum fieri potest, perficiendum data, est conservanda, quamdiu Deus, homines, et conditio rerum humanarum sinunt; finisque ille ac perfectio obtineri potest. Absque eo valeat, et vita, et societas: nihil viro bono cum illis est societatis et usus. **qx)**

[p. 260] 5. Necessario, ait, sequitur, hominem sibi vitam pro lubitu adimere non posse .... Id verum est: **qy)** sed nemo indiget hoc sive praecepto, sive monito. Nam omnis homo est animal, ut supra dicebatur, absque eo sui conservandi studiosissimum. **qz)** Deinde nec potest homo aliis pro lubitu vitam adimere: potest vero, quotiescumque adest iusta, gravis et necessaria causa. **ra)**

6. Nulla itaque, inquit, homini in propriam vitam competit potestas. Hoc autem nec sponte, nec necessario sequitur, ne ex vita quidem in societatis usum data. **rb)** Nam corpus utique, et membra corporis, [p. 261] manus, pedes; item externa, pecunia, opes et reliqua sunt in societatis usum a Deo data, aeque ac vita: neque ideo non competit homini in ea potestas; et tanta quidem, ut illa, dum necesse est, resecare et abicere liceat. **rc)** Quid? quod contrarium necessario sequitur: nempe vita et membra corporis, aliaque, in sociecati, sed prius propriusque in proprium hominis usum sunt data: ergo cessante eo, ut quandoque, usu, et magis ingruente damno ac pernicie, non sunt amplius conservanda. **rd)** Hoc simplicissimi quique veterum [p. 262] populorum pervidebant, quorum proinde vel leges, vel instituta hoc praecepit fundamento nitebantur: vitam non esse illis retinendam, qui nequeunt aliquid vita dignum agere, nec amplius ad patriae commoda promovenda sunt utiles. **re)** Porro vita utique in usum propagandi generis, ideoque propria huic usui corporis membra et organa a Deo et natura concessa sunt et accommodata: non ideo tamen omnes et singuli, sine ulla exceptione aetatis, valetudinis, casuum humanorum obligantur ad ducendas uxores et procreandos liberos: idque licet societas haec privata ac domestica sit prima et maxime naturalis, sive ad quam primum, praecepit, directo a natura impellimus; atque **sit** quoque fundamentum et fulcrum aliarum societatum. Neque etiam omnes et singuli, qui duxerant uxores et genuerant liberos, ipsis faciunt iniuriam sponte [p. 263] moriendo, ideoque vivere debent tamquam in ipsorum usum; si, ut saepe, sint ipsis non inutiles modo, sed graves etiam, molesti, invisi; ideoque deserti, eiecti, occisi. **rf)** Adice quod quamcumque societatem, civitatem, remp. deserere licet, et alio se conferre: uti frequentissime fit, et factum, etiam a praeclaris viris, qui magno usui erant illis, quos deserebant. **rg)** Sed metu poenae, inquis, et taedio molestiarum non licet vitam abrumpere, misso poenae metu qui non nisi ad sceleratos pertinet iure, **rh)** de taedio molestiarum [p. 264] censeo et dico te, uti alias omnes nobis adversos,

Ioqui obscure, ambigue, confuse, molliter; immo sophistice, subdole, insidiose. Vis enim, et tamquam iure legeque naturae exigis, ut innocentes, ut boni viri, ut honestae matronae et virgines stupra, adulteria, cruciatus, eculeos, ignes, rogos perferant; ut lenta fame contabescant, vel stercora devorent potius quam sponte moriantur. **ri)** Haec, inquam, si nobis adverseris [p. 265], vis et exigis, nihil afferens nisi taedium molestiarum, statimque vociferaris iniuriam fieri Deo ac societati. **rk)** Ast vero sunt molestiae, quas pueri etiam et mulierculae facile perferunt, licet cum taedio aliquo. Sunt aliae graviores, et his aliae, et rursus aliae, tantum non in immensum et infinitum. Iam remota ambiguitate et confusione illa monstrosa, positisque molestiis et aerumnis certis, nempe illis modo et alias toties enumeratis, die aperte, si quod hominis, humanique sensus ac rationis vel vestigium habeas, non [p. 266] licere homini ob eas vitam finire: **rl)** quia vita est conservanda, dum conservari nequit, sed brevi turpiter misereque est perdenda: **rm)** item quia homo a Deo ita est factus, ut se ipso nihil habeat carius; ut quaecumque bona sibi videntur acquirere, mala autem omnia a se repellere et amoliri quam maxime nitatur. **rn)** [p. 267] (Vel hinc manifeste consequitur, mortem voluntariam, in gravissimis praesertim malis, naturae hominis, a Deo conditae, exactissime congruere, adeoque licitam saltem permissamque esse.) **ro)** Item quia homo est socialis, et quid ad placidam cum aliis hominibus societatem colendam necessario conductus est iustum; et contra. Atqui nec innocens perpessio eorum, quae dixi, malorum conductus necessario ad placidam societatem; nec prudens fuga eorundem per mortem voluntariam turbat et dissolvit societatem. **rp)** Vel [p. 268] quam? Cum tyrannis, tortoribus et raptoribus? Nulla nobis cum illis societas, praesertim ea, qua adstringamus ad eorum abominandis sceleribus serviendum, cum ingenti dedecore, damno ac cruciatu. Et quae sunt ferae bestiae, si isti sunt ingenio, animo, moribus homines? **rq)** Rursus quae ista, humana scilicet, placida, aequa, publice privatimque salutaris societas, cuius lex prima ac suprema sit, eaque tamquam iusti, aut iustitiae, talia pati potius quam sponte mori? **rr)** Ne asinina quidem et leonina est. Miserum asinum, venationis socium, leo discerpsit quidem; sed non diu [p. 269] torsit, non contumeliis affecit, non cum dedecore et traductione vita exegit, non calamitate socii laetus est. Quod si asinus potuisse ac voluisse se ipsum interimere, utique id sivisset, ac maluisset etiam leo. Certe nullum inde maius in ipsum societatemque redundasset damnum. **rs)** Quod si vero ex morte voluntaria [p. 270] paucorum hominum insigne detrimentum caperet societas humana; quantum ergo et irreparabile ex cotidianis et continuis fere mortibus aliorum omnium? **rt)** Necessus esset brevi exspirare, immo iam olim, et inde ab initio exspirasse societatem, tot cotidie, et alias conferam et acervatim, per varios vitae casus, famem, pestem, inundationes, bella, tyrannides, pereuntibus hominibus. **rv)** Quid? quod non tam paucitas, quam multitudine hominum gravissime nocet nocuitque, et sibi, et aliis, societatiq[ue] adeo humanae. **rx)** Nam ne dicam [p. 271] de tanta ubique turba hominum inutilium, malorum, noxiiorum; neque de tot seditionibus ac bellis civilibus, eo atrocioribus, quo plures cives et potentior populus: ingens illa multitudine Persarum, praesertim Xerxe rege, nocuit primum Graecis, deinde et magis ipsa sibi, breve universa misere interiit. Idem post magna Romanis damna illata contigit multitudini Gallorum, duce Brenno, et postea maiori etiam colluvioni Cimbrorum sociorumque. Multitudo vero Hunnorum, Gothorum, Vandalorum, Francorum, aliorumque, deinde Saracenorum, Tartarorum, Turcarum, totum imperium Rom. vel absorbuit, vel ut in tot partes ac particulas dispergeretur, effecit. **ry)** Inter ipsa capita et membra societatum Christianarum maior esset concordia, et riora bella, si minor esset hominum numerus. **rz)** Fiducia copiarum facile [p. 272] ob levissimas quandoque causas prosliliunt ad bella et tot milium strages, tamquam ad ludos et iocos. Quemadmodum princeps Condaeus amissis uno impetu oppugnationis castrorum quattuor fere milibus, Bellae nugae, inquit; est res unius noctis Parisiensis.<sup>67</sup> Vide mihi societatem, et eius usum, in quem Deus vitam dedit dicitur. **sa)** Hic cogita etiam munera et spectacula [p. 273] Romanorum, et vide Lips. Saturn. Scio, inquit, nullum bellum tantam cladem vastitiemque humano generi intulisse, quam hos ad voluptatem, ludos. Numerum dierum hominumque recense, mentior, si non unus aliquis mensis Europae stetit vicenis capitum milibus, aut

tricens. **sb)**

<sup>67</sup> ce n'est qu'une nuit de Paris

[p. 274] Quod si vero putes solam mortem voluntariam nocere societati; ut igitur aboleatur, nolintque adeo homines sponte mori, fac, si potes, tuo praecepto absoluto, ut societas sit placida, aut vere humana saltem: fac, ut fundamenta societatis, prudentia, virtus, amor et custodia partium, maneant inconcussa: fac, ut homines quoque permaneant semper in eo statu, in quo possint honeste, utiliter aut tolerabiliter saltem, servire societati. **sc**) Si non potes; frustra litigas de una voce: frustra garris de ambigua, vaga, confusa quadam societate, clamisque iniuriam ei fieri, cum nulla fiat: quia vel societas illa, in qua quisque vivit, non est talis ut singuli debeant; vel homines non sunt tales ut possint, efiamsi vellent, ei inservire ac prodesse. **sd**) Repeto illud [p. 275] Senecae: Hoc ab homine exigitur ut prosit hominibus, si fieri potest, multis; sin minus, paucis; si minus, proximis; si minus, sibi. **se**) Adde quod stultissimum utique sit ingenti damno ac tormento suo perexiguum aliquem, et vix notabilem usum aliis, qui facilime [p. 275] eo carere possunt, praestare velle. **sf**) Sed quis, tui usus aliis et societati, quam crepas, si delires, si sis insanus et furiosus, si incurabili morbo corporis, et forte animi quoque labores, si a tyrannis domesticis, si ab hostibus externis immaniter torquearis? **sg**) Quid si pauper tantum et decrepitus, non nisi aliena ope misere vivere possis, proximis etiam et necessariis gravis ac invisus? **sh**) Inter epitaphia varia ex antiquitate collecta a Georg. Fabricio legitur hoc: Mitrius Pius dives, iam hebes, decrepitus et mendicans, luce carens, a tribus liberis et duabus libertabus expulsus, siti perii. **si**) Et in universum Iuven. Sat. 10.

[p. 277] frangendus misero gingiva panis inermi.

usque adeo gravis uxori, natusque, sibique,  
ut captatori moveat fastidia Cocco.<sup>68</sup> **sk**)

En denuo societatis usum, ob quem vivendum! **sl**) Iam vel ex duobus illis generibus hominum, a crimen αὐτοχειρίας Gentzenio aliisque immunium, facile esset ostendere, quomodo novi isti doctores iusti, vel iustitia, dum praeceptis suis volunt implicare et ligare alios, ipsi se insolubilibus vinculis constringant; aut texant aranearum telas, quas pro libidine perrumpant; solvant et eximant, quos voluerint. **sm**) Qui enim [p. 278] ulla ratione, ulloque consilio inserviendi aliis, ullo denique iusu imperantis fiet eritque iustum quicquam, quod ex se est iniustum, nefas, turpe: utpote directe repugnans praecepto iusti de conservanda semper, et omnibus vita, repugnans dominio et potestati divinae in vitam, atque coniunctum cum iniuria in Deum et societatem? **sn**)

Nunc ad *Rachelium* revertamur. Is ut firmum scilicet demonstrationibus suis supponat fundamentum, et αὐτοχειρίαν non esse fortitudinem (ac si id praecipue, [p. 279] aut hic magis **so**) quam circa licitam necem aliorum, quam circa mutilationem membrorum, quam circa iacturam, fugam, aliaque necessitate expressa quaereretur) ostendat:

1. Desribit fortitudinem, et partitur.
2. Repetitis et descriptis ex aliquo Lexico vel Etymologico variis, quas habet αὐτόχειρ et αὐτοχειρία significationibus enarrat, quibus modis soliti essent prisci finem vitae sponge imponere.
3. Provocat ad auctoritatem Aristotelis, quem magistrum suum vocat, et velut ducem, quem sequatur. Dicit vero magister ille 3. Nicom. 7. Mori autem fugientem, vel paupertatem, vel amorem, vel aegritudinem aliquam, non est viri fortis, sed ignavi potius. Mollis enim animi est fugere res laboriosas. “ Hic primum, aperte et diserte, non mors, sed fuga damnatur. Si quid in honesti vel indecori adhaeret morti; id totum est ex fuga, et ob eam. Itaque primum, ut dixi, iuxta magistrum Aristot. turpis est omnis fuga: [p. 280] quod est utique falsum. **sp**) Deinde idem ille magister Nicom. 3, 1. fatetur, contingere etiam res quae humanam superant naturam: et qui iis compulsi agunt, venia; aliquos etiam laude dignos esse. **sq**) Et 2, 2. ait quae in actionibus versantur, quaeque huc aliquid conferunt, nihil firmitatis et constantiae habere, quemadmodum neque res salubres. Itaque oportere occasionem et conditionem rerum praesentium intueri. Rursus [p. 281] de fortitudine disserens ait virum fortē esse quidem impavidum, sed ut hominem. Idem ubi de mediocritate sua ait fortē audaci comparatum, esse timidum. Et alibi ait audaci terribilia non videri talia. Denique Aristoteli

<sup>68</sup> Iuv. 10, 200–202.

mors dicitur omnium terribilium terribilissimum. Itaque fortissimos quoque ipsi esse necesse est, quicunque morte spreta sponte occumbunt. **sr**)

4. Enumerat causas quasdam αὐτοχειρίας, et Aristotelis illis varias addit, aliunde notas satis. Omisit vero, si recte memini, causarum paene honestissimam ac clarissimam, **ss**) eam puta, quae Democlem permovit, [p. 282] ut in bullientem aquam insiliret. **st**) Hippo vero femina in mare se abiecit, ut morte pudicitiam tueretur. **sv**) Malloniam delatoribus obiecit Tiberius, ac ne ream quidem interpellare desiit, Ecquid paeniteret, [p. 283] donec ea relicto iudicio domum se abripuit, ferroque transegit. Suet. Tiber. c. 45. **st**)

Obiter observa. Tiberium iam insanabilem, gravissime increpitum et laceratum, monuit Artabanus **sv**) ut voluntaria morte maximo iustissimoque civium odio quam primum satisfaceret, simulque tot sceleribus finem imponeret. Suet. c. 66. ubi mox addit principium alicuius epistolae, qua semet ipse pertaesus tantum non [p. 284] summam malorum professus est. Quid scribam vobis, P. C., aut quomodo scribam, aut quid non scribam hoc tempore, Dii me Deaeque peius perdant, quam cotidie perire sentio, si scio.

Observa etiam ex Aristot. Nicom. 7, 5. iras et Venerearum rerum cupiditates, et nonnullas eiusmodi animi perturbationes furores hominibus immittere. De his vero ita affectis stultum est quaerere, utrum sint fortes an ignavi: quamvis iuxta ea, quae supra annotavimus ex Aristotele, iram quoque et furem fortitudini suae immiscente, dicendum videtur, eos esse Aristotelice fortes. **sx**)

5. Iстis iactis velut fundamentis ad demonstrandum procedit Rachelius: et en geminam eius demonstrationem!

1. Quicunque non potest sustinere molesta, is non est fortis, sed ignavus potius et mollis: ast qui fugiens paupertatem et amorem se iugulat, non potest sustinere molesta: ergo...

[p. 285] 2. Qui mortem intrepide quidem adeunt, non tamen honesti finis gratia, ii neutiquam sunt fortes: atqui... ergo...

Possimus hic omni respondendi opera supersedere: **sy**) preesertim quia tot nugae, fallacie, confusiones monstrousae omnis generis et gradus molestiarum, ad haec a rebus et quaestionibus propositis, et mox a Rachelio ipso proponenda quaestione aberrationes et deliramenta detecta sunt superius, singulatim circa fortitudinem et magnitudinem animi Augustinianam. Sufficit autem nunc duabus mollibus et ignavis, ut ita dicam, syllogismis, Rachelio et magistro eius exacte similibus ac convenientibus, unum fortem firmumque opponere.

Quicunque nimis amat vitam hanc fragilem, brevem, incertam, miseram; et timet fugitque mortem, in tot tantisque calamitatibus, partim intolerabilibus, partim cum turpitudine coniunctis, utilem saepe ac necessariam: is est mollis et ignavus, insuperque insipiens, stolidus, et totus vitiosus, vel in eo animi habitu qui ipsum ad quaecumque vitia impellat, in iisque detineat:

[p. 286] Ast qui turpem captivitatem, servitutem, paupertatem, amorem, stupra, contumelias, tormenta eligit pati potius, quam sponte, facile honesteque mori; is nimis amat vitam hanc, timet fugitque mortem:

Ergo is est mollis et ignavus, insipiens quoque et stolidus, totusque vitiosus. Atqui rursus is talis nullum honestum finem sibi propositum habet, nec potest habere: vel quem? Ipsumne pati ea quae dixi, nimio amore vitae, et timore mortis? Hac ratione et fine fortes, et vel fortissimi erunt ignavissimi quique, et tota illa ingens abiectissima ac miserrima plebecula. **sz**)

[p. 287] Ceterum Rachelius post longas, inutiles et sibi noxias ambages, **ta**) incipit demum rem tangere proposita quaestione, *An in nulla causa mortem sibi quis consciiscere debeat, aut iure possit.* Et respondens, Nos, inquit, confidenter asserimus, in nulla id fieri debere, [p. 288] aut iure posse. **tb**)

En vero confidentis assertionis solidum scilicet fundamentum, quod totum est assertio confidentior priori. *Omnis enim*, ait, *av̄toχειρία, ex quacumque, etiam causa profecta, et legi divinae adversatur, et rectae rationi.* Id demonstra, et fatebor te esse magnum, immo omnium maximum demonstratorem, aut demonstrandi artificem. **tc)**

[p. 289] Quod vero aduersetur legi divinae, non demonstrat, **td)** sed sibi sumit, vel ut tirunculus quidam recitat ac repetit ex Lactantio et Augustino: quorum absurdas, Deo probrosas, omnium gentium, sapientium ac bonorum virorum, etiam Iudaeorum et Christianorum priscorum consensui contrarias, hominibus perniciosas, ideoque exceptiones quasdam fingentium, interpretationes [p. 290] supra passim reiecamus. **te)** Deinde si existet lex divina mortem voluntariam ex quacumque causa profectam vetans ac damnans; quid opus est vel dictatis, vel interpretationibus Lactantii, Augustini, aliorumve? **tf)** Profer ipsa verba legis: et protinus res tota confecta est. Si non profers, nec proferre potes, quia nulla sunt talia; protinus mentitur et fallit tua demonstratio. **tg)** Promisisti enim demonstrationem [p. 291] ex lege divina: mox vero eius loco subdole ponis quasi legem, vel verba et opiniones duorum dumtaxat hominum. **th)** Praeterea lex illa divina, de qua loqueris, duobus fere milibus annorum ante Lactantium et Augustinum promulgata fuit: qui ergo factum, ut ab illis solis, vel primis sit recte intellecta explicataque, et singulatim duo illa toties repetita verba, Non occides, quae pueri etiam et tirones omnes intellegunt? **ti)** Quid vero si Lactantius et Augustinus tam [p. 292] sero nati, numquam nati fuissent. **tk)** Supervacaneum est plura nunc addere, nisi forte illud Ambrosii in Psalm. 118. ubi locutus de Iudeorum zelo quidem et timore Dei, sed non secundum sciendam, Et quid, ait, de Iudeis dico? Sunt etiam in nobis qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere. „ **tl)** Sunt vero talia praecepta, ut [p. 293] initio dixi, phantastica et enthusiastica, quae solos auctores suos, eorumque credulos et superstitionis discipulos ac sectatores obligant. **tm)** Profecto in tanta re [p. 294] nemo prudentior et gravior nisi soli Deo, claris ac disertis verbis edicenti, credit. Alias quoque credulitas graviter nocet, hic vero grauissime: immo est impia et pessimi exempli, quia re ipsa Deo exaequat homines, eorumque opiniones ac suspiciones pro divinis habet decretis et iussis. **tn)**

Sequitur secunda demonstratio, vel demonstrationis universae pars secunda. Pugnare item, inquit Rachelius, αὐτοχειρίαν (intellege semper εὑλογὸν ἐξαγωγὴν) **to)** cum recta ratione, multi cum veteres, tum recentiores, sacri ac profani scriptores agnovere. Iam, addit, antiquissimis temporibus Pythagoras vetuit iniussu imperatoris de praesidio et statione vitae discedere. „ Hac de re statim ab initio satis dictum, atque hoc aliisque exemplis clarissime monstratum, adversarios nugari, decipi, decipere, mentiri, calumniari, demum paene delirare ac insanire; adeoque indignissimos esse, quibus verba quaedam, testimonia, exempla veterum allegantibus [p. 296] credatur et respondeatur. **tp)** Addo tamen, vel itero, Pythagoram de discessu ἀλόγῳ, sive de morte temere, sine gravi ac necessaria causa arrepta locutum fuisse: uti liquet vel ex Pythagorae ipsius exemplo. Mors quidem eius varie refertur: sed plurium graviorumque auctorū fide niti, philosophoque longe convenientius mortis genus videtur, eum inedia finitum. Vide Laërt. et quae ad eum annotarunt Aldobr. et Menagius. **tq)** **Cumprimis** ridiculum est commentum quo [p. 297] fertur Pythagoras fugiens, cum ad locum quandam fabis consitum venisset, constitisse ac dixisse: Capi praestat quam conculcare; interfici vero melius, quam loqui: atque ita a consequentibus fuisse occisus, Credi, quamvis aegre posset, si fatuae et supra modum superstitionis anus mors referretur: de Pythagora vero qui potest? **tr)** Sed credamus, atque id etiam, Pythagoram [p. 298] intellexisse discessum e statione Rachelii aliorumque sensu; quae est hic deliri et superstitionissimi hominis auctoritas. **ts)** Denuo nulla est hic Pythagorae et sectatorum eius omnium auctoritas, si vera sint, quae de illis ex Clearcho refert Athenaeus l. 4. nempe animas corpori et huic vitae in poenam alligatas esse; Deum edixisse (ubi? quando? quis audivit?) nisi in his *donec ipse volens eas solverit*, permanerint, maiores gravioresque calamitates esse passuras. „ **tt)** Ubi id quoque, et quomodo? si animae migrant [p. 299]. Putemus ex corpore impii et gravissime torquendi, in avem quandam, alaudam, lusciniam, migrare animam. **tv)** Deinde animae, saltem innocentiae, piae, iustae, sanctae, quae per vim et crudelitatem hostium ac tyrannorum exturbantur, et velut exprimuntur aut extorquentur; non solvuntur, Deo volente. Itaque non Dei voluntati, sed impiorum hominum insaniae ac furori repugnant, qui animas suas leniori modo solvunt ac educunt: **tx)** Denique Pythagoras vetuit

[p. 300] tamquam grande nefas, immo tamquam Cyclopicum et beluinum, lupis, ursis, tigribus et leonibus proprium, animantes quoque occidere, mactare et comedere, ipsis religiosis hic adversariis spernentibus ac ridentibus, intrepideque vorantibus. **cy)**

Post Pythagoram stolidi adducit Rachelius ex Phaedone orationem Socratis, quam sibi adversari paulo poft fatetur, et Ex his, inquit, appetet Socratem in genere quidem de αὐτοχειρίᾳ recte sensisse (et quis non sensit?) exceperisse tamen casus quosdam. „**tz)** Atqui non [p. 300] de αὐτοχειρίᾳ, sive nece sui, uti nec aliorum, in genere; sed in quibusdam tantum casibus, et ex quibusdam causis, id est de εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ, est quaestio. Quaeritur, inquam, non utrum cuique, et semper, et ex quacumque causa liceat temere se occidere; sed [p. 302] an nulli, et numquam, nullaque ex causa, nulloque in casu cum ratione se educere. Posterius hoc est Rachelio demonstrandum, vel iuxta superiorem suam quaestionem, et confidentem assertionem. **va)** Isti vero, unus Pythagoras et Socrates, iique etiam adversi, **vb)** [p. 303] sunt omnes illi veteres, quos tamquam opinionis suae patronos allegare potuit temerarius assertor, et futilis, si quis, demonstrator. **vc)**

Barthius in Notis ad Zachar. Mityl. alia quaedam corrasit, sed minori quam Rachelius iudicio et fide. Nam allegat in suam sententiam M. Antoninum, Epictetum et Ciceronem, quos constat probare mortem voluntariam in iis, quos exceperimus, casibus. Vel haec sola stultitia aut impudentia iusti instar argumenti est contra Barthium; sufficitque ad eum tamquam insignem hic calumniatorem protinus repellendum, ac ne audiendum quidem. **vd)** Sed audiamus. Allegat [p. 304] quoque Heliodorum dicentem, se persuasum a theologis, non educere se e vita, sed subducere (si Graeca recte capio) e patria, vel a matre, et fugere domus solitudinem: ὑπεξάγω δὲ τῆς ἐνεγκούσης, καὶ τὴν ἐρημίαν τῆς οἰκίας ἀποδιδράσκω. Bone Deus! quale istud et quam grave testimonium ac decretum contra omnem mortem voluntariam: ac si per eam non licaret umquam ad veram illam et communem patriam ac domum evolare, atque fugere mortem crudelem, aliaque saepe dicta; cum licuerit Heliodoro, vel illi quem inducit loquentem, domus tantum solitudinem fugere. Deinde ait Heliodorus se haec dicere persuasum a theologis, nempe exteris, ut puto, sive profanis, id est graphicis nugatoribus ipsis, ac interpretibus fabularum. **ve)** Post [p. 305] allegantur a Barthio Zoroaster et Psellus, dicentes, Non educ; ne exiens (anima) habeat quid. Item Non est fas, inquit Psellus, seipsum occidere, antequam Deus necessitatem immiserit. Melior enim haec mors... Eiusdem sententiae videtur hoc Apuleii: Sapiens corpus non relinquet invito. Utrumque recte, et nostrae sententiae convenienter. Nempe fas esse corpus aliquando relinquere, et animam educere; sed non antequam Deus vult, et necessitatem aliquam immittit, eaque voluntatem suam significat. **vf)** Egregie Epictetus [p. 306]: Militia est cuiusque vita, et diurna quidem et varia. Observare decet militis oboedientiam, et quae imperator iusserit facere omnia: etiam coniectura quid velit colligere. Huc revoca ex eodem alibi excerpta. **vg)** Tullii quoque verbis diximus: **Cum** iustum causam Deus ipse dederit, ut quondam Socrati et Catoni, saepe multis: **ne** medius fidius vir sapiens ex his tenebris in illam lucem excesserit. Alioquin stolidissimum utique esset dicere, eos omnes se occidere, vel occidisse; idque iure, idque volente Deo, aut eo non invito, quos naturalis vel violenta mors ab aliis illata rapuit: si id quidem per voluntatem Dei, et necessitatem ab eo immissam intellexerint Apuleius et Psellus. **vh)** Post hos ineptissime adducit Barthius [p. 307] Hieroclem et Euxitheum quendam, atque Desperationem, ait, inanem talium hominum pulchre demonstrat Hierocles in Aur. Carm. Metu enim ultionis scelerum cupiunt morte abolere animam, sed in altiora sese mala praecipitant. Hic nobis fabulosos poëtarum inferos, indices et iudicia recantat. Sed nihil ad nos desperantes illi, et sceleratam animam morte abolere cupientes: non magis quam ad Barthium ii, qui male sperant, et impie vivere perseverant, sceleratasque animas, quamdiu possunt umquam, retinent ac conservant. **vi)** Quae porro ex Phavorino, vel Theodoro [p. 308] quodam Cytheraeo afferuntur a Barthio, convenienti iis quae ex Alex. Aphrodis. Stoicis obiectat Rachelius: quibus inferius respondebitur. Interim et in universum, ut supra quoque indicavimus, si qui philosophorum, aut aliorum etiam, mortem voluntariam verbis nonnullis quandoque minus probasse videri possint; ii vel ambiguis, ineptis, vanis, infirmis, aut singularibus (quae, si quid, contra solum sapientem Stoicum, qui vix reperitur, valent) argumentis usi sunt: vel sibi suaequae sententiae de fine et summo bono, quo officia omnia referenda, repugnarunt: vel de morte inconsulta, intempestiva, praecipi, iniusta sunt locuti: vel demum iuvenes quidam fuerunt sine experientia, ct gravi maturoque

iudicio. **vk**) Certe Brutus instante pugna Philippensi rogatus a Cassio, quid ipsi de fuga [p. 309] et morte esset sententiae, respondit: Iuvenis ego, Cassi, **etiamnum**, rerumque imperitus, nescio qua ductus philosophica ratione, magnopere damnavi Catonem.... Nunc fortuna sententiam meam ut mutarem effecit: et si institutum nostrum Deus non secundet, non existimo novas mihi spes experiendas, bellumve reparandum, sed moriar. et ita fecit **vl**)

Nunc denuo ad Rachelium, qui post ea quae male dixerat de Pythagora et Socrate, nunc tamquam ex sana ratione et lege naturae adducit brutum illud, vel ex brutis quasi invitis et repugnantibus coactum argumentum, **vm**) et alterum ex saevitia in innocentem [p. 310]: **vn**) quae dudum excussimus ac explosimus. Sequitur Maecenatis votum, de quo itidem suo loco. **vo**)

Sed quid nunc dicam quod confidentissime mentiatur consensum omnium gentium: Hebraeorum, - Graecorum, Romanorum, Indorum, aliorumque? Hos omnes damnasse ait ἀὐτοχειρίαν, nisi quod, ut Socrates, casus nonnullos exceperint. **vp**) Atqui, ut [p. 311] constat, et toties indicatum est, ex illis casibus tota lis pendet, et summa rei. Agitur enim de officio peristatico, non de eo quod sit ἄνευ περιστάσεως. Qui confidenter asseruit, nullo in casu, nullaque ex causa licere mortem sibi consciscere, dissentientes utique, non consentientes habet omnes populos, qui nonnullos casus exceperunt, et causas. **vq**)

Puta quemquam confidenter asserere, numquam, nec ulla ex causa, ulloque in casu licere alium occidere, [p. 312] bellum gerere, periculo mortis se offerre: quia omnium gentium, saltem cultiorum ac moderationum, consensu vetitum ac damnatum, ista facere temere, male, sine iustis ac necessariis causis; vel non nisi in casibus nonnullis exceptis: quis non diceret eum esse animal rationis expers, immo stipitem et fungum? **vr**) Ut res manifeste pateat, demonstrationem Rachelii paucis complectamur. Quidquid omnium gentium consensu ita damnatum est, ut nonnullos casus causasque exceperint, id nullo in casu, nullaque ex causa licet: atqui ... ergo ... Hoccine est demonstrare, an delirare potius, et insania laborare, quam tota vix eluerit Anticyra? **vs**)

Porro ex philosophis variarum gentium optime indicatur de consensu vel dissensu gentium ipsarum. Certe si de veritate et officio, praesertim peristatico, disceptacur, potior est paucorum etiam philosophorum, quam omnis vulgi et ei dominantium auctoritas [p. 313]. **vt**) Philosophi autem omnes, fatente Rachelio ipso, et prolixe, ac sibi saltem superflue, immo perniciose (tanta est denuo, et vix credibilis hominis istius, vel dementia, vel neglegentia, aut impudentia etiam) testimonia allegante, mortem voluntariam variis ex causis; complures etiam exemplis suis et factis ipsis probarunt. **vv**) De sapientibus Indorum, **vx**) et nominatim Calano **vy**) et Zarmanochega; **vz**) item de Pythagora **xa**) et sectatoribus, Charonda **xb**) et Empedocle [p. 314] **xc**) saris dictum. Praeceptorem vero Pythagorae Pherecydem quidam apud Laërt. l. 1. dicunt ex Colycio monte se praecepitasse. Alii quidem referunt morbo pediculari absumptum: sed verisimile est, eum in hoc ipso morbo inedia se confecisse, vel aliter certum sibi vivendi finem fecisse. Id clare satis colligi videtur ex epistula ipsius Pherecydis ad Thaletem. Morbo magis magisque invalescente, neque medicorum quemquam, neque amicorum admisi... eisque praedixi, ut postridie ad Pherecydis exsequias convenienter. **xd**) Aliud mortis, et quidem, ut suspicari licet, voluntariae genus refert ex Hermippo Laërtius, qui l. 2. Anaxagoram quoque seipsum eduxisse vita tradit. **xe**) Idem narrat Stilponem obissem senem hausto vino, ut citius moreretur: **xf**) item Menedemum falsis criminationibus subiectum, cum pree tristitia septem diebus cibo abstinisset, e vita migrasse. **xg**) Rursus l. 4. de Speusippo [p. 315]: Iam vero corpore erat ob paralysin confecto... Ferunt eum cum in Academiam plaustro veheretur, Diogeni occurrisse, eique dixisse, Salve; illum vera respondisse, Tu vero minime, qui cum sis talis, vivere tamen potes. Ad extremum aetate confectus pree animi tristitia volens vitam cum morte commutavit. **xh**) Carneadem, quia a morte aversior erat, indoctum fuisse, nihilque vidisse ait, ibidem referens Antipatrum veneno hausto mortuum. **xi**) De Antisthene l. 6. scribit: Videbatur vitae cupiditate, nescio quo pacto, morbum mollius ferre. Cum enim clamasset, quis me laboribus eripiet? Diogenes pugionem ostendens, Hic, inquit. **tum ille**, Laboribus, non vita. **xk**) Bene, si [p. 316] seiungi possint. Diogenis autem ipsius mors varie refertur. Aldobrandinus ad Laërt. l. 6. ex Hieronymo annotat, eum febre correptum, per noctem eliso gutture, non tam se mori dixisse, quam febrem morte excludere. **xl**) Atque ita fere mortui sunt

Metrocles **xm**) et Menippus. **xn**) Clitomachus vero cum in veterum incidisset, ubi evigilavit, Nihil me, inquit, fallet amor vitae: seque ipsum vita eduxit. **xo**) Et Erasistratus Chius iam grandaevus ulcus in pede immedicable cum haberet, Bene habet, inquit, quod patriae memoria refricatur: et cicutam cum bibisset, diem [p. 317] obiit, ex Stobaeo Serm. 7. de Fortit. **xp**) Porro de consensu Socratis et Platonis constat satis ex superioribus. **xq**) Hic vero fatetur Rachelius Platonicos statuisse quinque **cumprimis** casus et causas, ex quibus licuerit se educere. **xr**) Idem supra ubi de fortitudine Aristotelica, adducit Gifanum [p. 318], qui diserte negat, Aristotelem ignaviae damnasse omnes qui se necant, sed cum Platone exceperit eos, qui civitatis iudicio et tristi ac inevitabili fortunae casu coacti, atque pudore aliquo extremo compulsi mortem sibi inferant. **xs**) Aristotelem autem ipsum impietatis accusatum Athenis, cum Chalcidem fugisset, hausto veneno mortuum Laërtius ex Eumelo tradit. Ita quoque auctor anonymous vitae Aristotelis apud Menag. in l. 5. Laërt. **xt**) Callisthenem quoque, discipulum et cognatum Aristotelis veneno tandem vitam miserrimam finisse commemorat Iustinus l. 15. c. 3. ubi de Lysimacho, qui quoniam venenum dederat, iussu Alexandri [p. 319] obiectus fuit leoni. **xv**) Porro etiam quid hic Cyrenaici, et speciatim Hegesiaci; **xx**) tum Epicurei, [p. 320] **xy**) Cynici, **xz**) Stoici **ya**) senserint, notum est. Post istos universos superfluum est appellare singulos: Democritum, Zenonem, Cleanthem, Senecam, Epictetum, M. Antoninum, Ciceronem, Plutarchum. His addit Rachelius veteris iuris Rom. philosophos, ut vocat: Ulpianum, Marcianum, Paulum. **yb**) Ex his vero ipsis confirmatur sententia nostra, et singulatim [p. 321] argumentum X. Nempe Dogma de morte voluntaria in nonnullis casibus generali et perpetuo populorum antiquorum, et apud illos philosophorum consensu approbatur: itaque pro vero habendum, donec non solum dissensu aliquo, sed firmis etiam rationibus demonstretur contrarium. **yc**) Ex iisdem clare elucet et redarguitur stulta impudentia asserentium, sententiam hanc fuisse plerisque omnibus sapientibus priscis damnatam, atque solis fere Stoicis probatam ac defensam. **yd**)

Haec est totius disputationis Racheliana summa, ac velut medulla. Quae sequuntur, singulares sunt cavillationes [p. 322], sophismata et calumniae, **ye**) quibus soli Stoici et quaedam eorum sententiae oppugnantur, haec praecipue: Virtutem solam efficere vitam beatam: sive, ut loquitur, facunde explicat, et firme demonstrat Cicero toto libro quinto T. Q. Ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam. Inde colliges sententiam hanc ita fuisse propriam Stoicis, ut fuerit etiam, vel esse debuerit communis omnium aliorum, si vera sunt quae dixerant ipsi de singulari praestantia et viribus virtutis, ceterorum autem quae bona vocabant vilitate ac imbecillitate. Sed non est nunc necesse sententiam Stoicam pluribus explicare et defendere: audiamus Alex. Aphrodisiensis syllogismum, quo superbissime triumphat, Stoicisque tamquam sine resurgendi spe omni prostratis insultat Rachelius.

Quaecumque vita sponte deseritur, ea non est beata:

Atqui vita cum virtute coniuncta sponte deseritur:

Ergo vita cum virtute coniuncta (hic, si bene memini, addit, eique soli innixa) non est beata.

Fuerit verum: quid inde? an id quod nunc quaeritur, et Rachelio est demonstrandum, omnem mortem voluntariam esse illicitam, malam, turpem, dishonestam. **yf**) Prioribus Rachelii demonstrationibus exacte similis, eiusque ingenio et iudicio digna est haec:

[p. 323] Vita cum virtute coniuncta non est beata: ergo omnis mors voluntaria est mala, nefaria, repugnans et legi divinae, et rationi, et consensioni omnium gentium.

Vel asinus effuse rideret eiusmodi demonstrationem, si intellegereret. **yg**) Sed caput, dixeris, et fundamentum totius fere doctrinae moralis Stoicorum est, Vitam cum virtute coniunctam esse beatam. Huic vero directe repugnat voluntaria mors, qua vita illa deseritur. Contrarium demonstravi supra Argum. V. nunc obiter respondeo, effatum istud, Vita cum virtute coniuncta est beata, praesertim pro Rachelii, Aphrodisiensis et Peripateticorum omnium sensu, non magis est Stoicum, quam hoc: Caro, sanguis, venter, denique corpus totum cum virtute coniunctum est beatum. **yh**) Dixi supra vitam [p. 324] M. Antonino esse reciprocationem aeris; alias et aliis discursum sanguinis per arterias et venas; Scripturae ipsi vaporem modicum, aut modico tempore apparentem. **yi**) Iam explicantes vitam, repetamus Rachelii et Aphrodisiensis syllogismum:

Quaecumque reciprocatio aeris, discursus sanguinis, et vapor sponte deseritur, is non est beatus: ast reciprocatio aeris, discursus sanguinis et vapor cum virtute coniunctus, sponte deseritur: ergo. **yk**)

Ceterum vitam Stoice beatam varie, sed eadem sententia, describit Seneca libro singulari, huic rei dicato et inscripto. Est autem vita conveniens naturae suae: quae non aliter contingere potest, quam si primum sana mens est, et in perpetua possessione sanitatis suae: deinde si fortis, patiens, apta temporibus, corporis sui pertinentiumque ad id curiosa, non anxie tamen. Est id quod alias summum bonum vocatur, atque animus [p. 325] fortuita despiciens, virtute laetus; est invicta vis animi, perita rerum etc. **yl**) Iam explicantes quoque vitam Stoice beatam, repetamus denuo syllogismum Rachelii:

Quaecumque mens sana, perita rerum, fortis, patiens, sponte deseritur; ea non est beata: Atqui mens illa sponte deseritur: ergo. **ym**)

Quid? quod ne iuxta Aristotelem quidem vita beata est ea quae vel sponte, vel invite deseritur, aut necessario [p. 326]; sed est opus aliquod hominis, energia animi, et actio virtutis. **yn**) Huic vero vitae adeo non repugnat mors illa de qua agitur, id est εὖλογος ἐξαγωγὴ, ut sit ultimum opus, energia, actio, coronis vitae beatae, quae hic degitur. **yo**) Huc revoca verba Cleomenis regis: Mors spontanea actio esse debet. **yp**) Et Lycurgus abstinentia [p. 327] cibi vitam finivit: quod existimaret, hominis in rep. versati mortem quoque ipsam ad illius utilitatem debere pertinere, neque otiose eam, sed cum virtutis aliqua actione obeundam. Plut. in Lycurr. **yq**) Contra ea Marcus Aquilius, quia cum gloriose posset extingui, Mithridati turpiter servire maluit, commisit, ut privatum opprobrium, publicus rubor exsisteret. Val. Max. 9, 13. De cupid. vitae: **yr**) ubi mox Cn. Quoque Carbo magnae verecundiae esse Latinis annalibus dicitur. **ys**)

[p. 328] Porro observat Epictetus, et Diss. 3, 14. ait: Τῶν πραττομένων τὰ μὲν προηγουμένως πράττεται, τὰ δὲ κατὰ περίστασιν [...]<sup>69</sup>. Et Heinsius ad Max. Tyr. Diss. 20 notat περίστασιν Platonicis esse χρῆσιν οὐκ ἀνθαίρετον τῷ ἔχοντι. Inde officia toties in superioribus **yt**) indicata, ex quibus est εὖλογος ἐξαγωγὴ, dicta sunt περιστατικά. Iam vero vita [p. 329] beata constat utique omnibus officiis, cunctisque adeo quae secundum rationem et virtutem aguntur, sive προηγουμένως, sive κατὰ περίστασιν. **yv**) Sin secus; aliqua officia, aliquaeque actiones virtutis excludentur a vita beata, aut certe a virtute ipsa: quod est omnium absurdorum paene absurdissimum. Nam idem est ac si diceres: aliquam virtutem non esse virtutem, nec officium esse officium, nec actionem virtutis, personis, rebus ac temporibus convenientem, esse talem actionem virtutis. Quod sit ultima, et finis vitae mortalis, alias quoque brevi finiendae, nihil refert. **yx**)

Ceterum ex ipso Aphrodisiensis syllogismo appareat, Peripateticos veteres, vel vi doctrinae suae de felicitate, aut vita beata coactos, probasse mortem voluntariam, tamquam ei convenientem: secus ac, ut ipsi volebant, doctrinae Stoicorum de uno bono honesto, vel de felicitate in sola virtute reposita. **yy**) Sed isti boni viri ne [p. 330] Aristotelis quidem sui semper, nedum Stoicorum sententiam recte intellegebant, aut intelligentes altercandi studio dissimulabant ac detorquebant. **yz**) Stoici vocibus, Una et Sola, nempe virtute, non excludebant necessaria ad vitam animalem qualecumque, malam quoque et miseram; sed tot alia bona, ut ita dicam, nominalia Peripateticorum et Epicureorum: pulchritudinem, robur, sanitatem corporis, integritatem omnium sensuum et membrorum, divitias, honores, dignitates, voluptates proprie dictas. **za**) His bonis deficientibus, ablatis et amissis, licet iuxta Stoicos esse cuique beato: modo mens sit fana, integra, pulchra, viribus suis pollens, opulenta, praeclera, laeta ac sese contenta. **zb**) Sed inde non sequitur, quemquam vivere posse ac debere, licet invitum quoque, et aliter prudenterque iudicantem, si mens sanitatem et viribus suis privetur, si multa incident gaudium et tranquillitatem eius turbantia, si vitae, etiam tolerabiliter degendae, necessaria deficiant; nec quamdiu insanis sophistis, tyrannis et tortoribus videatur [p. 331] **zc**) Sapiens et assectator sapientiae debet, et in tanta quidem re ac sua, quae ipsum, inquam, potissimum tangit, urget ac premit, non aliorum, praesertim nugatorum ac sophistarum syllogismis, captiunculis, et ratiunculis,

<sup>69</sup> 3, 14, 7 (Σποράδην τινά)

sed suo ipsius iudicio et rationibus stare. **zd)** Virtus praestat beatos; Sed non si illi et his velut oculos effoderis, [p. 332] manusque ac pedes ligaveris, ita ut se uti nequeant: non si cogas asinos dumtaxat, aliaque animalia bruta respicere et sequi: neque etiam si cogas quaedam rarissima exempla, nihil fortassis ad alios, saltem omnes et singulos, pertinentia, exaequare. Nam vel personarum, vel causarum, vel temporum ac locorum alia erat conditio. Certe illi, quorum exempla obiciuntur, ita sponte voluerunt, et tunc expedire iudicarunt. **ze)** Iam vero manifestum est, non idem omnibus, nec semper expedire: neque necesse esse, immo nec fieri posse ut omnes, et semper idem velint agantque. **zf)** Faciendi aliiquid, [p. 333] inquit Plinius, vel non faciendi vera ratio, cura hominum ipsorum, tum rerum etiam ac temporum conditione mutatur. **zg)**

Ex demonstrationibus Rachelianis nihil nunc restat, nisi oratio illa Iosephi ex l. de B. I. Hanc vero confidens assertor et egregius demonstrator ac censor cedro dignam esse ait, easque continere rationes, quibus nihil solidius ad hanc rem adferri possit; eam veritatem, ut nec Iudei, nec alii qui cquam inventuri sint, quo illam diluant. **zh)** Videamus.

[p. 334] 1. Iosephus in tota hac oratione **convasatis** pro tempore et ultima necessitate argumentis nonnullis rhetoricos, id est, verbosis, speciosis, infirmis, nusquam meminit paecepti, Non occides. Id quod vel solum validissimum utique fuisse Iudeo apud Iudeos argumentum, protinus rem omnem conficiens: nempe vetitum a Deo severissime, ne qui ullo in casu, ullaque ex causa se occidat. **zi)**

2. Iosephus disserit in primis contra necem sui iniustam, non necessariam, immo stolidam, temerariam, intempestivam ac praeposteram, vel praeproperam quoque. **zk)** Patet ex his ipsius verbis: Quid enim, [p. 335] o socii, propriae caedis avidi sumus? aut cur amicissimas inter se res, corpus et animum, in dissensionem vocamus? Sed Romani hoc sciunt, optimum esse in bello mori... Si illi hosti suo parcendum putant, quanto iustius nos ipsi nobis parcamus? Quippe stolidum est, ea circa nos admittere, pro quibus ab illi, dissensimus. Post alia quaedam in hanc sententiam, Nam et gubernatorem, ait, timidissimum puto, qui tempestatem metuens, ante vim turbinis navem sponte submergit: „, **zl)** Quae vero interserit de fortitudine vel magnitudine animi, supra aliquoties discussimus, et praeter alia ostendimus, non iuxta fortitudinem, quam quisque fere sibi pro libidine fingit, sed iuxta prudentiam et rationem esse vivendum moriendumque. Immo sine his illam non esse. **zm)**

[p. 336] 3. Reliqui colores, vel ratiunculae Iosephi, quae videri possunt contra omnem mortem voluntariam valere, sunt partim in superioribus eversae, partim invalidae, partim manifeste falsae. **zn)** Evertimus argumentum illud brutum, sive ex brutis petitum, quorum nullum esse dicitur quod ex industria, vel sua opera moriatur. **zo)** Evertimus argumentum beneficiarium sive quod ex beneficiis extorquetur. Hic vero Iosephus ita nugatur: Deum vero non indigne ferre arbitramini, cum donum eius homo despiciat. „, Ast vero donum non despicit, qui illi renuntiat, dum sibi est inutile, vel perniciosum quoque. **zp)** Pergit Iosephus [p. 337]: Ab illo accepimus, ut essemus: rursumque ut esse desinamus, illi reddendum. Hic paene delirat. Quid enim hic Deo reddendum est, aut reddi potest? an vita corporea? Eam aequa reddit, et magis, si reddi possit, qui sponte, quam qui invitus et coactus moritur. Immo Iosephus suadet, non ut demus, aut reddamus vitam, sed exspectemus donec ea desinat, aut vi nobis eripiatur. **zq)**

[p. 338] A dono et beneficio transit Iosephus ad depositum: ac si idem esset donum ac depositum. Et corpora quidem, inquit, cunctis mortalibus sunt... anima vero semper immortalis est, Deique particula in corporibus collocata. Hoc falsum quidem, certe apud Christianos: sed quid inde? Si quis ergo, ait, depositum hominis surripuerit, aut male tractaverit, pessimus statim ac perfidiosus habetur: si Dei depositum ex proprio corpore quis eiecerit, eum se latuisse quem laeserit, aestimabit? „, Mera sunt verba, eaque sic cohaerentia, ut ignis et aqua. Quae enim connexio, hinc inter pessimum et perfidiosum, inde inter aestimantem se latuisse? Et quis tibi concederit, omnes qui sponte moriuntur putare se latere Deum? quis eos laedere Deum? et quomodo? Certe non surripit, nec male tractat depositum Dei Iosephinum, id est, animam, is qui eam cogente necessitate e proprio corpore, cum in

eo potius pessime tractatur, in meliorem ac tuiorem transfert locum, atque ut modo voluit Iosephus de dono, sponte Deo restituit. **zr**)

[p. 339] A deposito repente transilit ad servitatem, vel conditionem servorum. Et servos quidem, ait, fugientes [p. 340] ulcisci, iustum creditur, quamvis nequam dominos fugerint. Ipsi vero Deum fugientes, et optimum Deum impie facere non videbimus? „ Praeter ea, quae supra diximus, et nobis, Dei servis, fugere licet; er fugientes, vel sponte eo, quo saepissime dictum est, modo causaque morientes, non Deum fugimus, sed ad Deum configimus. Itaque dixeris potius, pessimos esse servos, qui dominum, quantum possunt, maxime fugiunt, ab eoque abesse cupiunt, atque pervicacissime in extremis etiam miseris, peccandique periculis vivere malunt, quam sponte citoque mori, et ad Deum Dominumque optimum pervenire, praesentesque ei adesse. **zs**)

[p. 341] Quae sequuntur, eiusmodi sunt. An ignoratis quod eorum qui lege naturae vita exeunt, acceptumque Deo debitum solvunt, cum is qui dedit recipere voluerit, perpetua laus, domusque et familia stabiles sunt? purae autem et quae invocantes exaudiantur animae retinent locum in *caelo* adeptae sanctissimum: atque inde rursum volventibus *saeculis* casta corpora iubentur incolere. Quorum vero manus in seipso insanierunt, eorum animas tenebrosior orcus suscipit. Pater autem illorum Deus *auctores* iniuriae per nepotes ulciscitur. „ Haec partim confuse et ambigue, partim falso et propemodum furiose, aut fanatice effunduntur: uti ea quae sine ulla revelatione, ratione et experientia, *immo* contra ea, promittit et minatur. **zt**) Profecto [p. 342] innumeri sunt, qui se non occiderunt, vix proximis et sua aetate noti. Ubi ergo perpetua eorum laus, domusque ac familiae stabiles? **zv**) E contrario multorum, qui olim se eduxerunt, laus adhuc perseverat in historiis, etiam inter hostes et damnantes, perpetuoque perseverabit utique. Multos horum suae gentis impense laudat Iosephus ipse. **zx**) De iis autem, quae in *caelo* orcoque fiunt et facta sunt, homo iudicare nequit, aut si quis temeritatem Iosephi aliorumque imitari velit, potest ipsos cum omnibus suis audacibus assertionibus ad inferos detrudere; alias vero ab ipsis damnatos in supremo *caelo* collocare. Nihil ad hoc opus est nisi impetu quodam aestuque fortis imaginationis et arrogantis stultitiae. **zy**) Sed haec mittamus. [p. 343] Quid vero est acceptum Deo debitum solvere, id est vitam utique, quae antea fuit donum, depositum, servitus? Quid est, Deum, qui dedit, et id, quod dedit, recipere? An Deus recipit corpus et vitam? ea vero una cum corpore *extinguitur*, interit, et evanescit. idem fit etiam sponte morientibus. **zz**) Deinde quis [p. 344] *umquam* audivit grande esse scelus, ac creditorem ultra modum excandescere, furere et punire, si debitor sponte, et paulo citius solvat debitum? praesertim si is *sit* creditor, cuius nihil id referat; debitor vero ingentibus et ineluctabilibus urgeatur malis, adeoque solvendi causis. Potestne Deus infamari magis? **a\***)

Denique qui se occiderint, apud nos quidem, inquit, usque ad solis occasum insepultos *abici* decretum est ... apud alios dextrae iubentur *abscindi* ... Confundit rursus, et effuse mentitur, ut omnes in hac causa Iosephus. **b\***) Quaeritur dumtaxat de iis qui se [p. 345] iusta et necessaria ex causa occiderint: **c\***) nulli vero horum omnium, quod constat; certe inauditum est, Lucretiae, Catoni, Democli, Demostheni et tot aliis dextras amputatas, aut eos insepultos abiectos. **d\***) *Immo* contrarium potius esse verum, apud Romanos saltem, omnium paene gentium tunc dominos, apparebat vel ex Tacit. 6. Annal. c. 29. ubi relatis mortibus voluntariis Pomponii Labeonis et coniugis Praxae, Promptas, ait, eiusmodi mortes metus carnificis efficiebat: et quia damnati, publicatis bonis, sepultura prohibebantur: eorum qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta. **e\***) Augustus Gallum Terrinium senatorem, captum repente oculis, et ob id inedia mori destinantem, praesens consolando revocavit ad vitam. Suet. c. 53. **f\***) Et, cum Phoebe Iuliae [p. 346] liberta suspendio vitam finisset, maluisse se, ait, Phoebes patrem fuisse. c. 65. **g\***) Praeterea etiamsi verum esset, exemplis et rationibus Iosephinis probaveris nefas esse, fortiter se tueri hostemque repellere: quia qui id fecerunt, post capti vel occisi, gravibus affecti suppliciis probrisque. **h\***) Leonidam capite truncatum Xerxes cruci suffixit: Batim vero egregia edita pugna captum Alexander crudelissime *extinxit*: Tyrios quoque, urbe demum capta. Et in universum expugnatis vi urbibus, quae fortissime fuerunt defensae, crudelitas, omnium gentium more, velut effusis habenis grassatur. An nefas est, strenue pugnare, et se suaque impigre defendere? *Immo* vel ideo fas potius, sponte mori. **i\***) Porro diximus supra

Bernabonem [p. 347] Vicecom. Mediol. severissime multasse et punivisse rusticos, qui leporem, capream, aprum insectati convincebantur. Idem fere nunc fit ab omnibus principibus Christianis. an id quoque ideo natura nefas? **k\*)** Denique iisdem exemplis et rationibus probaveris, impiissimum, turprissimum ac flagitosissimum fuisse olim, profiteri Christianam fidem: quia eam professis atrocissima quaeque irrogata fuere suppicia: uti etiam nunc in Iaponia, et in aliis forte locis. **1\*)**

[p. 348] Sed satis de Rachelio et oratione illa Iosephi: audiamus nunc alteram vel Iosephi ipsius (qui melius in aliena, ut fit, causa, quam in sua vidit, quid honestum, decorum et laudabile esset) vel Eleazari, cum mille circiter reliquis sociis post excidium Hierosolymae a Romanis artissime obsessi Massadae. **m\*)** Hic fortissime quidem se defenderant, ita ut subrutis muris novos interiores construxerint, sed ex trabibus quoque, uti praesens necessitas flagitabat. Illis vero ignis a Romanis est iniectus, atque accidit, ut ventus ignem a principio impellens in hostem et machinas, subito conversus flamas in murum repulerit, et auxerit. Tum vero Romani ad castra laeti digrediuntur, hostes luce aggressuri. Nocte vigilias accuratiores faciunt, ne quis clam aufugeret. Sed neque Eleazarus de fuga cogitabat, neque alii cuiquam permissurus erat ut fugeret. Videns autem murum igne consumptum, alium vero nullum salutis modum, neque virtutis excogitans: sed his quae Romani in se, liberos suos et coniuges facturi erant, ante oculos positis, de morte omnium consilium cepit: idque ex praesentibus fortissimum ratus, validioris [p. 349] animi sociis vespere congregatis, huiuscemodi orationem ad eos habuit. *Cum olim vobis decretum sit, viri fortes, neque Romanis, neque cuiquam alii servire, nisi Deo ... ecce nunc tempus adest, quod factis vestros probare animos iubeat ... Puto autem et hanc nobis a Deo gratiam datam, ut bene ac libere possimus mori, quod aliis non evenit, praeter spem superatis: nobis autem certum est, orto die futurum excidium. Libera est autem strenua mortis conditio cum affectibus: neque id prohibere hostes possunt, qui profecto nos optant vivos abducere.* En quomodo nunc voluntatem quoque Dei, et necessitatem a Deo immissam colligat. **n\*)** *De Dei, ait, voluntate concire et scire possumus, quod amica ei quandam Iudeorum natio damnata sit interitu: manens enim propitus, vel saltem nobis leniter iratus, numquam tot quidem hominum perniciem neglexisset: sacratissimam vero urbem suam igni hostium excidioque perdidisset.* Vide ipse in hanc sententiam plura. Sed alii quidem ei oboedire properabant: qui vero *molliores* erant, coniugum ac familiarum suarum misericordia, vel etiam proprius quemque deterrebat interitus: alius alium intuens contrarium [p. 350] voluntatis suaee motum Iacrimis designabat. Quos cum vidisset Eleazar formidare, et magnitudine consilii animis frangi, pertimuit ne etiam qui fortiter dicta perceperant, *effeminarentur*: itaque erectior, *Plurimum*, inquit, *opinione deceptus sum, qui putarem viros fortes, pro libertate certantes, mori bene malle, quam vivere. Vos autem nec culibet quidem homini quicquam, neque audacia, neque virtute praestatis: qui etiam magna mala effugituri, mortem timetis: cum oporteret vos super hoc neque cunctari, neque exspectare monitorem.* Verborum quae sequuntur, corruptorum utique hic sensus esse videtur. Olim et a primo sensu, vel rationis, ut dicitur, usu nos eruditos sacris disciplinis, maiorum deinde nostrorum, praesertim, qui Machabaeorum temporibus extiterunt, factis et animis confirmatos esse oportebat: quod vivere hominis est, non mori, calamitas. *Nam mori quidem libertatem animis praestat, ad proprium purumque locum, eas dimittit, ab omni clade futuras intactas. Donec autem mortali corpori iunctae sunt, unaque malis eius replentur; quod verismile esti, mortuae sunt.* Plura de statu animarum in corporibus, atque de somno quoque, mortis imagine, locutus, inde ad aliena et externa exempla eorum, qui apud Indos professi sunt sapientiam, digressus subiungit: *Non ergo nos pudebit, si deterius Indis sapiamus, propriaque ignavia leges patrias, quae omnibus hominibus aemulandae videntur, inhoneste despiciamus: quamquam etsi contraria nos a principio instituisset eruditio: nempe quod summum bonum est hominibus vivere, mors autem calamitas: attamen tempus nos adhortatur eam bono animo, et facile tolerare, Dei voluntate, et [p. 351] necessario morituros.* „Hic denuo clare vides, **o\*)** praecepsum Non occides, non fuisse Augustiniano sensu [p. 352] a Iudeis intellectum et receptum. 2. Universim loquendo, in magna necessitate vivere potius, quam sponte mori, non esse fortis, sed ignavi. 3. Adeo falsum esse, neminem posse se suosque interimere nisi ex ira, furore et crudelitate, ut id ipsum sit sui suorumque misereri: ut numquam et nusquam se magis quam in hac re affectus et tota bruta pars animi opponant rationi, et pertinaciter resistant. Itaque necesse est hic animum evidentissimis firmissimisque communire rationibus et

exemplis. Id sciens Eleazar prioribus complura addit exempla ingentium malorum, quae Iudei victi a victoribus passi erant. Quibus allatis, *Mori*, inquit, *properemus, nostrimet ipsi misereamur, et coniugum liberorumque, dum nobis licet a nobismet ipsis misericordiam capere. Ad mortem namque ipsi nati sumus, et quos ex nobis genuimus; eamque fugere ne fortissimi quidem possunt. Iniuria vero et servitus, et videre coniuges ad turpitudinem duci cum liberis, non est malum hominibus ex naturae necessitate profectum: sed haec sua timiditate perferunt, qui, ante mori cum licuit, noluere.* Et post pauca: *Moriamur liberi, cum filiis et coniugibus vita decedamus: nobis leges praecipiunt ... horum necessitatem Deus misit: his contraria Romani volunt, et ne quis nostrum ante excidium pereat, timent.* Haec erat fortis illa fortissimi viri oratio: **p\*)** en nunc vim eius [p. 353] et effectum! Subiungit Iosephus: *Adhuc eum orare cupientem omnes interpellabant ... q\*) Sed nec id quod aliquis putaverit, cum facinus accederet, obtusi sunt, verum etiam servavere sententiam, quam, cum dicta perciperent, habuerunt, proprium quidem carumque affectum retinentibus cunctis, rationi vero cedentibus, quia iam optime filiis consuluissent. r\*) Altera die Romani conspecta multitudine mortuorum, non ut in hostibus gavisi sunt: sed consilii fortitudinem et obstinatum tanto in numero rebus ipsis contemptum mortis admirabantur. Hic iterum video consensum cultiorum saltem populorum, praesertim Iudeorum et Romanorum, de [p. 354] morte voluntaria. s\*) Hanc illi honeste et fortiter occupant; hi admirantur et laudant. Nihil vero hic auditur de abscissis dextris, nec de insepultis abiectis: nihil de aliis opprobriis et quasi poenis.*

En alterum et geminum, aliquanto antiquius, exemplum Romanum! Paucis Florus **t\*)** ubi de bello Caesaris et Pompeii: Una, nempe ratio, quae Opiterginos ferebat, in vadis haesit, memorandumque posteris [p. 255] exitum dedit. Quippe vix mille iuvenum manus circumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit, et **cum** exitum virtus non haberet, tamen ne in ditionem veniret, hortante tribuno Vulteo, mutuis ictibus in se concurrit. Adde Lucanum l. 4. v. 570...

[...]. iam strage cruenta  
conspicitur cumulata ratis, bustisque remittunt  
corpora victores, ducibus mirantibus ulli  
[...]. nullam maiore locuta est  
ore ratem totum discurrens Fama per orbem.  
non tamen ignavae post haec exempla virorum  
percipient gentes quam sit non ardua virtus  
servitium fugisse manu, [...]<sup>70</sup>

I nunc, et dic Romanos aliosque populos damnasse omnem mortem voluntariam: dic, eos amputasse dextras, vel abiecerisse insepultos. **v\*)** Repete tuum ἀπολύεσθαι, Non occides, Non esse e statione discedendum, Mollis et ignavi esse ita mori, Satis esse non pigre ire ad mortem, aliaque aliunde compilata. **x\*)**

[p. 356] Voca etiam in ius, cita leges Romanas, accusa, insta, urge, illos vel innocentes, vel nocentes occubuisse. Utrovis modo dignos esse nova morte et poena. Nihilominus quamdiu supererit historia Rom., audient legentque omnes qui potuerint et voluerint, summe laudari viros magnanimos, nullos fama magis toto orbe celebratos, illos admirationi fuisse hostibus ducibusque ipsis, victores corpora remisisse bustis. **y\*)** Quid [p. 357] vis amplius? nisi Lucanum postrema, tamquam vere proprieque vatem praedixisse: nempe ne post haec quidem fortissimorum virorum exempla futurum, ut ignavi homines populique discant, quam sit facilis et praeclara virtus, sponte mori potius, quam turpiter capi, servire, et indigna quaequa pati. **z\*)**

Post cuncta superiora valde inutile ac superfluum videri potest ea discutere quae Lipsius l. 3. c. 23. Manud. concessit. Pleraque enim omnia a prioribus non differunt, ideoque modo profligata ac reiecta sunt, utpote partim manifeste falsa, partim inania, specioso ac decipiente fuso circumlita, et a re, de qua quaeritur, aliena.

---

<sup>70</sup> Luc. 4, 570–577 ed. Asso

[p. 358] \***a)** Quaeritur enim, ut denuo dicam, non utrum fas sit temere, pro libidine, ἐκ τυχούσης προφάσεως, ut ait Epict., citra contraque rationem finire vitam: sed an cum ratione, ex causis toties significatis. \***b)** Prius quod apud omnes constat, et est extra quaestionem, probat cum aliis Lipsius; non posterius, quod unice, idque solidissimis argumentis probandum erat: \***c)** tum quid nonnulli, et ex iis ignavissimi quique, maluerint dumtaxat, aliaque eiusmodi corrasit: uti ab iis quoque factum, quibuscum supra decidimus. Isti enim boni, docti, magnificeque hic se iactantes viri, interque alia, omnes colores una veritatis spongia sese detersuros, toti coloribus infecti ipsi, vel impigre se compilant tantum et exscribunt, vel eadem repetunt, hoc uno excusandi, quod aliter facere nequeunt, utpote in causa angustissima, immo si verum libere dicere liceat, pessima, hominibusque, bonis praesertim viris, et rebus humanis pemiciosissima: cuius formam, habitum et exitum haudquaque perspicere videntur. \***d)**

[p. 259] Sed videamus obiter, quam belle hanc causam agat Lipsius, et an novi aliquid afferat, quo, tamquam spongia aliqua veritatis, colores detergantur. Aio, inquit in principio, plerisque omnibus priscae et verae sapientiae sententiam hanc damnatam: Homero in primis, apud quem hoc votum exprimitur: Eligam ego vel in agris vivens inservire Pauperem apud dominum, cui nec sit copia victus, Quam omnibus vita functis dare iura. „Quid hinc sequitur? \***e)** Utrum hoc, nefas esse ex quacumque causa, et in quantacumque necessitate mori sponte? an potius illud Graeculi in Claudium, καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός<sup>71</sup>? Multa addere possem: sed quid opus est in re aperta? Itaque stacim in ipso Iimine [p. 360] Lipsius cum sua veritatis, caecitatis ac mendacii potius spongia turpiter cadit, proditque se non colores detergere, sed imperitis fucum facere velle. Post ignavum, humile abiectumque votum (ceu Achilli Antilochus apud Lucianum exprobravit) hominis Homerici allegat Lipsius stationem Pythagorae, Platonis quoque et asseclarum, ut ait: tum post carmen Vergilii: Proxima deinde tenent maestri loca: verba Aristotelis: Mori ob inopiam et amorem: item Euripidis quaedam similia, vel Herculis apud Euripedem: denique Curtii illa: Fortium viorum est. Haec cuncta in superioribus discussa, et nihil hic nisi vel ignorationem, vel oscitationem adversariorum probare, ostensem. Certe ex istis concludi nequit, Ergo praestat, et necessesse est vivere potius, stuprari, torqueri, delirare, furere; quam sponte, caste, leniter, sana cum mente mori. \***f)**

[p. 361] Porro ut compendio agam, et quod Lipsius falso, hic ego vere dicam, unaque veritatis spongia omnes colores denuo detergam; profecto male et absurde exinde quod quaedam confuse, sine certis et definitis circumstantiis, spectata non licent, colligitur ea in nullis licere: item exinde quod quaedam quandoque, et a quibusdam male fiunt, ideo ea a nemine bene fieri posse: denique malum perpetuo et ubique, ex se ac natura esse quidquid a malis male fit factumque est. Ad hunc vero modum se habent, et tali fundamento (si id quod est futile, omnique ratione caret, immo rationi repugnat, fundamentum vocari possit) insistunt omnes hic ratiocinationes, aut fallacie verius Lipsii aliorumque. \***g)** Nam exinde quod fortassis aliqui ex ignavia quadam, aut minore magnitudine animi Augustiniana; alti ex fervida, ut aiunt, impatientia, [p. 362] vel furore quoque; nonnulli sine iusta et necessaria causa mortem accersiverint: fingamus etiam aliquos ex saevitia et immerito odio sui extinctos: exinde, inquam, colligunt, et demonstratum eunt, omnem mortem voluntariam, ex causis etiam iustissimis ac summe necessariis accersitam, esse grande nefas; neminemque posse fortiter, interrito, ut hominem, tranquilloque animo, sine ulla iniustitia, saevitia et odio sui, immo ex amore, eoque honesto ac laudabili, mori sponte. \***h)** Quod si hic probandi modus recipiatur, quid non probari potest? Inde sane probaveris, neminem posse, ne naturali quidem morte, finire vitam, nisi timide, ignave, et cum impatientia, vel fervida, vel frigida: quia multi, immo plerique, saltem insipientium et improborum, ita vitam finierunt finiuntque. \***i)** Inde probaveris omnes in universum homines, et singulatim adversarios [p. 363] nostros, esse insipientes et improbos, vel nullum inter eos et alios esse discriminem: quippe qui nihil aliud, nec aliter quam ipsi, agere possunt. \***k)** Ad haec iudicia hominum de aliis saepe sunt vel inscientia et opinionibus diversis, vel malevolentia affectuve aliquo corrupta. \***l)** Igitur pleraque plerorumque hominum, praesertim opinatorum novorum et scenae suae servientium, iudicia sunt penitus spermenda: praesertim illis qui norunt sibi rationem, veritatem et virtutem fideliter

<sup>71</sup> Suet. Claud. 4

constanterque placuisse. Teste et [p. 364] iudice Seneca ep. 91. eleganter dicere solebat Demetrius, eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepus. Quid enim, inquiebat, mea refert, sursum isti an deorsum ferantur. \***m**) Addit mox Seneca de morte: illud scio quam multis utilis sit, quam multos liberet tormentis, egestate, querelis, suppliciis, taedio. \***n**) Non sumus in ullius potestate, cum mors in nostra potestate sit. \***o**) [p. 365] Denique vel inde probaveris, vitam non esse semper conservandam, quia innumeri eam, dum non oportebat, conservantes, et mortem vitae amore fugientes, vel perpetua ignominia sunt notati, vel gravibus quoque suppliciis mori coacti. Neque tam id timendum ne parum, quam ne nimium amemus vitam, et aversemur mortem. \***p**)

Ex his in universum, sine eo quod necesse sit singula examinare, facile refeceris quidquid Lipsius cum aliis invidiose et sophistice obiectat de ignavia, iniustitia, saevitia, stultitia, furore. **Immo** omnia haec vittia facile recteque retorseris in eius opinionem. \***q**) Exceptis [p. 366] singularibus, divinis, et admirandis magis quam imitandis exemplis; dempta etiam aliquorum ignorantia et superstitione: quid nisi ignavia, nimiusque, stultus et furor similis amor vitae cogit quemquam vivere in magna necessitate moriendi? \***r**) Bene Valerius Max. exemplo D. Bruti relato, Hos tu furores, inquit, [p. 367] immoderata retinendi spiritus dulcedo subicis, sanae rationis modum expugnando. \***s**) Quid nisi iniustitia est, qua perseverant homines vivere contra iustas moriendi causas? \***t**) Quae maior in seipsum saevitia, quam admittere, et sponte quodammodo eligere mortem crudeliorem ac velut longiorem, dum licet leniore ac breviore defungi? \***v**) Iam dicat Lipsius, ad [p. 368] probandam saevitiam: Immergis in te ferrum, aut venenum ... Ast 1. tu ipse immergis in te, vel ipsam animam mentemque tuam immergis in nugas, cavillationes, columnias, sive frivolas, stultas, malitiosas accusationes, vituperationes ac condemnationes hominum, actionumque nudarum suppressis omnibus singulatim iudicandi regulis et mensuris. \***x**) 2. Ferrum immerserunt et immergunt saepe alii; idque sine saevitia. \***y**) 3. Si haec unica, et tota, aut maxima saevitia sit, non est necesse immergere in se ferrum, aut venenum: sed potest quis immergere se, vel cum Hippone et tot aliis in mare, aut flumen aliquod; vel cum Democle in bullientem aquam, vel cibo abstinere, vel aliorum opera uti, et interfectoris se offerre. \***z**) 4. Fuerit saevitia, immergere in se ferrum aut venenum [p. 369]: sed dum non cogit ultima, ferroque et veneno gravior necessitas. Ast quanto maior est saevitia, se velut immergere in longe atrociora mala et tormenta? Diogenes haec audiens diceret denuo, ut olim, se audire voces stultitiae, se ipsam damnantis. **a**) Ad haec tota saevitia est penes eos tantum, qui cogunt, tamquam iussis divinis, et poenarum aeternarum metu; non qui suadent et ostendunt leniora remedia, quibus non nisi qui volunt, et dum volunt, utantur. Si quis iudicet sibi melius ac tolerabilius, malueritque diu graviterque cruciari; is utatur suo iudicio et arbitrio. Placet? vive, non placet? ianua patet: exi. Quae hic saevitia? Vide autem retro: quanta ibi, et inhumana crudelitas? **β**)

Porro Lipsius manifeste posita veritatis spongia ad alios colores et fucos, immo vitia, rhetoribus quoque ipsis damnata: nempe insidias, vel cavillationes vocum nonnullarum, ratiunculas longius repetitas, generales, nihil ad rem facientes, et similia ludibria convertitur. Ait Zenoni et Stoicis esse mortem inter ea quae natura reicit et aversatur: Augustinum belle Stoicis insultare [p. 370], eo quod sapiens ab indifferentibus cogi possit ad mortem (ac si haec quoque non esset Stoicis indifferentis) sibi inferendam: miseramque adeo esse beatitudinem, quae desinere et extingui ob indifferentis aliquod debeat. „ Quasi vero homines sunt immortales, et hac immortalitate beati, nisi sponte moriantur. Addit quaedam ex Epicteto et Seneca, tamquam illi etiam ipsi mortem voluntariam, nempe omnem, et praesertim eam quam toties descripsimus, probassent. Sed primum hic agitur non causa Stoicorum, sed communis generis humani, praesertim bonorum virorum et honestarum feminarum, inde a principio, et ante Stoicos omnes, γ) et quotus quisque sponte mortuorum fuit Stoicus? **δ**) Agitur de officio, ut toties dictum, peristatico, quod in suis περιστάσεσι fuit semper, et vel ab aeterno, officium humanum; quidquid sero Stoici, sive bene, sive male dixerint [p 371]. **ε**) Deinde Lipsiana illa eiusmodi sunt, ad quae vel pueri Stoicorum facile responderint, et quibuscumque ea oblectantibus belle insultarint, dixerintque: Lepidissima, aut contentiosissima capita, sit Stoicis indifferentis ipsum vivere quoque et mori: non sequitur inde nefas esse, in quantacumque necessitate mori. **ζ**) Deinde non conveniat doctrinae Stoicorum, (nihil putantium bonum vel malum proprie, quod non sit virtute, vel vitio, tamquam propria forma sua signatum ac distinctum; sed indifferentis, vel communis materia virtutis ac

vitii) non conveniat, inquam, mors voluntaria: cum vero vestra doctrina sit contraria, huic ergo conveniet illa mors. Utique enim contraria contrariis congruunt. **η**) Rursus sit vita et mors, et reliqua huiusmodi Stoicis indifferentia: at nimis, et stolidi amare [p. 372] vitam, fugere mortem est ipsis malum. **θ**) Denuo sit indifferentia, stupra, tormenta, diram famem, aliaque pati: ast in illis succidere, incurvari, nutare, labare mentem, ut plerumque fit, est malum. Itaque illa sunt fugienda, praesertim imbecillioribus, uti sumus ad talia plerique omnes, tamquam causae saltem antecedentes mali. **ι**) Praeterea vos ipsi contra dogma vestrum, et contra praeceptum generale divinum, Non occides, ponitis exceptiones quasdam: cur ergo non aliis quaedam, si necesse est, excipere licebit, idque circa indifferentia dumtaxat? **κ**) Porro vide Ciceronem [p. 373] l. 3 de Fin. n. 58 seqq. ubi demonstrat omnia officia, et hoc ipsum sponte moriendi, vel in vita manendi proficiisci a rebus illis, quae Stoicis sunt mediae vel indifferentes. **λ**)

[p. 374] Sed Lipsiana illa eo magis spernenda ridendaque, quo Lipsius ipse ea spernere et ridere videtur, lusoria ea tela appellans. Sed ubi, et quae demum decretoria arma? Nulla; sed lusoriis magis, ut ita dicam, lusoria, immo subulae tantum, aut verius stipulae: nempe Augustinianae verborum, Non occides, interpretationes novae, suspiciones, coniecturae: de quibus cum toties dixerim, nihil amplius dicendum puto: praesertim cum ex vocibus ipsis pateat, εὐλογὸν ἔξαγωγὴν, uti omnem actionem rationi consentaneam, procedere [p. 375] ex recto iudicio. **μ**) Arbitrari autem Deum actionem eiusmodi vetare, adeoque ne quis recte iudicet: e. g. hic de vita et morte, de rebusque et causis, ob quas mors quandoque sit praferenda vitae, et a viris sapientissimis sit praelata: est delirare, et fingere Deum quendam sola superstitione colendum: cuius universalis, ut aiunt, absoluto, absque ulla exceptione, limitatione, restrictione evulgato occidendi interdicto, **ν**) impie egerit Agesilaus etiam, immolans bovem, interaque mordentem pediculum arripiens et occidens, his quoque additis verbis: Per deos, iucundum est ulcisci insidiatorem, etiam apud aram. Plut. in Apopht. [p. 376] Lacon. **ξ**) Certe in sanctis libris Canonicis, ut dixit Augustinus, nusquam hoc reperitur diserte praeceptum permissumve. Finio verbis et responso fortissimi Leonidae: qui interrogatus, cur optimi nobilem mortem obscurae vitae anteponerent, respondit: Quia hoc proprium naturae, illud sibi esse censem. Plut. in Apopht. Lacon. **ο**) Addo haec M. Antonini ex l. 10. n. 8. ubi cum paucis bene explicasset, quid significant nomina ἔμφρων, σύμφρων, ὑπέρφρων, intra nomina igitur, inquit, ista si te continueris, nec ut alii histis titulis coherestent, concupieris, alias iam futurus es, quam pridem fueras, aliamque initurus vitae rationem. Etenim talis persistere, qualis hactenus fueris, et in vita istiusmodi foede voluntari ac discerpi, hominis est sensus expertis plane, vitaeque nimis avidi, nec bestiariis illis assimilis, qui semiadesi, vulneribus sanieque oppleti, in diem crastinum tamen reservari supplicant, iisdem unguibus morsibusque iisdem iidem plane obiciendi. tu vero in nomina pauca haec inde te. et siquidem in illis persistere potes, persistas, tamquam in fortunatorum insulas quasdam traiecius. sin excidere, nec statum tueri te posse senseris, in angulum aliquem, ubi possis aliquid, audacter te conferas, vel etiam e vita omnino discedas, nec iratus tamen, sed simpliciter, libere, modeste, hoc unum saltem in vita memoratu [p. 377] dignum exsecutus, quod e vita sic exieris. **π**) Mox monet nolle Deum ratione praeditos ipsis adulari (praesertim specie turpis et irrationabilis obsequii, tamquam ipsis praeceptis, vel violentis eorum interpretationibus praestiti) sed similes ipsis fieri. **ρ**) Num. seq. ait: δεῖ δὲ πᾶν οὕτω βλέπειν καὶ πράσσειν ὅπτε καὶ τὸ περιστατικὸν ἄμα συντελεῖσθαι καὶ ἄμα τὸ θεωρητικὸν ἐνεργεῖσθαι [...]<sup>72</sup>. **σ**) Addit per [p. 378] interpretem, et fiducia ex certa rei cuiusque scientia orta servetur ... **τ**) tunc gravitate frueris; tunc rei cuiusque distincta notitia, quid ex natura sua existat, quem locum in mundo habeat, quamdiu duratura sit, ex quibus conflata sit, quibus possit obvenire, qui dare eam et auferre possint. **β**)

Addo demum et adversariis concedo, atque severius etiam, quam ipsis, damno necem non sui modo, sed et aliorum, immo vel pecudis, si temere, inconsulte, promiscue, ex ira, odio, furore, crudelitate et quocumque vitio, malove impetu vel affectu fiat. **ν**) Ita rem quamque sine controversia honestissimam facere, dishonestum et nefas esse patet. **φ**) Damno etiam, [p. 379] si quis se vel educat, vel occidat, dum Deo, patriae, civibus, proximis utiliter servire potest: praesertim sine intolerabili, aut graviore

<sup>72</sup> M. Ant. 10, 9, 1 ed. Farquharson

tormento sui. Confiteor hunc talem peccare, facereque aliquam quasi iniuriam Deo, et illis quibus prodesse posset vivus.  $\gamma$ ) Quod si nihil aliud velint urgeantque adversarii, lis omnis est finita; immo nulla ab initio fuit. Si aliud; vident ipsi se talia allegando exaggerandoque, φαντασιοπλήκτως, ut repetam verba quaedam Antonini, ex aemulatione ambitioneque sophistica egisse, adeoque nihil quod ad rem egisse; sed fortioribus dumtaxat exemplis ac decretis invidiam quaesisse.  $\psi$ ) Vel si de ignavia rursus, fortitudine et maiori fortitudine Augustiniana pauca attexenda, perpetuo et conspicue opposueris ruinam amplissimi florentissimum olim imperii et ecclesiae.  $\omega$ ) [p. 380] Lepide Cicero asseverante Labieno omnino victoram fore Pompeii, Nunc ergo, inquit, quod amisimus castra, id dolo quodam bellico a nobis factum est. Hic dixeris, scilicet maiori fortitudine posteriorum Christianorum factum est, ut tantum imperium una cum ecclesia in Asia praesertim et Africa sit amissum, ignavia et dolo quodam bellico Christiani nominis hostium: ut expugnatis urbibus viri omnes vel trucidati, vel in servitutem detracti, matronae vero et virgines honestissimae in templis et super altaribus ipsis constupratae.  $\alpha^*$ ) Callisthenis necem dicit Seneca esse Alexandri crimen aeternum, quod nulla virtus, nulla felicitas redimet. Nam quotiens quis dixerit: Occidit Persarum multa [p. 381] milia: opponetur, et Callisthenem. cet. Ita quoties Augustinus aliasve praedicaverit maiorem illam fortitudinem posteriorum, ut dixi, Christianorum, quodque maioris animi sit tolerare aerumnas, quam fugere: toties opponetur, Sed iam dudum amiserunt maximam imperii partem, vilisque Saracenorum, Turcarum, aliorumque hostium praeda et libidinis satietas fuerunt.  $\beta^*$ ) At alia quoque, inquis, prius imperia amissa. Verum dicis: sed numquam sine dubio maiori fortitudine eorum, qui ea tenuerunt, minore hostium, nedum ignavia, qui ea occuparunt. Utcunque haec quoque se habeant, uti non puduit Tullium fateri se nescire ea quae nesciebat; ita nec me, nec alios, opinor, plerosque omnes pudet fateri, nos non posse honeste et animose pati ea quae non possumus: non posse ita pati, quae toties ob confusiones adversariorum diserte distinque dicere ac repetere coactus fui: tormenta, eculeos, rotas, crues, ignes: non posse ita pati diram famem, qua homines, et forte [p. 382] parentes, uxores, liberi, aut stercora devoranda: non sitim, quae cogat, ut Cretenses quondam, urinam hominum aut iumentorum bibere: non stupra; non deliria et furores; non vitia indurata et insanabilia.  $\gamma^*$ ) Valde, dubito an Bombomachidae isti, et gloriosi vel milites vel heroes; maiorisque velut animi ac fortitudinis extra pericula actusque, in campus quasi Cubiculariis, praecones haec pati possint: pati, inquam, honeste, fortiter, gloriose. Nam pati tantum, melius possunt asini et animalia quaeque: pati turpiter, ignave, flebiliter, possunt etiam pueri, puellae, mulierculae, et tota hominum etiam ignavissimorum turba.  $\delta^*$ ) Addo nunc etiam et annumero regulas quasdam [p. 383] iuris, quae omnes uti inimicorum sententiae adversari, ita nostrae manifeste favere videntur.  $\varepsilon^*$ )

1. Plerumque sub auctoritate iuris scientiae perniciose erratur
2. In toto iure generi per speciem derogatur.
3. Plerumque quando proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur.
4. In omnibus quidem, maxime in iure aequitas (et humanitatis s. humana imbecillitas) spectanda.
5. Semper in obscuris et dubiis benigniora praferenda.
- [p. 384] 6. Quotiens dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit.
7. Non est magnum damnum modici temporis. Eodem, opinor, spectat hoc Senecae: Nemo potest multum de stillicidio perdere.
8. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.
9. Defensor propriae salutis (et ingentium ultimorumque malorum propulsator) in nullo peccasse videtur.
10. Proprie bona dici non possunt, quae plus incommodi quam commodi habent.

## Notae

- a) De εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ, sive morte voluntaria philosophorum ac bonorum virorum, etiam Iudeorum et Christianorum, quam, cum animadversionibus nostris, post auctoris fata, edidimus Rintelii 1736. 4.
- b) Fallitur autem quam maxime, ut pluribus demonstratum ivimus. Nec facile fore quemquam credimus, quoad mens sana in corpore sano est, qui negaret, summum nefas esse, creatoris sui et rerum unius arbitri sapientissimo refragari iudicio, civibus et commilitonibus suis, ad offensionem pudendam, in regem universi et Dominum potentissimum rebellionis exemplum dare, suisque manibus, contra ius et instrictum naturae, abdicato fere ipsius rationis usu, quod nequidem ab animalibus brutis exspectandum, in sua viscera saevire.
- c) Doctissimi et incomparabilis viri, qui et arte rhetorica exercitatissimus, et verae sapientiae studiosissimus, neque minus divinis, quam humanis litteris imbutus, non vulgarem longae posteritatis commendationem meruit: ut calumniarum prorsus nihil in eum valere queat.
- d) Uti facilius de causae veritate constet, locum dabimus integrum. Multi ergo, *inquit*, ex iis, qui aeternas esse animas suspicabantur, tamquam in caelum migraturi essent, sibi ipsis manus intulerunt, ut Cleanthes, ut Chrysippus, ut Zenon, ut Empedocles, qui se in ardentis Aetnae specum intempesta nocte deiecit; ut, cum repente non apparuisset, abiisse ad Deos crederetur. Et ex Romanis Cato, qui fuit in omni sua vita Stoicae vanitatis imitator. Nam Democritus in alia fuit persuasione. Sed tamen sponte sua leto caput obvius obtulit ipse [Lucr. 3, 1041], quo nihil sceleratus fieri potest. Nam si homicida nefarius est, quia hominis exstinctor est: eidem sceleri obstrictus est, qui se necat, quia hominem necat. Immo vero maius esse id facinus existimandum est, cuius ultio Deo soli subiacet. Nam sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus: ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, eiusdem iussu nobis recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tam diu habitaturos, donic iubeat emitti. Et si vis aliqua inferatur, aequa mente id ferendum est: cum exstincta innocentis anima inulta esse non possit, habeamusque vindicem magnum, cui soli vindicta in integro semper est. Homicidae igitur illi omnes philosophi, et ipse Romanae sapientiae princeps Cato, qui antequam se occideret perlegisse Platonis librum dicitur, qui est scriptus de aeternitate animarum, et ad summum nefas philosophi auctoritate compulsus est.